

Doppis







DE HEBRÆO CONVICTO.



OPVSCVLVM DE HEBRÆO CONVICTO.

In quatuor Libros diuisum.

AVTHORE

P. FRANCISCO LEYTAM
SOCIETATIS IESV
LVSITANO CASTELVIDENSI.
In Eborensi Academia Sac. Theologiæ Doctore, ac publico Professore.





ROMÆ,
Ex Typographia Ioannis Iacobi Komarek Bohemi apud S. Angelum Custodem. M.DC.XCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



IDEBITVR forsan tibi, Lector beneuole, meus iste labor parum iam hodie necessarius tum Catholicis Christiana Religione optimè imbutis; tum perduellibus hæreticis, qui licèt à fide circa plurima Catholicæ Religionis mysteria enormiter aberrent; Christum tamen seruatorem nostrum iam venisse profitentur; tum denique obcæcatis Hebræorum mentibus, qui capti oculis, menteque obstinata lucem veritatis agnoscere detrectant. Siquidem habenti oculos probare velle, conariq; patentem Solem lucescere, superuacaneum est: eos verò non habenti, seu potiùs, ne videat, claudenti lucem offerre, labor irritus est. Operæne pretium est videntem, vt videat, exhortari? & cæco, vt videat, moliri? Frustranea igitur, & inutilis planè videbitur hæc nostri operis lucubratio; dum currenti calcar addere molimur; & à cæco, vt lucem spectet, deposcimus.

Cæterùm existimandum tibi non est, nos ad quidpiam emolumenti eruendum frustra cona-

ri;

ri; vel in nostro qualicunque labore oleum, & operam perdere. Eritne ipsis, qui iam vident, plùs videre superuacaneum? Vt suam fœlicitatem agnoscant, Deoque immortales referant gratias ampliùs excitari, labor est irritus? Nonne nouem illi Iudæi à Christo sanati, se sanatos esse conspiciebant; & tamen illis non fuit opus ad suam attendere sanitatem, vt Deo grati animi signa præferrent? Nonne, licèt Aurorâ mundus, exoriente Sole lucidior apparet, eo in altum subleuato, vmbræ, vel penitus fugantur. vel saltem diminuuntur? quid? Fideles Christi iam vexilla secuti, præclaris fidei splendoribus velut auroræ radijs elucescunt; an quia maioribus eiusdem fidei fulgoribus, ex bene pensatis, explicatisque fidei monumentis (id, quod ex nostris lucubrationibus assequentur) probè imbuantur, nihil hæc monumenta præstabunt? Non potiùs in immensum excrescet solatium? gaudium exundabit? Lætitiæ cumulus augescet?

Perge igitur, Christiane Lector, hæc fidei monumenta nocturna, diurnaque manu sedulò volue, scrutare, inspice, etiam, atque etiam meditare; profundiores aget fides tua radices; Deo intimiùs adhærebis; eique immortales gratias alacriùs rependes. Neque etiam ingenti

He-

Hebræorum cæcitati opus iſtud minùs prodeſſe cenſendum eſt: nam ex huius libri lectione Iudæi cæcitatem ſuam forſan agnoſcent; atque ipſamet cæcitas ab eorum oculis cæcitate emollietur. Cæci nati oculos luto illiniuit Chriſtus ſeruator optimus. Deus bone! quid opportunius cæcitati, quàm lutum? Quid luto nocentius viſui? & tamen per lutum fuit cæco viſio reſtituta. In cæco illo excæcatus Hebræorum populus adumbrabatur: Chriſtus impoſuit illud, quod ex ſe mouere poſſet cæcitatem, vt cæcus cæcitatem deponeret: adiungat Hebræus, hanc, quam ipſe cæcitatem, lutumque turpi erratione confingit, ſuis oculis lucem; & ex ipſo falsò à ſe reputato luto viſum recuperabit. Primus gradus ad videndum verum eſt id, quod falſum eſt, falſum eſſe videre. Quo pacto cæcus lucem expoſceret, ſi ſe in tenebris eſſe non agnoſceret? Tandem te moneo, beneuole Lector, me ex compoſito Chriſtianorum Interpretum authoritate vſum non fuiſſe: ſed Rabbinorum præcipuè, quos Hebræi complectuntur, authoritatem, præſidiumque adhibui, vt Hebræi, qui noſtrorum Interpretum Commentarios minimè amplectuntur; ſuoſque interpretes maximè laudant, commendantque, nullam excuſationem, cauillationemque habere queant.

Quan-

Quando verò in aliquo textu exponendo nullum ex Rabbinis expositorem reperire commodè potui, eas, quas ex natura rei, & ex germana verborum significatione concinnas esse deprehendi, expositiones exhibui, ea ratione, vt veritas ipsa de se pateat, & non aliter textûs intelligentia stare possit; ipsique, cum quibus disceptamus, Aduersarij illum esse Sacræ Scripturæ sensum penitùs conuincentur.

Ex industria etiam Hebræorum vocabula caracteribus Latinis, & non Hebraicis scribenda duxi, quia Hebraicæ linguæ ignaris, & Latinæ peritis, qui potissimùm hunc nostrum tractatum perlegent, ad verum sensum, germanumque intellectum aditus facilè patebit. Faxit Deus, qui Pater luminum est, vt obcæcati Hebræi suam tandem cæcitatem agnoscant; & ad veritatis lumen accedant. Et tu, ò Stella Maris, Deipara Sanctissima, cui ex animo hoc, sicut & cætera omnia mea, quantulacunque opuscula, dedico, voueoque, Hebræos istos cæco ignorantiæ mari demersos illumina; vt ad veritatis portum appellant; & te veram Dei Genitricem agnoscant, & reuereantur.

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM Huius Libri.

LIBER PRIMVS.

De Messia credendo vt Deo, & homine.

LIBER SECVNDVS.

De qualitatibus, & signis veri Messiæ, qui est Saluator noster Deus, Beatissimæ semper Virginis MARIAE Filius.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De Dubijs, quæ Iudæi opponunt Christianis.

Hic liber specialiter instituitur ad dissoluenda dubia omnia, quæ Iudæi Christianis opponunt; ex illorum enim clarissima solutione inexcusabiles de sua obstinatione reddentur: vnde quodlibet dubium in suo distincto capite dissoluetur.

LIBER QVARTVS.

De Hebræo Conuicto.

APPEN-

APPENDIX.

THYR-

THYRSVS GONZALEZ

Præpoſitus Generalis Societatis Iesu.

CVM Librum, cui Titulus, *de Hebræo Conuicto*, à Patre Franciſco Leytam Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs ad quos pertinet, ita videbitur. Cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 18. Nouemb. 1691.

Thyrſus Gonzalez.

Iuſſu

IVssu Reuerendissimi Patris Fratris Thomæ Maria Ferrarij Sacri Palatij Apostolici Magistri, Opus, cui Titulus est, *Opusculum de Hebræo Conuicto*, sæpiùs & perlegi, & reuolui; & in illo non solùm nihil offendi, quod Christianis moribus, & Catholicæ fidei, atque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis aduersetur: verùm, quia & Hebræum conuincit, & torquet, & Christianum facit, & firmat, vt ab omnibus in luce publica videatur, Typis illud euulgando, magis, quàm opportunum, necessarium censeo; ità Romæ subscripsi, in Collegio Apostolico Pœnitentiariorum Basilicæ S. M. Maioris de Vrbe die 31. Ianuarij 1692.

Fr. Gregorius Compagnus S. Theol. Mag. eiusdem Basil. Pœnit. & Concionator Apost. Hebræorum Vrbis.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. Patri Mag. Sacri Palatii Apostolici.

Horatius Fortunatus Episc. Neritonen. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari Ord. Præd. Sac. Apost. Palat. Magister.

DE

MAGNÆ MATRI DEI
BEATISSIMÆ
VIRGINI MARIÆ
Operis dedicatio.



AS libentiſſimè, ò MAGNA DEI PARENS, *pro quærenda eorum, qui Tibi cognati genere ſunt, Hebræorum ſalute lucubrationes Tibi*

§§§ *con-*

consecro, voueoque, quas ego non tenui labore suscepi, Tuo præcipuè cælesti patrocinio fidens; vt illi, qui ab Incarnato Verbo Filio tuo primùm ad vberes laborum suorum fructus, Redemptionemque iuxta Diuini Numinis arcana sedulò quærebantur, vigiles mentis oculos ad clarissimam Christianæ Religionis lucem contuendam feliciter aperirent; ad cælestemque vocem aures omnino surdas non iam præberent. Stella maris es: ipsi iactati fluctibus obuoluuntur; lucem diffunde, vt securum æternæ salutis portum attingant; iuncti certè Tibi sanguine sunt, pretiosi Filij tui sanguinis emolumento non destituantur. Ingens eos ignorantiæ velamen inuoluit: cæcitas impedit visum; obstinatio deprimit cor: quid? Semper in tenebris ignorantiæ suæ miserè iacebunt? Sem-

per

per eorum oculi densa caligine obruentur? Semper in saxea cordis duritie permanebunt? Velamen aufer: cæcitatem depelle: visum restitue; ferream duritiem emollito. Licèt enim ex hac sua culpa infelici progenie plures iuxta veridica Sacrorum Prophetarum Oracula ad finem vsque Mundi in stulta sua obstinatione persistent; attamen ex eadem progenie non pauci apertis iam suæ mentis oculis, vt ijdem Diuini Numinis Vates prædixere, veritatis lumen aspicient. Fac igitur, ò MAGNA DEI PARENS, *vt sicut Diuino Verbo pretiosum, quo nos redemit, sanguinem ministrasti; ita quoque ipsi tuis illustrati fulgoribus Redemptorem agnoscant suum, & quem miserè deserunt, feliciter inquirant: atque ab eo, cui mortem iniquè intulerunt, æternam vitam recipiant; Teque supplices*

plices adorent, ac venerentur. Accipe ergo, ò DEIPARA SANCTISSIMA, *hoc meum licèt exiguum munuſculum; cordis tamen erga te deſiderio ingens, in magnum erga Te amoris mei pignus, æternumque monumentum.*

Tuus ſemper

F.

OPVSCVLVM DE HEBRÆO CONVICTO.

In quatuor Libros diuisum.

I. *Est de Messia credendo vt Deo, & homine.*
II. *De qualitatibus, siue signis declarantibus verum Messiam.*
III. *De dubijs, quæ Hebræi opponunt, contra nostram Religionem.*
IV. *De efficacibus rationibus, quibus demonstratur Messiam iam venisse, & esse Christum Iesum Saluatorem nostrum.*

LIBER PRIMVS.

De Messia credendo vt Deo, & homine.



MNIS hæc mea disceptatio ad duo inseruiet. Primo. Ad consolationem fidelium, qui Christi credunt Euangelium. Secundo. Ad confusionem Hebræorum, qui illud obstinatè negant, atque adeo tota hæc doctrina vnam dabit certissimam demonstrationem, quòd Christus Saluator noster verus sit Messias; qui iam venit, & pretiosissimo suo sanguine nos redemit: ad quod supponendum est Messiam absolutè ab

Hebræis non negari : imò dum illum expectant, impossibilem non iudicant : nullus enim id, quod credit impossibile, sperare potest.

Hoc ergo supposito, sic conficitur demonstratio. Ille est verus, & indubitatus Messias, cui competunt omnia, quæ Deus de illo per suos Prophetas reuelauit : Sed omnia omninò, quæ Deus per suos Prophetas de Messia reuelauit; competunt Christo Iesu Saluatori nostro, in quem nos Christiani immensa eius misericordia, & gratia adiuti indubitatè credimus : ergo ille est verus Messias, & qui illum non credit iam venisse, in statu salutis esse nequit. Maior propositio ab Hebræis ipsis conceditur : consequentia à nullo rationis compote negari potest : est enim euidens. Sola igitur minor propositio probatione indiget : & ideò in tota hac disceptatione probabitur manifestè.

CAPVT PRIMVM.

Ostenditur Hebræos teneri credere in Messiam.

1. Apud ipsos Hebræos articulus est fidei indubitatus dari Messiam; & qui absolutè ipsum negaret, vt hæreticus ab illis haberetur, & discedens à lege : & meritò: nam omnes Prophetæ de illo vnanimiter loquuntur. Constat 1. ex Genes. cap. 3. num. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum &c.* In nostra vulgata habetur *ipsa*: in Hebraica *ipse*, & ratio est : quia, vt benè notat Fabius Fioghi de monte S. Sauini. *Dialogo della Fede* cap. 2. peritus linguæ hebraicæ, eædem literæ absque punctis significant indiscriminatim, *ipsam*, *vel ipsum*; *illam*, *vel illum* : ex quo euenit, quod in vna translatione legatur; *Ipsa*, in alia verò, legatur *ipse* : quare, cùm legitur *ipsa*, intelligitur Beatissima Virgo Mater Messiæ; quæ per Filium infandi, pestiferique Draconis caput contriuit : cum verò legitur *ipse*; intelligitur Messias ipse Virginis Filius; omnesque Docto-

res tam Hebræi, quàm Christiani prædictum textum de Sacrosancto Messia vnanimiter intelligunt: nullus enim alter, qui solus fuisset homo, Diabolum poterat superare, penitus euertere, peccatumque prorsus delere.

2. Omnes item Prophetæ, vt ex dicendis manifestum fiet, de Messia locuti sunt: & affirmant cuncti Rabbini in Talmud in tractatu Sanhedrin capit. Chelech. Vbi sic dicitur, verba in Latinum fideliter transferendo: *Omnes Prophetæ aliquid de Messia prædixere*: quæ verba etiam reperiuntur scripta in libro Ialcut exponendo cap. 65. Isaiæ ad signum 368. Præterea ipsi Hebræi omni Sabbato dicunt Canticum illud ab eis vocatum *Igdal Elohim chai*, & est ita. *Mittet Deus in fine dierum Messiam nostrum*. Igitur si etiam secundum Hebræos Prophetæ omnes Messiam prædixere, tenentur ipsi hunc fidei articulum credere.

3. Constat 2. ex Isaiæ cap. 33. num 6. *Et erit fides in temporibus tuis, diuitiæ salutis sapientia, & scientia, timor Domini ipse est thesaurus*: quem locum in libro Ialcut exponunt Rabbini sic. *In die Iudicij interrogabitur homo*, an expectauerit salutem, s, Aduentum Messiæ: vocant enim ipsi Aduentum Messiæ salutem: & Rabbi Moyses describit articulos fidei ab Hebræis credendos; in quibus annumerat hunc de credendo in Messiam, & sic ait: *Duodecimus articulus est Messias: & hunc teneri Hebræos firma fide credere, & sperare venturum, prout omnes Prophetæ prædixerunt incipiendo à Moyse, vsque ad Malachiam. Item venire debere ex progenie Dauid; & qui hanc veritatem negat, à lege discedere, hæreticumque inter Hebræos putari debere.*

4. Omitto alia innumera Sacræ Scripturæ loca, Rabbinorumque testimonia: quia nulla de hoc cum Hebræis nobis est controuersia: cum hi prædictam de Messia veritatem non negent; imò tanquam verum fidei articulum fateantur: quamuis de hoc mysterio cum Christianis decertare non audeant: quia vident se ex illius veritatis confessione posse cogi credere, quod nos credimus; & ore proprio maximo cum rubore posse conuinci.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur ex Testamento veteri Hebræos Messiam verum esse Deum credere debere.

5. TEneri Hebræos credere Messiam verum esse Deum euincitur ex plurimis veteris Testamenti locis. Primo. Probatur manifestè ex Ieremia cap. 23. vbi sic ait: num. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & Sapiens, & faciet iudicium, & iustitiam in terra in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter; & hoc est nomen, quod vocabunt eum. Dominus iustus noster.* Apertè loquitur de Messia, vt Hebræi fatentur, in quo textu Messias appellatur nomine *Iehoua*, quod significat essentiam Dei, seu æternum quid per essentiam: solus autem Deus est essentialiter æternus: vnde sicut nomen *ens à se*, soli Deo tribuitur, qui solus est ens à se, ita nomen *Iehoua*, quod significat æternitatem per essentiam, quæ quidem soli Deo est; non potest alteri tribui, qui Deus non sit: sed Deus Pater reuelauit per Prophetam Sanctissimum Messiam vocandum esse, *Iehoua*, quod significat æternum per essentiam; ergo Messias est Deus essentialiter æternus, Patrique consubstantialis, i, eiusdem omnino naturæ, & essentiæ; aliter Deus dicendo in vno loco nomen *Iehoua* tribui non debere creaturæ, & in alio tribui debere Messiæ; si Messias non est Deus, sed creatura; Deus nos deciperet, essetque nobis causa errandi, dandique creaturæ, id, quod ipse præcipit soli Deo esse dandum: dicere autem Deum nos decipere, & velle nos in errorem incidere, est apertè blasphemia: ergo qui negat Messiæ diuinitatem, blasphemiæ nota inuritur.

6. Opponunt Hebræi cap. 3. Exodi, vbi Angelus apparuit Moysi in medio rubi, qui ardebat, & non comburebatur, & appellatur ibi Angelus nomine *Iehoua*, & tamen Ange-

Angelus est creatura: ergo licèt Messias nomine Iehoua sit appellandus, non sequitur esse Deum. Hæc Hebræorum obiectio suam monstrat ignorantiam, & nullam Sacræ Scripturæ intelligentiam: nam aliud est Angelum vocari Deum; aliud verò Angelum loqui nomine Dei. Angelus hic (si fortè fuit Angelus, & non ipse Deus) non appellabatur Iehoua, Deus essentialiter æternus; sed loquebatur nomine Dei Iehoua: qui autem loquitur nomine Dei non est Deus, sicut Legatus, qui loquitur nomine Regis, non est Rex: at vero Iehoua est proprium nomen Messiæ, vt Deus ipse per Prophetam revelauit: illud verò nomen soli Deo appropriatur secundum Scripturas, & secundum ipsos etiam Rabbinos: si ergo appropriatur Messiæ, euidenter sequitur Deum esse Messiam.

7. Dices. Vbi hæc Rabbini dicunt? In libro appellato More in cap. 6. loquendo de hoc sanctissimo nomine, sic dicitur: *Cuncta nomina Dei Excelsi; quæ inueniuntur scripta in sacris libris ab aliqua certè operatione deriuantur: at nomen istud Sacrosanctum Iehoua, quod ex quatuor constat literis, s, Iod, hè, vau, hè, nomen est particulare, & vnicum Deo excelso; significatque essentiam Dei excelsi cum manifesta determinatione ad solum Deum absque vlla æquiuocatione, & communicatione ad alterum, qui Deus non sit.* Sic habet ille liber Hebraicus translatus in Latinum, & mox subiungit: *Certè alia Dei nomina vt Iudex, Potens, Iustus, Pius, Misericors, Elohim,* &c. *omnia sunt nomina, quæ declarant aliquam operationem; à qua deriuantur, vt Iudex à iudicando, Iustus ab actione recta, Pius, à pietate, misericors ab actione miserendi,* &c. *at verò nomen quatuor prædictis literis formatum, s, Iehoua, non est cognitum ab aliqua deriuatione; & alteri non communicatur, nisi soli Deo.* Si ergo, vt fatentur Rabbini, nomen Iehoua soli Deo, & non alteri communicatur; & Deus per Hieremiam reuelauit, nomen Messiæ esse Iehoua, negare non possunt Rabbini Messiam verum Deum esse.

8. Quod verò Hieremias hìc loquatur de Messia, est manifestum; tum ex ipsis verbis Prophetæ; tum ex paraphrasi

Cal-

Caldaica; quæ exponendo illa verba Hieremiæ; ita dicit. *Suscitabo Davidi Messiam iustum*: tum quia in libro Midras Tillim in eo versiculo Psalmi 20. *In virtute tua lætabitur Rex*. Sic dicitur: *Et vocabo Regem Messiam suo nomine*: & addit cap.23. *Hoc est nomen, quod vocabunt, Dominus iustus noster*, & in libro Midras echa, videlicet glosa in Trenos cap. 1. versic. 16. *Longè factus à me consolator* &c. Sic dicitur: *Rabbi Aba Cabana dixit: Deus est nomen eius* (loquendo de Messia) *sicuti dictum est in Hieremia* cap.23. & ibi allegantur verba Prophetæ iam supra posita: Similiter legitur in libro Ialcut in Hierem. cit. exponendo prædictam prophetiam, vbi sic dicitur. *Messias, sicut scriptum est, hoc nomine vocabitur Dominus iustus noster*. Ex quibus manifestè patet Hieremiam etiam ex ipsorum Rabbinorum sententia loqui in eo loco de Messia, & illius nomen proprium esse Deum Iehoua; quo solus Deus appellari potest, & non alius, qui Deus non sit, & consequenter errant enormiter Hebræi, si Messiæ Diuinitatem inficiantur.

CAPVT TERTIVM.

Confutatur falsa quorumdam Rabbinorum expositio.

9. HEbræi post aduentum Saluatoris nostri patrantis ea mirabilia, & obstupenda prodigia, quæ solus Deus poterat operari; & quibus Deus manifestè ostendebatur, & à tota fidelium Ecclesia, vt verus Deus, & homo indubitatè credebatur, videntes se conuictos esse de Diuinitate Messiæ ex prædicto textu Hieremiæ, procurarunt astutia diabolica textum illum corrumpere, legendo sic, & mutando perspicua verba textûs: *Hoc est nomen, quod vocabit Dominus, iustus noster*, itaut fieret hic sensus: *Deus vocabit nomen Messiæ, iustus noster*: & sic per istos sacræ paginæ corruptores Messias non appellabitur Deus, sed tantum iustus noster. Vnde, vbi textus Hieremiæ habet Iereù, quod significat *vocabunt*, posuerunt Icreò, quod significat, *vocabit*.

bit. Similiter alium textum Hieremiæ cap.33. num.16. qui debet legi ſic: In diebus illis ſaluabitut Iuda, & *Ieruſalem habitabit confidenter*; *& hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*. Legunt illi ſic: *Hoc eſt nomen, quod vocabit eam Dominus* &c. Hi tamen duo textus Hieremiæ, debent legi, *vocabunt*, & non *vocabit*, tum quia aliter ineptus Prophetæ ſenſus euadet, tum quia illos ſacræ ſcripturæ textus cum verbo illo, *vocabunt*, legunt 70. Interpretes; quibus adhibenda eſt maior fides; cum fuerint homines tanta doctrina, & fidelitate, à Deoque illuſtrati, & ſimul Hebræi;& ideo Hebræi ipſi potius illis credere debent,quàm Recentioribus Rabbinis ſolitis ſacram corrumpere ſcripturam; vt ad ſenſum, quem ipſi perperam fingunt, detorqueant.

10. Vt autem ſciatur, quàm corruptores ſint Sacræ Scripturæ iſti falſi Rabbini, legatur vltimum caput Ezechielis, verſiculo vltimo. *Per circuitum decem,& octo millia; & nomen Ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem*. Ex iſto textu voluerunt probare Ciuitatem Ieruſalem appellandam eſſe Deum Iehoua; (vt conſtat ex Midras Tillim, & Ialcut) & ad hoc probandum dicunt ſic. *Non legas in eo verſiculo Ezechielis*, Sciama; quod ſignificat *ibidem*, ſed ſcema, *quod ſignificat, nomen ſuum*: itaut legatur, *nomen Ciuitatis Dominus nomen ſuum*: cum debeat legi, *nomen Ciuitatis Dominus ibidem*, qui eſt verus ſenſus Prophetiæ, in qua prædicebatur Eccleſiam, quæ eſt Ciuitas Dei, eſſe appellandam, *Dominus ibidem*, ſeu, quod idem eſt; *Deus in ea*: quia Deus eſt in Eccleſia, & iam hodie in Synagoga non eſt Deus, ſed diabolus.

11. Quæres, quomodo fecerint hanc vitioſam, enormemque mutationem? Mutata fuit ab illis litera vocalis A. ideſt punctum, quod ab ijſdem Camez vocatur, in aliam vocalem E hebraicè, ſceva, & ſublato vno puncto, hebraicè, Dagheſc à litera mem, & ponendo vnum aliud punctum vocatum Mappic in litera hè; mutata hæc puncta faciunt, quòd vocabulum denotans *ibidem*, legatur in modo; quòd deno-

denotet *nomen suum* : id quod est contra apertam rei veritatem, & contra Sacram Scripturam. Sed inquires, quam causam habuerint Rabbini ad hanc enormem sacri textus corruptionem inducendam? Prima causa est illorum malitia,& obstinatio,fataleque odium in Christum Saluatorem; volentium per eas, & similes corruptiones sacri textùs de Christo clarissimè loquentis ipsum Saluatorem exterminare,diabolo instigante;sed nunquam id efficere poterunt;imò sua illa obstinatione per Prophetas etiam prædicta sanctissimam nostram Religionem confirmant.

12. Secunda causa: quia cum ex primo, & vero sensu sacri textus, quòd, s, nomen Ciuitatis Ierusalem, i, Ecclesiæ Christi, sit *Dominus ibidem*, inferri vidissent, Deum solum esse in Ecclesia Christi, & non iam in Synagoga ob suam rebellionem; idcirco substulerùnt, particulam *Dominus ibidem*; & substituerunt malitiosè, *Nomen suum*: vt intelligeretur, nomen proprium illius Ciuitatis esse sanctissimum nomen Iehoua: quo quid falsius? imò in hoc eneruarunt authoritatem Dei dicentis per Prophetam nomen Iehoua soli Deo, & non alteri tribuendum, vt ex præcedenti capite liquet: & sic etiam prętenderunt infirmare nostrum argumentum de Diuinitate Christi: quasi dicant: licèt Messias vocetur Iehoua, non ideo sequitur, quòd sit Deus: nam Ierusalem vocatur Iehoua per Prophetam; & tamen ipsa non est Deus. Sed cum consequentia illorum fundetur in falsitate; ita mala consequentia redditur: nam legendum est. *Dominus ibidem*; vt habet textus verus, & non vt habet ab illis falsatus.

CAPVT QVARTVM.

Ostenditur secundo Diuinitas Messiæ ex eodem veteri Testamento.

13. MEssiam verum esse Deum non possunt Hebræi negare, si sedulâ mentis attentione perpen-

pendant prophetiam Isaiæ cap.8. versic.13. vbi sic dicit: *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester: & erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus in Ierusalem; & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur: liga testimonium, & signa legem in discipulis meis; & spectabo Dominum, qui abscondit faciem suam, & præstolabor eum.* Prophetia ista est clarissima: nam vocat Messiam Deum exercituum, id est Angelorum Cœlestis militiæ, ipsum esse sanctificandum, i, adorandum adoratione Deo debita, timendum vt Deum.

14. Quod verò Propheta planè loquatur de Messia Christo Iesu, probatur manifestè ex verbis illius Prophetæ: nam dicit, quando venerit Messias, futurum esse scandalum ipsis Hebræis; & quando venit Christus, ab Hebræis non fuit creditus; imò illis reputatur vt scandalum; quando venerabile Iesu nomen, cœlo amabile, Diabolo, eiusque sequacibus Iudæis formidabile vel aure sentitur: ergo Christus est ille Messias verus Deus, de quo loquitur Isaias. Imò ipsi Rabbini exponendo prædictam prophetiam dicunt tũc venturum Messiam, quando deficient duæ domus Patrum Israel; qui Patres, inquiunt, erant illa capita, Magistratusq; Captiuitatis Babyloniæ; & ille Princeps, qui erat in Hierusalem: hæc duo capita defecerunt, quando Christus Iesus venit; vt omnibus est notum: ergo euidenter constat Christum esse verum Messiam, qui illis fuit in petram scandali, vt dixit hîc Isaias; & consonat Simeon ille iustus, quando Messiam inter brachia suaui, dulcique amoris teneritudine tenebat, ab ipso adeo desideratum, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum... Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel Lucæ* 1.

15. Sed quæres, quomodo potest dici in ruinam, & in resurrectionẽ; in sanctificationem, & in petram scandali? est in ruinã, & in petrã scandali Hebræis, qui illum non credunt: est

in resurrectionem, & sanctificationē Christianis, qui in illum credunt. Quod verò Messias illa petra scandali sit, Rabbini etiam agnoscunt; vnde in cap. 28. Isaiæ vers. 16. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion* (hoc est in Ecclesia) *lapidem probatum, angularem, pretiosum in suo fundamento fundatum, qui crediderit, nō festinet.* Paraphrasis Caldaica exponit, Lapidem, i, *Regem Messiam*; & similiter Rabbi Salamon Petram illam exponit de Messia, vt supra vidimus; & idem Rabbi in versiculo 2. Micheæ cap. 5. *Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel*, exponit sic: *Iste Dominator est Messias Filius Dauid; & ita de illo dictum est esse Petram factam in caput odij ædificatori.* Ex his fit euidens demōstratio: Deus reuelauit per hunc Prophetā, illū esse Messiam venturū, qui vocetur Deus, qui à multis sanctificetur; multis sit in petrā scandali; qui multis sit ruina, & multis sit resurrectio; & qui venturus sit, quando deficient Principes Israel; totum hoc fatentur Rabbini, vt manifestatum est ex ipsorum verbis: sed Saluator noster Christus Iesus hæc omnia habet: illum omnes fideles toto orbe dispersi Deum adorant, illum sanctificant; multisque Hebræis obstinatis est in petram scandali, & lapidem offensionis; post illius aduentum iam populus Hebræus non habet Reges, & Principes; quod totum omnibus est manifestum: ergo Saluator noster Christus est verus Messias, & verus Deus: hæc consequentia est euidentissima, & negari non potest, nisi ab obstinatis, & intellectum habentibus obscuratum. Sin minùs; vel hæc Prophetia erat implenda, vel non erat implenda: si non erat implenda, Deus fuit fallax, & deceptor; si erat implenda; in quo impleretur, nisi in illo, qui habet omnia omnino, quæ Deus per Prophetam prædixit? Christus Dominus habuit omnia, quæ Propheta de illo prædixit, vt euidenter demonstratum est: ergo in Christo Domino Prophetia illa impleta fuit.

CAPVT QVINTVM.

Messiæ Diuinitas ex alijs Prophetijs ostenditur.

17. SEquentes Prophetiæ ita clarè de Messiæ diuinitate loquuntur; vt Hebræi ipsi vel cogentur negare apertam Scripturam, vel Messiæ diuinitatem confiteri. Isaias enim sic loquitur, cap.35. ver.4. *Dicite pusillanimis: Confortamini,& nolite timere: Ecce Deus vester veniet, vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & Saluabit vos.* Rabbi Salomõ cum cæteris Rabbinis agnoscunt Prophetam in hoc loco de Messia venturo certissimè loqui; ergo Messias est verus Deus: aliter Prophetia esset falsa.

18. Et idem Isaias, cap. 28. vers.5. sic ait: *In illa die Dominus exercituum, corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui, & Spiritus iudicij sedentis super iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam: verùm hi quoque præ vino nescierunt; & præ ebrietate errauerunt.* Vbi Propheta dicit. 1. Messiam esse Deum exercituum, i, Angelorum militiæ cælestis. 2. esse coronam gloriæ, i, Regem gloriæ, Sertum æternæ exultationis, i, obiectum æternæ beatitudinis, idque solùm ijs, qui residuum sunt populi sui, i, qui illum recipiunt, & credunt; non verò illis, qui illum non recipiunt, nec credunt, quia iam non sunt populus eius; vt dicit Daniel. cap.9. vers. 26. *Non erit populus eius, qui eum negaturus est.* 3. futurum esse Supremum Iudicem omnium hominum à primo Adam vsque ad vltimũ eius descendentem, id enim denotat Spiritus Iudicij sedentis super iudicium, i, supremum omnium iudicem. 4. illum esse fortitudinem reuertentibus à bello cum ductore Diabolo ad portam, id est ad Ecclesiã, quæ est domus Dei, & porta Cœli, iuxta illud Iacobi Gen.28.v.17. *Non est hìc aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli.* His titulis, quos tribuit Messiæ prædictus Propheta, confirmat id, quod prædixerat, nimirum Messiam Deum esse: solùm enim Deus potest esse Rex gloriæ, obiectum nostræ æternæ

exultationis,ac beatitudinis,ſupremus omnium iudex,ſumma noſtra fortitudo: quòd autem Propheta loquatur hîc de Meſſia, non ſolùm nos Chriſtiani id credimus; ſed ipſi etiam Hebræi Rabbini planè fatentur:nam paraphraſis Caldea per Targum de Ionathan ſic exponit hunc Textum: *In tempore illo erit Meſſias Dei*,s, Dei Patris: eſt enim Meſſias ſecunda Perſona à Deo Patre procedens, & ſic eum credimus Catholici in Symbolo Deum de Deo, &c.

19. Sed quæres, cur Hebræi videndo hanc clariſſimam Prophetiam in Chriſto Saluatore noſtro impletam, adhuc illum negent, ignorent; & in hoc tam enormiter errent? Idem Propheta aſſignat cauſam, in vltimis verbis prædictæ Prophetiæ. *Præ vino neſcierunt, præ ebrietate errauerunt*. quia,s, ſunt priuati iudicio;ſicut priuatur ebrius. *Præ ebrietate errauerunt*. Solùm enim, qui ſunt mentis expertes, patentem veritatem non aſſequuntur.

20. Non minùs clarè de Chriſti diuinitate loquitur idem Iſaias. cap.25. verſic.9. *Et dicet in die illa: Ecce Deus noſter iſte: expectauimus eum: & ſaluabit nos*. Dicit hic Propheta in die illa aduentus Meſſiæ ipſum Deum, quem Hebræi expectabant, venturum, digito eſſe oculis oſtendendum; dicendo: *Ecce Deus noſter, quem expectauimus*; &c. prout illum Baptiſta digito monſtrauit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi Ioan.* 1. verſic. 19. Neceſſe autem fuit, vt iſte Deus humanā carnem aſſumeret,vt oculis videri poſſet: nam ſciebant optimè Hebræi Deum non poſſe oculis videri, vt patet Exodi. 33. verſ. 20. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*: ergo ne Propheta diceret mendacium; quando dicit Deũ oculis oſtendendum, intelligitur de videndo Deum in carne aſſumpta; in qua Deus ſolùm poterat digito oſtendi noſtris videndus oculis, & hoc ipſum dicere voluit idem Iſaias c.30. verſ.20. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*. Si enim eſſet tantùm Deus præceptor ille Meſſias, & non Deus in carne humana viſibili, quomodo poſſet humanis oculis videri? Ex quibus manifeſtè patet,Deum ipſum prædici

dici venturum Messiam, sed in humana carne, vt posset oculis Deus ipse videri, digitoque monstrari.

21. Et hoc ipsum intelligunt Rabbini, s, Deum ipsum venire debere, vt ipse Deus esset Messias: nam in libro Midras Tillim exponendo versiculum illum Ps. 30. *In te Domine speraui; non confundar in æternum, in iustitia tua libera me*; sic dicitur, facta translatione fideliter de Hebraico in Latinum. *Dixerunt Israel coram illo. Non sumus nos redempti per manum Moysis, & sic per manum Iosuè, & per manum Iudicum, & Regum? & tamen iterum capti sumus, & subiugati, quasi redempti non fuissemus? Quibus Deus Benedictus respondit, & dixit. In tempore præterito; quia redemptio vestra facta fuit per manum hominis; qui hodie est hic, & manè in sepulchro; ideo redemptio illa vestra facta fuit temporalis, & momentanea: at nunc ego ipse per manum meam redimam vos: & quia ego sum viuus, & stabilis in æternum, ideo redemptio vestra æterna erit, vt scriptum est in Isaia.* cap. 43. *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel, noli timere, quia redemi te ... Ego Dominus Deus tuus sanctus Israel Saluator tuus.* & pergit exponendo textum. *Israel saluabitur per Deum salutis æternæ, & non erubescetis, nec confundemini in æternum.*

22. Ex quibus verbis etiam iuxta mentem Rabbinorum manifestè constat Redemptorem Messiam esse Deum æternum per redemptionem æternam, & non purum hominem, vt Moysem, & Iosuè per redemptionem temporalem; voluit enim, cùm sit Redemptor æternus; quòd redemptio foret æterna: siquidem est Redemptor animarum immortalium, & non tantùm corporum mortalium. Omitto hìc plures alias Prophetias, quæ manifestè probant Messiæ diuinitatem; quia illas ad aliud intentum infra adducemus. Volo tandem concludere caput istud cum illa eiusdem Isaiæ Prophetia cap. 44. vers. 6. *Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor eius Dominus exercituum: ego primus, & ego nouissimus.* Vbi Propheta manifestè vocat Deum exercituum, primum, & nouissimum, Regem Israel Redemptorem nostrum: omnes verò Hebræi vocant Messiam Redemptorem, & Re-

gem

gem Israel iuxta illud Zachariæ: *Ecce Rex tuus venit, &c.* & idem Isaias id ipsum confirmat clarissimis verbis. c.33. vers. 22. *Dominus enim Iudex noster; Dominus legifer noster: Dominus Saluator noster ipse saluabit nos.* Vbi vocat Messiam Deũ, Saluatorem, Legislatorem; & Hebræi credunt solum Deum illis legem dedisse. Id ipsum affert Propheta Oseas. cap. 7. vers. 13. *Væ eis, quoniam recesserunt à me, vastabuntur: quia præuaricati sunt in me; & ego redemi eos; & ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Hunc textum exponunt Rabbini pro Persona Messiæ in lib. Midras Tillim. Vbi Deus ipse loquitur de se, quando Iudæi ab ipso erant recessuri tempore sui aduentus in terram; & propter hoc illorum vrbem esse deuastandam: quia quando ipse eos redimebat; falsa testimonia contra illum dicebant, vt Redemptorem suum crucifigerent. Vnde Hebræi negare non possunt eum, qui hîc loquitur, Deum esse: sed hîc Deus dicit, se ipsum illos esse redempturum; & eos in ipsum falsa testimonia esse dicturos: ergo ipse Deus, & ipse Messias Redemptor est eadem persona diuina: aliter Deus ipse mentiretur, quod est omnino impossibile.

CAPVT SEXTVM.

Altera probatio, qua Messiæ diuinitas ostenditur.

23. Licèt ex prædictis Prophetijs, satis superque maneat probata Messiæ Sanctissimi diuinitas; cùm tamen Sacra Scriptura in rebus, quæ ad nostram salutem spectant, locuples, abundansque sit; ideo multiplicat probationes, & argumenta; quibus noster Saluator Messias verus Deus ab omni populo credatur: quia sine fide de illius diuinitate omnes certissimè damnabũtur. Vnde hìc euidens est probatio, quòd sit Deus, ex eo, quòd sit verus, & non adoptiuus Filius Dei. Ad quod supponendum est. Vt aliquis verus sit filius alicuius Patris, debet procedere ab illo similis in natura: Sic Abel filius fuit Adami, quia ab Adamo fuit genitus similis in natura. Supponendum est 2. similitudinem

in

in natura duobus modis fieri. 1. in natura ſpecifica; quo pacto Abel ſimilis eſt Adamo ſolùm in natura ſpecifica; quia illi non fuit communicata eadem numero natura Adami, ſed alia diuerſa numero,& ſolùm eadem in ſpecie,& ita fit in alijs filijs. 2. dari ſimilitudinem in eadem numero natura cum diuerſitate tamen perſonarum,prout latè vidimus in Materia de Trinitate.

24. Supponendum 3. in Deo ad gignendum eſſe impoſſibilem eam primam ſimilitudinem in ſpecie, ſed neceſſariò debere communicari Filio eandem numero naturam; quia natura Dei eſt eſſentialiter immultiplicabilis: vnde generando Filium neceſſariò illi debet communicare eandem numero naturam diuinam; & ideo hic Filius manet Deus,imo idem Deus per naturam diuinam eandem; ſicut in humanis remanet homo filius per naturam humanam eandem in ſpecie,ſed diuersā numero. Ex quo patet Meſſiam verum eſſe Deum, ſi probatur verum eſſe Filium Dei. Sicut patet Abelem eſſe verum hominem, ſi probatur verum eſſe filium hominis Adami. His ergo ſuppoſitis; ſic formatur hæc probatio: Qui eſt verus filius, habere debet naturam ſui Patris ſimilem eo modo, quo poteſt eſſe ſimilis, vel in ſpecie, ſi natura eſt multiplicabilis, vt in homine,vel in indiuiduo,ſi natura eſt immultiplicabilis, vt in Deo. Sed Meſſias Saluator noſter eſt verè Filius Dei: ergo eſt verus Deus. Conſequentia eſt manifeſta. Maior ab omnibus ſupponitur; & à nemine negatur. Solùm reſtat probanda minor propoſitio, nempe Meſſiam eſſe verū Filium Dei, quę probatur ex multis locis veteris teſtamenti; quod à Rabbinis non negatur. Ex Pſal.2.n.7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Vbi Pater æternus vocat Meſſiam Filium ſuum. Nec poteſt intelligi de Dauid: nam Dauid in die illo: quo, diuino afflante Spiritu, carmen illud ſacrum intonuit, non fuit genitus, ſed antea; & ſolùm de ſecunda Perſona, quæ eſt Meſſias,poteſt dici à Deo Patre: *ego hodie genui te*; quia ſemper illum generat;

rat; & eſt ſemper in actuali generatione Verbi Diuini; per totamque æternitatem generabit, itaut poſſit dicere illi: *ego hodie te genui, gigno, & in æternum gignam*: quia Verbum Diuinum, quod eſt Meſſias, habet ſuam generationē per actualem cognitionem ipſius Verbi productiuam: in qua actuali cognitione ſemper eſt Pater, fuit, & erit per totam æternitatem. Deinde Deus illi promiſit gentes, vt Regnum, & hæreditatem ſuam, & omnes terminos terræ, quod de ſolo Meſſia poteſt verificari.

25. Et quod intelligatur textus de Meſſia, id expreſsè habetur in Talmud in tractatu Succa, capite dicto Perec hechahil, vbi expreſsè dicitur textum loqui de Meſſia Filio Dei. Item Rabbi Salomon in expoſitione prædicti Pſalmi affirmat Rabbinos illum exponere de Meſſia; idem dicit Rabbi Dauid Chimchi ſupra eumdem textum; vbi ſic ait: *Aliqui exponunt hunc Pſalmum, de Gog, & Magog; ſed ille ibi nominatus eſt Rex Meſſias, ſicut noſtri Rabbini bonæ memoriæ expoſuere*. Et in Libro Midras Tillim dicitur textum illum: *Filius meus es tu*, de Filio Dei Meſſia intelligi debere. Et in expoſitione Pſal. 8. id ipſum affirmat per hæc verba translata de Hebraico in Latinum: *In tres partes diuiſæ ſunt tribulationes: partem vnam tolerarunt parentes mundi, & omnes generationes: ſecundam generatio deſtructionis: tertiam Meſſiæ generatio, at quando veniet hora eius; dicit Dominus Sanctus, & Benedictus, ad me ſpectat creare rem nouam; & ſic ait ille: Ego hodie genui te*. Ex quibus manifeſtum eſt, in Pſalmo declarari Meſſiam verum Dei Filium, etiam iuxta mentem Rabbinorum.

26. Imo in eodem Pſal. 2. verſic. 11. vbi textus Latinus habet. *Seruite Domino in timore, &c. ne fortè iraſcatur Dominus, & pereatis de via veſtra*. Textus Hebraicus habet. *Oſculamini Filium, &c. ne fortè ille iraſcatur, & pereatis de via iuſta*. Vbi clarè demonſtratur hunc Filium, de quo loquitur, Filium eſſe Dei; aliter non diceret; ne fortè iraſcatur ille, ſed ne fortè iraſcatur Deus; quod nomen non eſt in textu Hebraico; licèt ſit in textu Latino: quia nos optimè intel-

intelligimus hunc Filium esse Filium Dei, & bene scimus idem esse Filium ibi, atque Deum Saluatorem nostrum. Si ergo Hebræi dicunt; ne fortè irascatur ille Filius, & qui non sequetur viam eius, omnino pereat, & damnetur, quis potest esse iste Filius, qui sic damnet eos, ab ipsius via aberrantes, nisi ipse Deus Dei Patris Filius?

27. Notant verò hìc periti Hebraicæ linguæ, non sine mysterio explicari illic Filium per istam vocem Bar potius, quàm per aliud nomen Hebraicum, etiam Filium significās, quia nomen Bar tria significat, s, Filium, Innocentē, Frumentum; quæ aptissimè conueniunt Filio Dei Christo Saluatori nostro, est enim Filius vnicus, innocentissimus; de quo dicit Isaias cap.53. vers. 9. *eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius*. Est frumentum in Sacramento Eucharistiæ; in qua panē in suum Sanctissimum Corpus, & vinū in suū Sanctissimum, & pretiosissimum Sanguinem pro communione fidelium summa misericordia conuertit iuxta Ps. 120. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timētibus se.* De hoc igitur Filio, vt Dei Filio loquitur Midras Tillim in expositione prædicti Ps. 2. Vbi portat hanc comparationem: *Si vnus Rex iratus vellet aliquam sui Regni Prouinciā deuastare, & vassalli illi postularent à Filio, vt placaret Regem; & Rex placatus per filium illi Prouinciæ parceret; vassalique adijssent, vt Regi gratias agerent; Rex tunc responderet: Ite potius ad Filium meum gratias acturi: illi enim vestram liberationem debetis: sic, inquit Midras, fecit Rex Dominus; vt denotatur in isto Psal. 2. Osculamini*, i, adorate, Filium.

28. Aliqui Iuniores Rabbini hanc libri Midras interpretationem ita temperant, vt per Regem intelligatur Deus, per Prouinciam Mundus; per Filium Populus Israeliticus; & non Messias, proindeque corruit nostrum fundamentum. Sed hæc temperatio est prorsus falsa, iniqua, & textui violenta. Falsa: nam Deus loquitur cum populo Israelitico, vt adorent Filium suum, vt distinctum, & diuersum ab ipso populo: ergo non potest dici populus ille Filius: aliter Deus

diceret populo, vt adoraret ipsum populum, & non Deum. Iniqua: quia cùm populus sit creatura, iam Deus suaderet populo, vt adoraret creaturam, & non Deum; quod est idololatria; quàm Deus rigidè prohibet, & ideo illam non potest præcipere, imò strictè præcipit, vt solus Deus latriæ cultu sit adorandus iuxtà illud, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Textui violenta; quia textus apertè loquitur de Filio suo à se æternaliter genito, in illo hodie æternitatis: populus autem iam erat tempore genitus, quando Deus illi loquebatur; est etiam violenta, & contraria antiquis Rabbinis; qui, vt ex dictis constat, apertè de Filio Dei loquuntur, & non de populo Israelitico. Constat igitur manifestè loqui textum de Messia, quòd sit Dei Filius: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*.

29. Patens etiam est textus Danielis, cap. 7. n. 13. vbi sic ait: *Aspiciebam ergo in visione noctis: & ecce cum nubibus Cœli quasi filius hominis veniebat: & vsque ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ illi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur*. Hæc clarissima Prophetia tota est de Christo Saluatore nostro; vt nos Christiani credimus, neque etiam Hebræi negare debent, quamuis Hebræi hallucinati illam non penetrent, quia veræ fidei luce carent; & semper Prophetias etiam clarissimas de Christo Saluatore nostro ab illo intendunt, quasi nondum aduenerit Messias, seiungere; & sic suis in tenebris inuoluuntur, vt veritatis scopum non attingant.

30. Duo præcipuè continet. Primum: Messiam verè esse Filium hominis propter formam hominis. Secundum: esse Filium Dei propter formam Dei. Primum patet ex illis verbis: quasi Filius hominis. Particula, quasi, non minuit, sed indicat; qui est vsitatus modus Scripturæ, non ad diminuendum, sed ad indicandum, & demonstrandum: quemadmodum Ioan. 1. ait: *Vidimus gloriam eius; gloriam quasi vnigeniti à Patre*; Vbi Vnigenitum vult ostendere, non minuere.

Se-

Secundum liquet ex illis verbis: Peruenit ad antiquum dierum, i, ad Patrem; qui ita dicitur, quia Pater eſt prior origine, ſed non tempore. Particula, *Peruenit*, reſpectiuè ad humanitatem ſignificat vnionem eius ad diuinam Perſonalitatem Verbi, reſpectiuè ad Verbum Diuinum indicat generationem, per quam peruenit, ſeu accedit ad antiquum dierum, i, ad diuinitatem Patris, qui eam per generationem intellectualem Filio ſuo communicat; & conſtituit verum, & Vnigenitum Filium Dei. Sin minùs dicant Hebræi, ſi hic Filius eſt purus homo, & non Deus; quomodo habet poteſtatem æternam? nam Reges, qui ſunt filij creati, poteſtatem habent temporalem, non æternam; illorum Regnum non eſt perpetuum, ſed breui durans; ab illis aufertur; aut per bellum, aut per mortem: vnde Prophetia ſolùm poteſt adaptari Regi Chriſto æterno Dei Filio; cuius Regnum, i, Eccleſia vt militans in terra, ſemper durabit vſque ad finem mundi; vt triumphans in Cœlo ſemper erit per totam æternitatem. Ecce huic Regi æterno ſeruiunt omnes populi, omnes tribus, omnes linguæ, ſeu omnes diuerſæ linguæ nationes, in Europa, Africa, Aſia, America; & licèt multæ ſint Sectæ, qui illi non ſeruiunt, vt perfidi Hebræi, immundi Maometani, ſtulti Pagani: at in nulla parte mundi in quatuor partes diuiſi deſunt, qui Chriſto ſeruiant, & omnes etiam indiuidualiter in vltimis diebus illum adorabunt; & credent, etiam ipſi nunc obſtinati Hebræi, vt Prophetiæ clamant.

31. Sed dices. Si hæc Prophetia eſt de Filio Dei, cur Propheta non expreſſit Filium Dei, ſicut expreſſit Filium hominis? Facilè R. non eſſe neceſſe, quòd explicetur ſemper per nomen Filius, quando ponuntur verba, quæ explicant ipſam filiationem; vt hic explicat Propheta per generationem æternam Regis æterni, & habentis poteſtatem æternam; quæ non poſſunt accomodari, niſi Filio æterno. An, ſi probetur aliquem genitum eſſe à Petro, non dicetur filius Petri; niſi ponatur nomen filius? an, vt intelligamus Chriſtum eſſe Filium Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, non ſatis eſt, ponere Mariam, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus; licèt non

ponatur hoc nomen Filius? Concludimus igitur in prædictis Prophetijs Messiam Sanctissimum manifestè ostendi verum Filium; & hoc non posse negari, nisi ab obstinatissimis, quales sunt Hebræi.

CAPVT SEPTIMVM.

Ostenditur Messiam esse verum Filium Dei ex alijs Prophetijs.

32. Licèt ex prædictis Prophetijs satis demonstratum sit, Christum Messiam nostrum Sanctissimum esse verum æterni Patris Filium illi consubstantialem, eiusdemque naturæ diuinæ; ad maiorem tamen confusionem Iudæorum, iuuat huc alias Prophetias adducere, quibus hæc veritas ostendatur, & confirmetur, licèt alias omittam, quia sunt alibi ponderandæ. Probatur primò ex Psalmo 88. vers. 27. *Ipse inuocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ: & ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ: in æternum seruabo illi misericordiam meam; & testamentum meum fidele ipsi: & ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.* Hæc Prophetia clarissimè ostendit Messiam esse Filium Dei; siquidem in illa prædicitur, Messiam inuocaturum esse Deum Patrem suum: nam si Deus est Pater Messiæ, hic Filius Dei est: Pater enim sui Filij est Pater: & impleta est in Christo Domino, qui sæpius inuocauit Deum Patrem suum: vt patet ex Ioan. 17. *Pater, clarifica me apud temetipsum.* Et Lucæ 23. *Pater, commendo spiritum meum in manus tuas*, & sæpè alibi. Et Pater in hoc etiã Psal. 88. vocat ipsum Messiam Filium suum primogenitum: & quemadmodum vt Filius æterni Patris est Primogenitus, & Vnigenitus, quia Pater ante illum, & post illum nullum alium genuit; ita voluit, vt nasceretur ex Beatissima Virgine Maria primogenitus, & vnigenitus, quia Beatissima Virgo, nec antea, nec pòst habuit alium Filium; siquidem fuit Virgo ante partum, in partu, & post partum, vt

credi-

credimus ex Sacro Euangelio, & fuit prædictum per Prophetas, vt suo loco dicemus.

33. Dices. Multi Hebræi dicunt hunc Psalmum 88. intelligi de Dauid, & non de Christo. R. ipsos non attendere ad verba Prophetæ: si enim bene attendissent; non inciderent in illum errorē: siquidem quatuor dicit Deus per Prophetam in eo Psalmo, quæ Regi Dauid nullo modo possunt conuenire. Primum, esse ponendum vt primogenitum: & Dauid nō fuit primogenitus, neque vt priuata persona: quia habuit plures fratres grandiores; neque vt publica, seu vt Rex; quia prior illo fuit Rex Saul; vt totum constat ex Scripturis. Secundum, esse excelsum præ Regibus terræ; & hoc non potest accomodari nisi illi, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, quod de solo Rege Messia dicitur. Apoc. 19. n.16. vbi loquens de Christo sic ait: *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium*: non autem Dauidi, qui non fuit Rex Regum. Tertium, misericordiam Dei illi seruandam in æternum; quod solùm intelligitur de Ecclesia, non verò de Synagoga, in qua Dauid regnauit; & in qua non seruatur hodie misericordia Dei; imo est iam absque misericordia; vt omnes cognoscunt; cùm sint à Deo reprobati Hebræi, iuxta Prophetiam Oseæ. cap. 1. n.6. *Voca nomen eius absque misericordia; quia non addam vltra misereri domui Israel; sed obliuione obliuiscar eorum*; & solùm hæc Misericordia Dei perpetuabitur in domo Iudæ, i, in Ecclesia, quæ sequitur Christum Regem de Tribu Iudæ, non vt Regem temporalem, per arma, & exercitus, & equites, sicut alij Reges temporales. vt continuat Prophetia Oseæ. *Et domui Iudæ miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo; & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus*. Et nota Æternum Patrem dicere saluaturum eos in Messia, quem ibi vocat Dominum Deum ipsorum. Quartum, quod in Prophetia notatur, est, in Filio suo stabiliendum Thronum in perpetuum, & qui nunquam finiatur, sicut finiuntur dies terræ, per occasum Solis, sed durent semper, sicut dies Cœli, qui noctem non habent. Con-

ſtat autem Thronum Dauid eſſe finitum, poſt Chriſtum elapſis iam plus mille, ac ſexcentis annis; ergo non poteſt intelligi Prophetia de Rege Dauid, ſed de Chriſto vero Filio Dei, qui ab illo tempore regnat in Eccleſia, & regnabit vſque ad finem mundi, & poſt in triumphante per totam ęternitatem. Concluditur igitur Prophetiam ſolùm poſſe accõmodari Chriſto Domino, & ibi meritò vocari filium primogenitum Dei Patris. Et ideo conuicti Rabbini his rationibus fatentur textum illum Pſal. 88. loqui de Meſſia, & non de Dauid, vti legitur in lib. Rabboth, fol. 81. col. 4. exponendo verſiculum 2. Exodi. cap. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, &c.* vbi ſic habet. *Rabbi Natan dixit Deus Sanctus, & Benedictus dixit Moyſi: ſicut ego feci Iacob primogenitum, vti eſt ſcriptum: Filius meus primogenitus Iſrael; ita ego facio Regem Meſſiam primogenitum, vti eſt ſcriptum.* Pſalmo 88. ergo iudicat Pſal. 88. loqui de Meſſia, & non de Dauid.

34. Probatur ſecundò, ex verſiculo illo Exodi. cap. 4. *Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael.* Vbi Midras Tillim expoſitione Pſal. 2. ait hunc textum intelligi de Meſſia. Impletur tamen Prophetia hæc in Chriſto non ad literam, ſed in figura: ſiquidem ad literam textus loquitur de Populo Iſrael tunc habitante in Ægypto; erat tamen figura Chriſti: quia cùm tunc eſſet Populus fidelis, ſicut nunc eſt Eccleſia; erat corpus myſticum Chriſti Dei Filij. Sic Propheta Oſeas. cap. 11. n. 1. dicit ſic. *Quia puer Iſrael, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum*: vbi videtur *Propheta loqui* de Populo Iſraelitico, *quem vocauit, & eduxit Deus* de Ægypto: & tamen eſt de fide, illam Prophetiam impletam fuiſſe in Chriſto Dei Filio, quando cum Matre ſua Sanctiſſima, & Sancto Ioſeph redijt ex Ægypto in Nazareth, vt conſtat ex Matth. 2. n. 5. *Vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino* per Prophetam dicentem: *ex Ægypto vocaui Filium meum.* Vt hoc intelligas, aduerte Chriſtum Dei Filiũ duobus modis poſſe ſumi. Primo modo in ſuo corpore phyſico, & reali, ſeu perſonali. Secundò in ſuo corpore myſtico; quod eſt Eccleſia: vnde in hoc ſenſu, quilibet fidelis eſt pars Corporis

Chriſti

Christi: & totus cætus fidelium est Christus mysticè, & ideo quando Ecclesia patitur persecutionem, Christus eam pati dicitur, vt insinuauit Dominus, quando apparuit in via Saulo tunc persecutori Ecclesiæ; dicens, *Saule, Saule, quid me persequeris*. act. 26. n. 14. & sic etiam Messias verus Filius Dei dicitur agnus Apoc. 5. lit. D. occisus ab origine mundi, non in suo corpore physico, quod nondum erat natum; sed in suo membro mystico, i, in Abele iusto. Vnde sicut populus fidelis, qui est Christus mysticè, i, corpus mysticum Christi, dicitur filius Dei per filiationem adoptiuam, prouenientem à gratia sanctificante, iuxta illud Ioan. 1. *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*; ita Christus noster Messias Sanctissimus dicitur Filius Dei naturalis per Filiationem substantialem, siue sanctitatem increatam diuinæ subsistentiæ, & naturæ diuinæ. Concluditur igitur in eo textu Exodi prædici saltem mysticè, verum Filium Dei: si enim quilibet fidelis dicitur Filius Dei per filiationem adoptiuam gratiæ accidentalis, cur Messias Sanctissimus, non dicetur Filius naturalis per Filiationem sibi naturalem, & essentialem gratiæ substantialis increatæ?

35. Probatur tertiò ex Ps. 109. vbi dicitur, Messiam fuisse à Deo Patre genitum ante Luciferum, i, ante Solem; seu ab æternitate. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te*. Loquitur hic Æternus Pater Filio suo; & illic dicit: *Ego Principium semper fui tecum*; quia nunquam fui sine te, & semper fui tibi coæternus, & coæqualis. In die, i, æternitatis; in splendoribus Sanctorum, i, in ideis clarissimis Sanctorum fidelium hominum, & Angelorum; quorum omnium es Rex, & Princeps æternus. In die virtutis tuæ, i, naturæ diuinæ à me tibi communicatæ, ideoque iam tuæ. Ex vtero, i, ex intellectu meo fœcundo parturiente te conceptum substantialem, & Verbum, & sic ante Luciferum, i, antequam Sol, & astra, omniaque alia fuerint creata, te genui in æternitate. Hanc profundam illius Dauidici Carminis intelligentiam non capiunt Rabbini, quia vt talpæ lucem tantam non vident, quã-

quis

uis omnes Rabbini bene agnoſcant in eo Pſalmo ſermonem eſſe de Meſſia;& per illum Pſalmum explicatur æterna Meſſiæ, qua Verbum æternum eſt, Filiatio,per quam à Patre genitus dicitur Dei Filius. Si enim Pater illum ſic genuit;quis negare audeat Æterni Patris Filium eſſe?

36. Probatur quartò ex Prouerbiorum c. 30. n. 4. *Quod nomen eſt eius ; & quod nomen Filij eius?* Vbi Salomon interrogando, quod ſit nomen Dei,aut quod ſit nomen Filij eius, ſupponit Deum Patrem habere Filium ; & ſi verè habet Filium;quis eſt iſte Filius,niſi Chriſtus verus Meſſias Saluator noſter? & meritò per quandam admirationem,& ſuſpenſionem inquirit, quod nomen ſit Filij eius? & eadem mentis ſuſpenſione Iſaias admirabundus,ait:*Generationem eius,quis enarrabit?* cap.53. n.8. Vbi manifeſtè loquitur de Meſſia;& dum interrogat, quis poterit narrare eius generationem, ſupponit illum eſſe generatum per generationem mirabilem, tum eam, per quam generatur a Patre ſine Matre, vt eſt Deus Filius ab æternitate: tum eam, per quam generatur à Matre ſine Patre, vt eſt homo generatus in tempore:vtraque enim generatio eſt mirabilis: & quòd generetur à Patre, à quo accipit eandem numero naturam diuinam ipſius Patris: itaut per eandem numero naturam Dei Pater, & Filius vnus ſit Deus, & duæ Perſonæ,generans, & genitus: & quòd generetur à Matre Virgine ante , & poſt partum Virgine, quod miraculum eſt, & prodigium, nunquam antea auditum, vt conſiderauit Propheta Iſaias cap.7.n.14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum:Ecce Virgo concipiet,& pariet filium*. Concipiet Virgo, & pariet Virgo: in hoc eſt prodigium, in hoc eſt miraculum nunquam antea auditum.Non allego innumeros Sacri Euangelij textus, quibus nos Catholici nixi hanc veritatem de fide credimus, quia Hebræi, contra quos argumentamur, ſurdas ad Euangelium aures habent; nō item alia loca veteris teſtamenti ab illis non negati adducimus; quia prædicta ſufficiunt demonſtrationi;& plura officiunt breuitati: vnde ex omnibus in hoc, & præcedenti capite poſitis planè conſtat,Meſſiam Sanctiſſimum verum

rum esse Filium Dei; manereque demonstratam minorem nostri syllogismi propositionem de Christi diuina Filiatione: nam si naturalis Filius hominis, est verè homo; etiam naturalis Filius Dei est verè Deus.

CAPVT OCTAVVM.

Ostenditur ex veteri Testamento Messiam hominem esse debere.

37. BReuiùs ab hoc capite me expediam, præsertim quia Hebræi, qui vtique negant Messiam esse Deum, hominem esse non negant. Primò probatur ratione: quia Messias promittebatur venturus, vt mundum redimeret per actus suos meritorios: ergo necessariò deberet naturam creatam habere rationalem, quæ possit apud aliquem Superiorem mereri: nam Deus essentialiter Supremus non habet aliquem superiorem supra se, apud quem mereatur; aliter iam non esset supremus, nec Deus. 2. quia Messias debebat mundum redimere per suam Passionem, & mortem, vt infra ex scripturis ostendemus: ergo necessariò deberet assumere naturam passibilem, & mortalem: Deus enim est essentialiter impassibilis, & immortalis.

38. Probatur etiam ex veteri testamento. Primò ex Deuter. 18. n. 15. vbi dicit Moyses: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Hunc textum intelligi etiam de Messia est communis sententia Doctorum, etiam Rabbinorum: vnde particula, *de gente tua, de fratribus tuis, sicut me,* clarè denotat Messiam hominem esse, sicut erat Moyses, & fratres, i, fideles illius populi tunc fidelis; qui certè homines erant: ergo vel Prophetia fuit falsa; vel Messias verus est homo: Prophetia falsa esse nequit: aliter Deus mentiretur: ergo Messias verus homo est.

39. Dices. Rabbini communiter etiam hunc textum explicant per Iosuè: qui successurus erat Moysi in regimine po-

puli. Fateor hanc etiam esse illorum interpretationem, sed de Iosue in figura: quia erat figura Christi; de Christo autem, vt figurato; & vt ipsi etiam Hebræi agnoscunt, omnes prophetiæ, & figuræ vltimò ordinabantur ad Christum tanquam terminum legis, in ordine ad consummatam, perfectamque Ecclesiam Christianam. Et non est res noua, quòd vna prophetia in diuerso sensu loquatur de vno, & de altero diuerso. Sic Exodi 23. num. 21. *Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaueris; & est nomen meum in illo.* Vbi loquitur de eodem Propheta, de quo loquitur in citato loco Deuteronomij cap. 18. Hebræi verò hunc locum Exodi intelligunt de Iosue; & tamen non potest non intelligi etiam de Messia; siquidem ait hunc prædictum Prophetam habiturum potestatem dimittendi peccata; quam potestatem non habuit Iosue, nec alij Prophetæ, sed illam solus habuit Christus: & illam suo Vicario Sancto Petro Apostolo communicauit iuxta illud: quodcunque solueris, &c. ergo licèt Hebræi intelligant textum Deuteronomij de Iosue; multò magis debet intelligi de Christo: præsertim quia omnia verba illius textûs non possunt aptari Iosue: ait enim textus; suscitabit de futuro, & non suscitauit de præterito: ergo solùm possunt applicari illi Prophetæ, qui nondum erat eo tempore, quo prophetia fuit prædicta; & non illi, qui eo tempore iam existebat, vt tunc existebat Iosue: aliter non diceret: suscitabit: sed suscitauit. Concluditur igitur prophetiam loqui de Christo; & consequenter illum esse hominem, vtpote vnum de fratribus, sicut erat Moyses, qui fratres homines erant; licèt Messias vltra humanitatem includebat etiam diuinitatem; vt ostensum est supra.

40. Probatur secundò ex Isaia cap. 52. vbi manifestè loquitur de Messia, vt nos Catholici, & ipsi etiam Hebræi credunt, & versiculo 13. ita ait: *Ecce intelliget Seruus meus; exaltabitur, & eleuabitur; & sublimis erit valde: sicut obstupuerunt super te multi; sic inglorius erit inter viros aspectus*

eius;

eius; & forma eius inter Filios hominum. Iste asperget gentes multas: super ipsum continebunt Reges os suum: quia, quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt. Vnde si Christus est seruus Dei Patris, est homo; quia vt Deus, seruus Patris non est, sed illi æqualis. Forma eius inter Filios hominis: i, habet formam hominis; vnde sicut est Deus propter formam Dei; ita est homo propter formam hominis. Eadem prophetia de Christi humanitate expressissima est in eodem Isaia cap. 53. per totum: & ferè omnes prophetiæ, quæ de Christo sunt, de illo loquuntur vt carnem humanam assumpturo; vt Deus homines redimeret factus homo.

CAPVT NONVM.

Ostenditur ex veteri testamento Messiam esse hominem Deum.

41. QVamuis hæc veritas iam ex dictis constet; dum probatum est in superioribus capitibus esse Deum, & in præcedenti hominem esse: at in hoc capite ostendetur esse simul hominem & Deum; ne Hebræi decepti putent duos esse Messias, vnum, qui sit tantùm homo; & alterum, qui sit tantùm Deus. Probatur hæc veritas 1. ex Isai.9. num.6. *Paruulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo, & vsque in sempiternum.* Hæc prophetia est clarissima; & ex illa constat manifestè Messiam hominem esse; quia paruulus est natus; & Deum: quia eius nomen est Deus. Vnde verus homo, & verus Deus est. Et impleta est in Christo Saluatore nostro; qui natus fuit in Bethleem de Beatissima Vir-

gine Maria; ex familia, & domo Regis Dauid: eius imperium, i, Ecclesia Catholica, toto Orbe est multiplicatum, durat, & durabit in æternum. Est admirabilis, propter stupenda miracula, quæ fecit ipse per se, & per suos Apostolos, Sanctósque Martyres, ac Confessores: est verè Princeps pacis; quia per mortem suam, nos reconciliauit cum Deo, prout ipse dixit Apostolis, & toti Ecclesiæ: P*acem relinquo vobis; pacem meam do vobis*....

42. Hebræi conuicti hâc prophetiâ adeò clarâ, vsi sunt astutiâ quâdam diabolicâ; & in loco verbi, *Vocabitur*, posuerunt, *vocabit*: & legunt sic: *Deus admirabilis, & fortis vocabit nomen eius: Princeps pacis*: atque adeò volunt, quòd Deus non dicatur de Sanctissimo Messia Domino Deo nostro. Non erubescunt velle potiùs mutare Sanctam Scripturam, quàm suum obstinatum animum. Sed de stulta sua fallacia facilè conuincuntur: nam septuaginta interpretes, homines doctissimi, & Hebræi, ab ijsdémque Hebræis in magno honore habiti, summéque authoritatis etiam apud illos, legunt hunc textum, sicut habet nostra vulgata; & ita semper legebatur ante aduentum Christi; & solùm post eius aduentum, quia se prorsus conuictos videbant, posuerunt illam variationem; quâ redditur sensus ineptissimus, nisi omnes illi tituli Messiæ tribuantur.

43. Alij verò Hebræi non minùs stultè dicunt, prophetiam illam intelligi de filio Regis Achaz. Hæc tamen expositio fallissima est. 1. Quia illa nomina nullo modo possunt illi filio adaptari. 2. Quia istius imperium non fuit toto Orbe multiplicatum, imò attenuatum, & diminutum; siquidem in tempore istius Regis Senacherib plures ciuitates Iudæ bello cepit, quo etiam conuincitur, pacem in suo tempore non habuisse; quod totum constat ex.4. Regum c.18. Deinde eius regnum non durauit in æternum. Vnde summa istorum Interpretum stultitia planè dignoscitur. Imò Turgum liber apud Hebræos probatissimus, & liber Rabboth similiter apud illos, in summa æstimatione fol. 196. col.4. & alij Sapientiores Rabbini exponunt illum textum de

de Meſsia, & nullo modo de Filio Regis Achaz.

44. Probatur 2. ex eodem Iſaia cap.4. num.2. *Et erit in illa die germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio illis, qui ſaluati fuerint de Iſrael.* Quam Prophetiam intelligunt de Meſsia Rabbi Dauid Chimchim, & Rabbi Salomon, & plures alij Expoſitores Hebræi, & in illa prædicitur Meſsias Deus ſimul, & homo. Nam germen Domini, i, Filius naturalis Dei Patris, & ideo Deus, ſicut Deus Pater eius; quemadmodùm filius naturalis alicuius hominis eſt homo: deinde fructus terræ ſublimis, i, Beatiſsimæ Virginis in terra, iuxta illud *aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Iſai. 45. Si igitur Filius eſt Sanctiſsimæ Virginis, quæ naturam habet humanam, non ſolùm eſt Deus, ſed ſimul eſt homo. Dicitur exultatio non omnibus Iſraelitis, ſed illis, qui in illum credendo ſaluati ſunt; cæteris non erit exultatio, ſed ſumma triſtitia propter ſuam incredulitatem, & obſtinationem, illamque in Inferno in æternum infeliciſsimè patientur.

45. Probatur 3. ex Ierem.3. num. 91. *Et erit Dux eius ex eo, & Princeps de medio eius producetur, & applicabo eum: & accedet ad me. Quis enim ille eſt, qui applicet cor tuum, vt appropinquet mihi, ait Dominus: & eritis mihi in populum; & ego ero vobis in Deum.* Alij ex verſione Hebraica legunt, *Dux fortis mirabilis &c.* Hæc prophetia loquitur de Meſsia, vt etiam Rabbini fatentur, vt mox conſtabit: in ea demonſtratur Meſsias Deus ſimul, & homo. Dicitur fortis, quod eſt nomen, quod Deo tribuitur iuxta Pſ.92. *Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Dicitur mirabilis, quod prædicatum attribuitur Deo, iuxta eiuſdem Pſal. verſ.5 *Mirabilis in altis Dominus.* Princeps de medio eius producetur, i, erit homo de medio veſtrûm natus. Applicabo eum, & accedet ad me, i, vnietur mihi Deo per vnionem hypoſtaticam, à me ſupra vires naturæ productam; & ideo ego ſolus eum applicabo, i, vniam: nulla enim vis humana poteſt naturaliter illam ſupernaturalem vnionem producere; hoc denotant ſequentia verba: *quis enim ille eſt, qui*

appli-

applicet cor ſuum, (id eſt, efficaciter ex ſe) *vt appropinquet mihi*, per eam, videlicet vnionem? Vnde ſi hunc Ducem ſic explicatum, ſcilicet Meſsiam Deum ſimul, & hominem obſequiosè ſequamini; eritis (inquit Dominus) mihi meus populus, & ego veſter Deus: ex quo ſequitur, ſolum populum Chriſtianum eſſe populum Dei, Hebræi verò, qui Chriſti vexilla non ſequuntur, iam dici nequeunt populus Dei, ſed Synagoga Satanæ.

46. Ex quibus manifeſtè patet, Meſsiam eſſe ſimul hominem, & Deum: nam qui habet diuinitatem, & humanitatem Deo hypoſtaticè vnitam, eſt homo Deus; homo propter formam hominis; Deus propter formam Dei: ſed in hac prophetia Deus, qui mentiri non poteſt, per ſuum Prophetam prædixit Meſsiam, & habere diuinitatem, & humanitatem hypoſtaticè vnitam; vt patet ex verbis Prophetæ: ergo Hebræi, qui illam prophetiam amplectuntur, hanc veritatem non poſſunt negare. Quòd verò Propheta in eo textu loquatur de Meſsia, Deo, & homine, exponunt etiam ipſi Rabbini in libro Ghechitilia, exponendo illum textum Geneſ.cap.27.*Genuit autem Iſaac*, *&c.* Vbi hæc verba de Hebraico in Latinum fideliter translata ponuntur: *Erit Iſrael ſub iudicio ſeuero Dei; donec veniat Meſſias; qui vnietur ſecundæ Sefiræ* (quam nos Chriſtiani ſecundam perſonam dicimus) *quæ eſt Sapientia*, *ſicut ſcriptum eſt in Iſaia* cap. 11. *& requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, *Spiritus Sapientiæ; & deſcendet de Enſof*, *id eſt ex illa perſona*, *ſiue Sefira*, *quæ dicta eſt*, *ſine fine*, ſeu perſona, *quæ tota quidem eſt Miſericordia*, *& Spiritus gratiæ*, *& clementiæ*. Idem dicunt Rabbini in explicatione illius textus, *Donec veniat Seilò*, quod vocabulum ſcribunt per duas literas Iod, he, quæ ſignificant lit. A. *Ia* verò Hebraicè ſignificat Deum: & ſic alleluia, ſignificat laudate Deum, vnde iuxta ipſos Rabbinos Seilo, idem valet, atque Deus: fitque hic ſenſus: Donec veniat Deus; cùm verò ipſi etiam dicant Meſsiam gignendum eſſe ex familia Dauid, clariſsimè eruitur Meſſiam ſimul eſſe hominem, & Deum.

47. Pro-

47. Probatur 4. ex illa prophetia Danielis 7. ſupra ponderata cap.6. Vbi manifeſtè dicit Propheta, Meſsiam eſſe naturalem Filium Dei, & ſimul filium hominis, ideſt, Beatiſsimæ ſemper Virginis Mariæ, & conſequenter ſimul hominem, & Deum. Et hanc prophetiam loqui de Meſsia certiſsimum eſt; & id etiam affirmant Rabbini ipſi: nam Rabbi Sahadia ſupra eandem prophetiam dicit hæc verba: *Quaſi filius hominis: Iſte eſt Meſſias iuſtus noſter*. Et in lib. Zohar magnæ authoritatis apud Hebræos car. 45. fac. 2. dicit ſic: *Quaſi filius hominis: hic eſt Rex Meſſias*. Idem dicunt Rabbi Salomon, & Rabbi Abram Ben Eſra ad citatam prophetiam. Imò de quo loquitur, ſi de Meſsia non loquitur?

48. Dicunt Hebræi verum eſſe, loqui illîc Prophetam de Sanctiſsimo Meſsia; at ibi non probari eſſe Deum, ſed ſolùm purum hominem; vt demonſtrant verba: *quaſi Filius hominis*: & non dicit ibi: *quaſi filius Dei*. Nec item probatur eſſe Deus ex poteſtate æterna, perpetuoque regno ipſius Meſsiæ; nam totum id poteſt intelligi cum eo, quòd Meſsias ſit purus homo, & non ſimul Deus: ſi enim ſtabiliatur à Deo aliquod regnum, quod ſemper duret, vſque ad finem Mundi per plures Reges ſucceſſores cum eodem iure, & poteſtate; certè regnum illud perpetuum foret; & poteſtas illa Regia perpetua diceretur: & tamen nullus ex illis Regibus primo Regi ſuccedentibus Deus eſſet; ſed quilibet ſimplex eſſet homo. Hæc Hebræorum obiectio friuola omnino eſt, & quæ prædictæ prophetiæ ritè accommodari nullo modo poſsit. Nam Propheta dicit Regem Meſsiam futurum eſſe æternum; & quilibet ex illis Regibus ſolùm eſſet temporalis: deinde dicit huic Meſsiæ omnes nationes totius mundi eſſe obedituras: ſempérque manſurum Regem: nullus autem Rex dicitur ſuccedere, niſi illi Regi, qui iam non ſit Rex: ergo non poteſt prophetia verificari in illis Regibus continuatè ſuccedentibus; nam de nullo dici poteſt, quòd ſit æternus; quemadmodum Summi Pontifices Romani ſuccedunt, vnus alteri, & hæc

ſuc-

cessiua continuatio semper erit vsque ad finem mundi, & tamen nullus Pontifex dicitur æternus, potestatemque habent æternam, sicut Propheta dicit habiturum esse Messiam: ergo solus Saluator noster est ille Messias Rex æternus, & consequenter Deus, cùm habeat insigne Dei æterni; gubernatque regnum suum æternum, i, vniuersum populum Christianum toto Orbe dispersum, sed in vno sui Vicario Romano Pontifice supremo capite vnitam; gubernat, inquam, per se inuisibiliter, & per istum suum Vicarium visibiliter.

49. Ex quo patet, insignem Hebræorum errorem esse, qui existimant regnum Christi veri Messiæ non esse spirituale, sed merè temporale; quasi non esset indignum Deo ordinare omnes suorum Prophetarum prophetias, & mirabiles figuras totius testamenti sancti ad prophanas istorum miserabilium Hebræorum commoditates: & mirum est, quomodo isti excæcati Iudæi non videant temporalem Regem Regi æterno esse oppositum! Imò si regnum Christi Messiæ temporale foret, & non Spirituale, & Ecclesiasticum; falsa esset prophetia: nam temporale tempore finitur; vt ex ipsa experientia patet; at Spirituale, & Ecclesiasticum durat iam annis 1688. semper idem Christi regnum; vt ab ipsa experientia compertum est, & durabit vsque ad finem mundi; & post finem mundi regnum ipsum Christi, seu Ecclesia iam triumphans in æternum perdurabit: ergo, si prophetia non sumitur in hoc nostro sensu, prophetia erit falsa; & Deus ipse per Prophetam loquens mendacium dixit; quod nec ipsi perfidi Hebræi dicere audebunt.

50. Hanc etiam veritatem de Messia vero Deo, & homine probat prophetia illa Ezechielis cap. 1. num. 26. *Et supra fundamentum, quod erat imminens capiti eorum* (4. animalium) *quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni; & super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper*. Hanc prophetiam Ezechielis explicat Dauid Chimchim Rabbinus, itaut per illum hominem sedentem in illo throno debeat intelligi ipse Deus, quem locum Rabbi-

Rabbinus ille citat in expositione capitis 6.Isaiæ. *Vidi Dominum sedentem supra thronum excelsum*. Et ibi ait in vtroque Sacræ Scripturæ loco sedentem in throno Deum esse credendum: citatque Rabbinos suos conciliantes duo loca Scripturæ, quæ videntur inter se opposita. Primus locus est iam citatus Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem* &c. Secundus est Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet*. In primo dicitur Deum videri ab Isaia homine. In secundo dicitur Deum à nullo homine viuenti posse videri: at, inquit, nulla est implicatio: nam in primo loco Deus videtur in speculo, i, in humanitate assumpta; in secundo Deus consideratur in se; & non in speculo: & vtrumque est verum, s, quòd Deus, qui in se à nullo homine videri potest, in humanitate potest: ergo sensit Messiam, quem etiam ille Rabbinus ait prædici in eo loco, non solùm Deum esse, sed hominem; vt sic Deus ipse possit ab hominibus videri, ac tractari.

51 Confirmatur hæc veritas de Messia simul homine, & Deo ex Exod. cap.24.num.9. *Ascenderuntque Moyses, & Aaron, Nadab, & Abias, & septuaginta de senioribus Israel: & viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius, quasi opus lapidis Sapphirini*. Vbi nota; illic fuisse ab illis Deum visum sub forma hominis habentis pedes super thronum Sapphiri; prout postea vidit Ezechiel, vt dictum est supra: ex quo significabatur eis, Deum tunc solùm in hac vita oculis videndum in humana carne assumpta, quasi in speculo humanitatis suæ; iuxta id, quod supra allegati Rabbini exposuere. Idipsum legitur in libro Rabbot super Genes.cap.43. vbi exponit, quando Deus in Scriptura Sacra repræsentatur, vt homo; semper esse intelligendum, vt sit Deus, allegatque Psal.106. qui totus est de Messia Redemptore Deo ibi appellato, & simul manifestato homine per actiones meritorias; quibus solùm poterat mereri, vt homo; sumptus enim vt Deus tantùm, non poterat habere alium superiorem, apud quem mereretur: citat item cap.15. Exodi, vbi dicitur Deum esse hominem;

non quòd Deus ipſe, vt Deus habeat partes corporeas, ſed quia humanam naturam ſibi aſſumpſerit. Et in cap. 5. Iſaiæ verſ. 15. *Et incuruabitur homo.* Targum exponit: *Et debilis facta eſt hominis fortitudo*; vbi Rabbini in gloſſa, aiunt. *Iſte eſt Deus Sanctus, & benedictus; quem homines coegerunt, vt ſe ſineret videri ſicut homo.* Hoc ipſum dicunt Rabbini in libro Sifra, exponendo cap. 26. Leuitici verſ. 12. *Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter.* Vbi dicitur: *in ſæculo futuro* (per ſæculum futurum intelligunt ipſi Rabbini tempus aduentus Meſſiæ) *Deus benedictus ambulabit cum iuſtis, & iuſti cum illo erunt.* Quod verificatum fuit in Chriſto Deo noſtro; qui ambulauit cum Apoſtolis, & diſcipulis iuſtis, & ſanctis. Ex quibus manifeſtum eſt, non ſolùm nos Chriſtianos hanc de Meſſia vero Deo, & homine veritatem credere; ſed illam ipſos etiam Rabbinos agnouiſſe conuictos Sacræ Scripturæ teſtimonijs, & prophetijs.

CAPVT DECIMVM.

Oſtenditur ex Pſalmis Meſſiam venire debere vt hominem, & Deum ad ſaluandas animas.

52. QVamuis hæc veritas in multis alijs Sacræ Scripturæ locis expreſſiſſima ſit; ſufficiunt tamen, quæ ſupra ſunt adducta, & ponderata; ſolùm hîc volo ex Pſalmis teſtimonia non omnia, ſed aliqua breuitatis cauſa depromere, quibus manifeſtum fiat Hebræis, Meſſiam debere ſimul eſſe Deum, & hominem; & deinde alteram prophetiam Iſaiæ cap. 52. quæ manifeſtè conuincit Hebræos. Probatur igitur 1. ex Pſal. 2. iam ſupra ponderato, vbi dicitur Reges, & Principes concilium inijſſe aduerſus Meſſiam; in quo manifeſtatur illum eſſe hominem. *Aſtitere Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*; quæ prophetia impleta eſt in Chriſto Domino; quando Principes Hieruſalem conuenerunt in vnum, vt Chriſtus

ſtus crucifigeretur; & eis aſtiterunt Rex Galileæ Herodes, & Pro-Rex, ſiue Prætor Pontius Pilatus. Et ſubiungit num. 11. *Seruite Domino in timore &c. ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis &c.* vbi nos Pater Æternus exhortatur, vt illum adoremus, & timeamus, ne iraſcatur, & pereamus; in quo oſtendit illum eſſe Deum adorandum, & timendum; & mox addit n.13. *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Et Pſal.33.n.9. dicit beatum illum eſſe, qui ſperat in Deo. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, beatus vir, qui ſperat in eo.* Vnde ſolùm dicitur beatus, qui ſperat in Deo: ſed dicitur beatus, qui ſperat in Meſſia: Deus igitur eſt Meſſias: non poſſunt Hebræi negare hanc conſequentiam, ſi nolint à lege diſcedere. Quòd verò Pſal.2. loquatur de Meſſia, iam ſupra eſt oſtenſum.

53. Probatur 2. ex Pſalm.71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam Filio Regis.* In quo textu etiam ſecundùm Rabbinos, Meſſias loquitur Deo; in quo oſtenditur ipſum hominem eſſe; ſi enim non eſſet homo, quomodo Deo diceret: Da. Et dum dicit n.6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus; & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram;* oſtendit venire de Cœlo Deum: igitur in hoc Pſalmo euidenter oſtenditur, Meſſias eſſe ſimul Deus, & homo: quod magis infra declaratur, dum n.11. ait: *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei*: quomodo enim omnes Reges tribuerent cultum adorationis, niſi eſſet Deus? & deinde in eodem Pſalmo ait Meſſiam animas eſſe ſaluaturum; in eo omnes gentes benedicendas, i., iuſtificandas eſſe; illumque iam fuiſſe Filium Dei exiſtentem ante Solem, i, ab æterno; & ante mundi conſtitutionem, hoc enim denotat: *Ante Solem permanet nomen eius.* Vbi verſio Hebraica habet: Permanet Innon, i, Filius ſuus. Ab æterno autem nullus extitit Filius, niſi Verbum Diuinum ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ Deus eſt, vt etiam intonuit Apoſtolus, & Euangeliſta Ioannes cap.1. dicens: *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Igitur non poſſunt Hebræi

negare in isto Psalmo diuinitatem Messiæ, & simul humanitatem assumptam à Propheta prædici. Quòd verò Psalmus iste loquatur de Messia, docet cum omnibus Rabbinis Rabbi Salomon in expositione prædicti Psalmi; item Midras echa in expositione Lamentationum Hieremiæ,citans ibi psal.72.& idem asserit Midras Tillim,& glosa super eundem Psalmum: neque in hoc est vlla dubitatio inter Doctores Hebræos.

54. Probatur 3. hæc veritas de diuinitate, & humanitate Saluatoris nostri IESV Christi ex clarissima prophetia Isaiæ cap.52. quæ sola sufficiebat ad Iudæos perfidos conuincendos; ideo paulò altiùs illam volo hîc premere: sic enim ait Pater Æternus, loquendo per Isaiam de Messia Filio suo, & Redemptore nostro: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar; ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum leuauerunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dominus Sion. Consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem: parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.* Hæc prophetia ad vnguem impleta est in Christo Saluatore nostro. In prima parte loquitur ipse Deus; dicens in die illa, s, aduentus Messiæ, populum meum, i, populum fidelium illi credentium, sciturum esse nomen meum, i, perfectiori fide; quia anteà subobscurè tantùm nomen Dei cognoscebatur: post aduentum Messiæ scitur iam Deus perfectiori notitia, videlicet Deus Pater generans Filium, illi communicando eamdem suam substantiam, & essentiales perfectiones; quo Filius redditur idem Deus cum Patre; licèt origine, & personalitate ab illo diuersus: neque enim Pater est Filius, nec Filius est Pater: scitur Pater, & Filius per amorem mutuum sub-

stan-

ſtantialem, & æternum vnicus ſpirator ſpirans Sanct um Spiritum, illi per ſe primò communicando amorem illum ipſum, qui in vtroque eſt, & conſequenter eandem ip ſam naturam diuinam, quæ cum illo amore realiter eſt idem: qua diuinâ naturâ Spiritus Sanctus redditur idem Deus cū Patre, & Filio, licèt origine, & perſonalitate diſtinctus: neq; enim Perſona Patris, & Perſona Filij eſt Perſona Spiritus Sancti; neq; Perſona Spiritus Sancti eſt Perſona Patris, aut Filij. Hoc altiſſimum, & profundiſſimū arcanum ſolùm fuit expreſſiùs cognitum poſt aduentum Meſſiæ, qui illam mitabilem notitiam nobis dedit; dum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Matth. 28. n. 19. & idem nos edocuit dilectus eius diſcipulus Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta 1. cap. 5. n. 8. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, & hi tres vnum ſunt*. Sed de hoc ineffabili Trinitatis myſterio ſuo loco dicemus; poſtquam demonſtrabimus Hebræis veniſſe iam Chriſtum: eſſeque IESVM Chriſtum Saluatorem noſtrum, Beatiſſimæ Virginis Mariæ Filium, verum hominem, & verum Deum; qui idcirco nec fallere nos poteſt, nec ipſe falli. Ex quo patet poſt Chriſti aduentum nomen Dei fuiſſe diſtinctiori notitia ſcitum: & in hoc fuiſſe prophetiam impletam: propter *hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa.*

55. *Quia ego ipſe, qui loquebar; ecce adſum*. Si Meſſias eſt ille ipſe, qui loquebatur Deus, Meſſiam Deum eſſe negare non poſſunt Hebræi, aliter Deus mendax foret; quod ipſi dicere non audebunt. *Quàm pulchri pedes annuntiantis, & prædicantis pacem &c.* Bene oſtenditur Meſſias homo ambulantis hominis pedes habens. *Vox ſpeculatorum tuorum vocem leuauerunt &c.* Apoſtoli ſunt Meſſiæ; quia in omnem terram exiuit ſonus eorum. *Oculi ad oculum videbunt*: Meſſias Deus videbitur oculis in humanitate aſſumpta. *Conſolatus eſt populum ſuum, redemit Ieruſalem*: hoc in Simeone ſene populum repræſentante impletum eſt; quando dulciter inter brachia Meſſiam adhuc lactentem tenuit; & conſolatione, gaudioque delibutus,

butus, dixit: *Nunc dimittis seruum tuum, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Luc. 2. *Expectabat enim ipse consolationem Israel; & responsum acceperat ab Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Parauit Dominus brachium suum in conspectu gentium.* Brachium suum est Verbum, per quod fecit omnia: omnes gentes illud in assumpta carne viderunt iuxta illud: *& videbit omnis caro salutare Dei nostri.* Alij enim illud viderunt oculis carnis; alij verò oculis fidei, & ideo subiungit: *Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.*


56. *Ecce intelliget seruus meus.* Loquitur hìc Pater Æternus; & Messiam vocat Seruum suum; in quo innuit illum etiam esse verum hominem: si enim Messias esset solùm Deus; seruus non esset: quia Deus non habet alium supra se, cui seruiat. *Exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.* Rabbini communiter dicunt per has tres exaltationes significari Messiam esse exaltandum. 1. Supra Abraham. 2. Supra Moysen. 3. Super omnes Angelos: in hoc enim statu tres sortes rerum sublimium considerantur; Homines, Angeli, Deus: sed per ipsos Rabbinos Messias exaltabitur supra homines sublimes, Abraham, Moysem, & consequenter super omnes alios; & deinde supra omnes Angelos; ergo Messias collocatur in illo supremo ordine diuinitatis: item ter dicitur eleuari Sanctissimus Messias. 1. per humanæ naturæ ex beatissimo Mariæ Virginis vtero assumptæ ad subsistentiam Verbi. 2. ad gloriosissimam Resurrectionem. 3. ad sublimem eius ad Cœlos ascensionem, vt ad dexteram Patris sederet. Quòd autem tota hæc prophetia Isaiæ loquatur de Sanctissimo Messia Saluatore nostro, est manifestum ex ipso sacro textu; quia id de nullo alio potest intelligi: & id docent Rabbini in Targum supra eundem textum: & habetur in libro Ialcut in Isaiæ cap. 25. Igitur

in

in tota hac prophetia duo præcipuè oſtenduntur, humanitas, s, & diuinitas Meſsiæ, vnde contra Hebræos fit hoc dilemma: vel Meſsias Sanctiſsimus eſt Deus ſimul, & homo; vel prophetia illa eſt falſa: prophetia falſa eſſe non poteſt; aliter Deus foret mendax: ergò Meſsias eſt ſimul Deus, & homo; Chriſtus videlicet Redemptor noſter; qui aliter non poſſet plenè ſatisfacere pro iniuria Deo facta, niſi & foret homo, vt tanquam inferior poſſet mereri; & eſſet ſimul Deus, vt poſſet meritum infinitè dignificare: ac ſic ſaltem ſecundùm quid infinitam hominum culpam poſſet ſimpliciter infinito hominis Dei merito compenſare.



LIBER



LIBER SECVNDVS.

De qualitatibus, & signis veri Messiæ, qui est Saluator noster Deus, Beatissimæ semper Virginis MARIAE Filius.

CAPVT PRIMVM.

Ostenditur Messiam debere nasci ex Matre semper Virgine.

1. NVS ex articulis nostræ Fidei est; quòd Christus Saluator noster natus sit ex MARIA Sanctissima semper Virgine. Id non volunt concedere obstinatissimi Iudæi. Sed conuincuntur manifestè ex multis locis veteris testamenti; cui ipsi credere tenentur, nisi velint à sua ipsorum lege discedere. Primus locus est Ierem. 31. n. 22. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga: quia creauit Dominus nouum super terram. Fœmina circundabit virum.* Hoc est in virgineo concipiet vtero per stupendum, & nouum Dei miraculum. Quid enim noui, si, quemadmodum cæteræ matres, prolem in non iam virgineo clauderet vtero? illud verò spectatâ Dei potentiâ non debet impossibile iudicari: quod bene explicauit Angelus Dominæ nostræ Virgini Sanctissimæ, concepturæ diuinam prolem permanente eius illibata virginitate, dicens: *quia non est impossibile apud Deum omne Verbum.* Luc. 1. Et hoc ipsum iam Deus ostenderat in illa mirabili figura,

figura, quando visa fuit Moysi flamma, quâ rubus arderet, & non combureretur. Exod.3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Virgo Spiritus Sancti flammâ concepit, incombusto virginitatis flore.

2. Dicunt Hebræi, quo pacto potuisset è virgine nasci Filius? Sed ab illis inquirimus, quo pacto ex sicca Aaronis virga flos germinari, & amigdalus produci potuisset? Respondent id ex miraculo factum, bene; sed excæcati Iudæi cur non attendunt ad verba Prophetæ dicentis, conceptum ex beatissima Virgine Messiam, de quo illic loquitur, vt mox videbimus, fuisse rem nouam super terram. *Nouum fecit Dominus super terram. Fœmina circumdabit virum.* Sicut ergo virga illa Aaronis planè sicca florem, & fructum diuina operante virtute germinauit; sic Beatissima Virgo in Aaronis virga mirabiliter figurata, veluti virga sicca, i, sine virili semine, Spiritus Sancti operante virtute Christum Dominum verum Messiam generauit.

3. Quòd autem Ieremias in illa prophetia loqueretur de Messia, manifestè constat ex ipso textu: pondera verba, & sensum intelliges. *Fœmina circundabit virum.* Virgo circumdat vtero virum, virum quidem non tempore, sed prudentia, sapientiaque: solus enim Messias, dum adhuc erat in vtero infans, omnem habuit scientiam, quam postea habuit vir; diuinam, quâ vt Deus Patrem, se, & Spiritum Sanctum; creatam beatificam, quâ vt homo beatus Deum; per se infusam, quâ supernaturalia naturaliter non cognoscibilia; per accidens infusam, qua naturalia per se naturaliter cognoscibilia cognoscebat; solùm deerat experimentalis, quia nondum experiebatur in tenello corpore; quæ postea in iam adulto expertus est: hoc quidem nouum, & inusitatum super terram; hoc nunquam antea auditum, & ideo meritò ait Propheta. *Nouum creauit Dominus super terram.* Subiungit Propheta: *Adhuc dicent verbum. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iusti-*

tiæ, mons ſanctus. Chriſtus nobis benedictio eſt, ſplendor virtutum, mons Sanctus in vertice montium collocatus; & Meſsiam montis nomine ſignificari, infra ex varijs Sacræ Scripturæ locis clariſsimè patebit. *Inebriaui animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſaturaui*. Ideſt, gentes, & populos antea infideles, fidei, & veræ Religionis pabulo ſaturaui, quod fecit Chriſtus per ſe, & per ſuos Apoſtolos, & facit nunc per ſuos miniſtros Euangelicos. Sequitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iudæ fœdus nouum; non ſecundùm pactum, quod feci cum Patribus veſtris in die, quâ apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti; pactum, quod irritum fecerunt*. Ideſt in diebus aduentus Meſsiæ, aliud erit teſtamentum, nouum quidem ſed æternum, quod non irritetur, hoc eſt; quod non finiatur, & reuocetur, ſicut finitum, & reuocatum fuit primum, & vetus teſtamentum: hoc impletum eſt in Chriſto Saluatore noſtro; qui hoc nouum teſtamentum ſuo pretioſiſſimo Sanguine firmauit iuxta illud: *Hic eſt Calix Sanguinis mei, noui, & æterni teſtamenti, myſterium fidei*. Et oſtendit Deus differentiam vtriuſque teſtamenti, & pacti, veteris, s, & noui. 1. fuit, quando fuerunt educti de captiuitate Ægypti. 2. de captiuitate peccati. Primum erat medium ad ſecundum, ſecundum erat finis primi: ſed quia Hebræi non receperunt ſecundum; ideo primum illi fecerunt irritum, & inane; quia iam illis non ſolùm non proficit, ſed officit; & ſic remanent in captiuitate peccati, ſuâ quidem culpâ; ipſi irritum fecerunt. Sequitur. *Si defecerint leges iſtæ*, i, ſi leges iſtæ Meſsiæ, quæ ſunt legis nouæ, & gratiæ, ab eis non acceptentur, *ſemen Iſrael deficiet; vt non ſit gens coram me cunctis diebus*, i, non erit ex ſemine illorum Rex, aut Princeps, & gens iſta ſine Rege, & Principe, gens quidem erit, ſed non coram me; quia non erunt in gratia apud me, idque *cunctis diebus*, i, ſine fine. Subiungit Propheta. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ædificabitur Ciuitas Domino*; i, Chriſto ædificabitur Eccleſia, quæ eſt

Ciui-

Ciuitas Dei. Sequitur: *Sanctum Domini non euelletur, & non destruetur vltra in perpetuum*. Hoc est, hoc Sanctuarium Domini, scilicet Ecclesia, non destruetur in æternum; & ideo dixit idem Dominus loquendo de Ecclesia; *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*.

4. Ex his manifestè patet Ieremiam in hac prophetia loqui de Messia, quia solùm illi possunt accommodari ea, quæ ibi dicit: & consequenter verba illa: *Fœmina circundabit virum &c.* tanquam quid nouum, quod creauit Dominus super terram, verè intelligit, natum fuisse Messiam ex beatissima Domina nostra semper Virgine; quod nos Christiani firmiter credimus, iuxta illud: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*. Et hoc etiam ostenditur ex illo: *Egredietur virga de Iesse; & flos de radice eius ascendet*. Is. 11. n. 1. Virga illa descendens ex Regio sanguine Dauidis filij Iesse est beatissima Virgo, quæ, vt ostenditur in Genealogia Christi Matth. 1. verè ex Dauid descendit; imò & ipsi Hebræi non negant, per virgam illam intelligi Matrem Messiæ. Vnde nota mysterium: flos, qui est Christus, de quo dicitur: *Ego Flos Campi*, non dicitur ex ramo iuncto cum radice, sed ex ipsa radice, & non ex ramo (quod est, quid nouum, & inusitatum) mirabiliter ascendere; idest ex sola Matre Virgine sine vllo consortio Patris: quod etiam non sine mysterio Deus promisit Dauidi Ps. 131. *De fructu ventris tui ponam supra sedem tuam*. Sola fœmina habet ventrem fructiferum, non vir; vt denotaret fructum illum mirabilem solùm esse virginis, non viri: vnde dicitur venter ille purissimus, ac virgineus venter Dauidis: quia à Rege Dauid descendit, quod etiam confirmatur ex illo Cantic. 7. n. 2. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs*. Triticum est Messias, qui quidem est panis, qui de cælo descendit. Ex ventre virgineo, vtpote virginitatis lilijs vallato, triticum illud natum est.

5. Aliqui Hebræi solita sua execrabili vesanæ mentis obstinatione, vt fugiant veritatem apertam, & conuincentem, dicunt per fœminam illam non intelligi Matrem

Mesſiæ,ſed Synagogam,quæ circumdedit Chriſtum.Sed ab illis inquiro, quid intelligant per id, quòd Synagoga circumdederit Chriſtum, an vt per id explicetur illa alia prophetia, Pſ.21.n.7.*Circumdederunt me canes multi*?Si ita volunt;iam confitentur Synagogam canem, non matrem. Si tamen intelligant per fœminam legem veterem,quæ velut in vtero ſuo continebat Mesſiam promiſſum; verè iam errauerunt ab vtero: vt de illis ait Dauid Pſ.57.n.4.quia ſic conceptum myſticè in vtero legis veteris, non recipiunt iam natum in lege noua: & ſic non volunt natum; quem ſemper volunt eſſe in vtero clauſum, quin vnquam in lucem prodeat: errant ergo ab vtero. Vt meliùs rem percipias, & Hebræorum ſtultitiam perſpicias, duobus modis poteſt mater vſurpari. 1. vt ſit mater legalis, & myſtica. 2. vt ſit mater phyſicè, & realis. 1. modo quælibet Reſpublica dicitur ciuis cuiuſcunque ibi nati mater. 2. modo, ſolùm eſt mater illa fœmina, quæ illum filium realiter, & phyſicè genuit; vnde ſi Hebræi loquuntur de matre 1. modo, verum dicunt, quia Sacræ Scripturæ paſſim dicunt Mesſiam ex populo Hebræorum naſciturum; ſed explicatio hæc non venit ad propoſitum Prophetæ; quia in hoc loco non loquitur de matre legali, ſed phyſica, & reali; ait enim hanc fœminam virginem quidem concepturam, & parituram Mesſiam, quod quidem meritò dicit quid nouum, & prodigioſum, ſcilicet ex fœmina virgine naſci filium; illud autem genus filiationis legalis, ſcilicet, quòd vnus ciuis ſit indigena alicuius Reipublicæ, & Nationis, non eſt quid nouum, & inuſitatum, ſed ordinarium, & vulgare. Proindeque falſa Hebræorum expoſitio à mente Prophetæ omnino aberrat: vnde patet eos hinc inde ſemper inquirere modos, quibus effugiant veritatem, & malle ſuâ culpâ damnari, quàm verâ intelligentiâ inſtrui.

6. Imò ipſi etiam Rabbini,qui Sacram Scripturam meliùs penetrarunt, Mesſiam ex Matre ſemper Virgine agnouere. Nam in libro Rabboth fol.15.col.4. in expo-

ſitione

ſitione capituli 4. Geneſ. ad illa verba num. 25. *Vocauitque nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel*. Ibi Rabbi Tanchuma, alio nomine Rabbi Samuel ita ait: *Illud conſiderauit ſemen; quod alio ex loco venire debebat; & quale*, inquit, *eſt illud? eſt Rex Meſſias*: quæ verba in eodem libro leguntur in cap. 19. Geneſis, & in expoſitione Ruth. Igitur hi Rabbini non tantùm conſiderarunt ad literam ſemen illud per nouum filium Seth nouiter natum pro Abele occiſo, ſed Sanctiſsimum Regem Meſsiam, & Saluatorem noſtrum IESVM Chriſtum; quem conſiderabant, vt ſemen longè diuerſum ab alijs, & ex alio loco, i, alio diuerſo vtero, ſcilicet virgineo; aliter non eſſet diuerſæ, ſed eiuſdem rationis. Et Rabbi Moyſes maximè ab Hebræis celebratus, & Rabbinorum magiſter appellatus, exponendo verſiculum illum Geneſis 37. nu. 2. *Audiens autem* Ruben *dicebat &c.* allegat ibi Rabbi Berachiam exponentem caput vltimum Threnorum nu. 3. *Pupilli facti ſumus abſque Patre*, vbi dicit: *Dixit Rabbi Berachia, Dominum Sanctum, & benedictum dixiſſe Iſraelitis: Dixiſtis coram me: Pupilli facti ſumus abſque* Patre; *Redemptor ille, quem faciam ſurgere ex vobis, Patrem non habet, ſicuti ſcriptum eſt* in Zaccaria cap. 6. nu. 12. *Ecce vir oriens nomen eius; & ſubter eum orietur*, i, *ex ſe ipſo germinabitur, & non ex aliquo viro*. Et Iſaia 53. num. 2. *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti*, i, *de terra ſicca. Et ſic etiam dicit* Dauid Pſal. 110. num. 5. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, i, *ſecundùm* Codicem Hebraicum, *ex Aurora matrice erit ros Natiuitatis tuæ; & de eo dicit Scriptura* Pſal. 2. *Ego hodie genui te: ego Deus, & non vir aliquis*. Hactenus Rabbini illi; qui dicunt 1. Meſſiam generandum eſſe ex Matre abſque Patre. 2. germinandum eſſe ex Matre ſua, non ex coniugio viri alterius, ſed ex ſe, i, ex virtute diuina ſibi vtpote Deo propria. 3. naſciturum ſicut radicem de terra ſicca, i, de virgine non fœcundata à ſemine vllo viri, & ſic terra ſicca. 4. naſciturum Meſſiam, ſicut ex Aurora naſcitur Sol: vnde quemadmodum non

ali-

aliter Aurora concipit Solem filium, nisi recipiendo ipsius Solis radios, ita Beatissima Virgo non aliter concepit Messiam verum Solem iustitiæ, nisi recipiendo solares Numinis radios, i, virtutem Altissimi; quod exprimit Euangelica historia. Luc. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi; & ideo, quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*. 5. Messiam Sanctissimum gignendum esse ex Matre sua, & ex solo Deo; & sic dixisse Deum: ego, & non vir aliquis, ex Matre tua genui te. Igitur non possunt Hebræi negare, Messiam debere nasci ex Matre Virgine, nisi negando Sacras Scripturas, & Rabbinos suos celebriores, illas scripturas allegantes, ac secundùm verum illarum sensum interpretantes.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur ex alia prophetia Messiam ex Matre Virgine semper Virgine nasci debere.

7. CLarissima est alia prophetia Isaiæ 7. n. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Impleta fuit hæc prophetia in Christo Saluatore nostro: vt constat ex Euangelica historia. Luc. 1. n. 14. *Dixit autem MARIA ad Angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: & respondens Angelus, dixit: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et subiungit: *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Et postea id ipsum confirmauit, quando Ioseph Iustus, & Sanctissimus voluit dimittere occultè MARIAM suam Coniugem grauidam, sciens non esse se illius prolis Authorem, ignarus adhuc mysterij; Angelus tunc ei apparuit: *& Ioseph*, inquit, *Fili Dauid, noli timere accipere Mariam Coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem Filium,*

lium, & vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Matth.1.vers.20.

8. Perfidi Iudæi videntes hac clarissima prophetia se omnino conuinci, multipliciter respondent. 1. verum esse Messiam nasciturum de Matre Virgine, quia id Propheta clarè dicit: at, inquiunt, prophetia potest intelligi de altero indiuiduo, non de isto Filio Mariæ: non enim in prophetia specificatur hoc numero indiuiduum. Sed hæc proterua responsio manifestè conuincitur; nam etiam Propheta non nominat expressè aliud indiuiduum, quod ipsi confingunt: ergo illi etiam non credent: & ideo illorum spes irrita, & inanis erit semper; deinde, dicant nobis, quis alius potest Messias ab illis confingi, cui competant omnia omnino, quæ à Prophetis prædicta sunt; sicut competunt omnia omnino, huic nostro, quem nos adoramus, Messiæ? vnde vel est futurus alius, cui competant omnia, quæ competunt nostro; vel non est futurus: Si est futurus, & non habeat plus, quàm quod noster habet, vt verè non debet habere; aliter non esset ille à Prophetis prędictus; non habebunt efficacius motiuum credendi illi, quàm isti: si ergo non credunt isti; etiam non credent alteri; cùm non detur disparitas. Deinde si est futurus alter omnino æqualis, Deus nos redderet suspensos, & dubios, qualis esset verus, & qualis falsus; & sic nos exponeret periculo errandi, amplectendo falsum pro vero, ad erroremque nos impelleret; quod dicere est manifesta blasphemia; igitur ne sequatur hoc absurdum, debent necessariò concedere non esse futurum alium, in quo impleantur omnes omnino prophetiæ, quæ in nostro omnino impletæ sunt; si non est futurus; & illum sperant; sunt stulti sperando id, quod sciunt non esse futurum: igitur si fatentur Prophetam hîc loqui de Messia, & dicunt non loqui de nostro, vel sunt stulti, vel blasphemi.

9. Alij Hebręi obstinatiùs adhuc obluctantur dicendo, hoc nostrum argumentum dependere à veritate Euangelica; quam tamen ipsi non amplectuntur, vt historiam sacram,

ſed humanam, & fallibilem: ac proinde totam vim argumenti noſtri contra illos corruere. Sed hæc obiectio facilè diluitur: nam, dicant nobis, an adimpletio illarum prophetiarum probari debeat per aliam hiſtoriam Euangelicam diuerſam ab iſta noſtra, quæ ſit ſacra, vel quæ ſit humana; ſi dicant debere probari per aliam, quæ ſit ſacra, quid amplius poſſet illa habere, quàm habet noſtra; tot miraculis probata; tantis teſtimonijs ſanctiſſimorum hominum, vt fuerunt Apoſtoli, ſanctiſſimi Euangeliſtæ, tantâ concordiâ inter ſe in ordine narrandi, tam ſanctis legibus, & documentis adeò ſalutaribus, tot prophetijs verificatis non ſolùm à Chriſto Domino prædictis, ſed à ſuis diſcipulis, & Chriſtianis illum ſequentibus; quæ quidem, vt Deus dicit per ſuos Prophetas, ſunt ſigna euidentia aſsiſtentiæ Spiritus Sancti; per quem ſolum ſacra efficitur hiſtoria; quare ſi hanc noſtram hiſtoriam vt ſacram non accipiant, etiam illam, quam ipſi futuram confingunt, non recipient; & ſi illam recipient, cur hanc non recipiunt, cùm inter illas nulla poſsit eſſe diſparitas? Et hîc inſtauratur noſtrum ſupra poſitum argumentum: Si Deus faciat duas ſacras hiſtorias Euangelicas cum eiſdem ſignis, & efficacibus probationibus probantibus diuerſos Meſsias; noſtrum, & ſuum, quem ipſi confingunt; certè Deus nos reddet ſuſpenſos, ac dubios, qualis ſit ſequendus, vt verus; noſque exponet periculo ſequendi falſum pro vero, manifeſtèque nos impellet ad errorem; quod dicere blaſphemum eſt; dicendum ergo eſt impoſsibilem eſſe aliam hiſtoriam Euangelicam de diuerſo à noſtro vero Meſſia. Quòd ſi contenti ſint hiſtoria alia Euangelica, quæ tantum ſit humana, & non ſacra; quid amplius poterit illa habere, quod iſta noſtra ſacra quidem, quam ipſi dicunt humanam, non habeat, vt plus habeat authoritatis, quàm noſtra? Si ergo huic noſtræ non credunt, cur credent alteri? & ſi alteri credent; huic noſtræ cur non credunt? Si nec noſtræ, nec alteri, ſemper erunt in perpetua incredulitate.

20. In-

10. Instant adhuc obstinatissimi Iudæi, nostram Religionem, & historiam Euangelicam non habere infallibilitatem; quia non fuit approbata à Synagoga, quæ tunc erat vera Ecclesia fidelium, nec à Summo Sacerdote: vnde, inquiunt, sicut nos dicimus nullam congregationem, & nullam definitionem habere infallibilitatem; nisi à nostro Summo Sacerdote Pontifice Romano, vel ab Ecclesia nostra, seu vniuersali Concilio capiti suo vnito sit approbata; ita ipsi dicunt nostram Religionem non esse infallibiem, si non fuit approbata à Synagoga. Quòd autem Lex Christiana, historiaque Euangelica non fuerit approbata à Synagoga, constat etiam ex nostris historijs; nam semper Synagoga restitit; & idcirco nostrum Christum crucifixit, Stephanum lapidauit, Iacobum interfecit: ergo si nostra Religio non fuit approbata à Synagoga tunc vera Ecclesia; quomodo est infallibilis? Hæc instantia Hebræorum plena est ignorantia; & indigna homine etiam mediocriter docto. Dicant nobis Hebræi; quando Ecclesia erat tantùm sub lege naturali, & postea fuit adducta ad legem scriptam cum nouis cæremonijs, & constitutionibus, quis approbauit legem illam scriptam; vt haberet infallibilitatem? Respondent approbatam fuisse à Deo per Moysen per miracula stupenda ab eo facta. Bene: ergo lex gratiæ fuit approbata à Deo per suum Filium, multò plùs sanctum, quàm Moysen: de hoc enim aliquæ imperfectiones in Sacra Scriptura leguntur; de Christo autem Saluatore nostro nulla legitur imperfectio; sed de illo scribitur à Sanctissimo Apostolo Petro; quòd peccatum non fecerit, nec inuentus fuerit dolus in ore eius; id quod de eo etiam Isaias Propheta dixerat, & omnes Prophetæ, ac Psalmi passim illum vocant iustum, sanctum sanctorum, speculum sine macula; nec Hebræi potuerunt inuenire vllam culpam, de qua illum accusarent, nisi subornando falsos testes; qui etiam inter se non conueniebant, & ideo ipse etiam Pilatus illum innocentem iudicauit, dicens: *Non inuenio in eo causam: innocens ego*

sum à sanguine iusti huius. Deinde Christus Saluator noster multò maiora fecit miracula, quàm Moyses; ipsi Hebræi suis oculis viderunt Lazarum àquatuor diebus mortuum, & sepultum, ac iam fætentem resuscitatum à Christo; & plures alios; cæco à natiuitate visum restitutum; aquam in vinum mirabiliter conuersam, & alia infinita prodigia; quibus auditis, visisq; omnes stupebant: & ipsi Hebræorum Principes dicebant; *quid facimus, quia hic homo multa signa facit*. Et in eius natiuitate prodigiosa sunt facta signa, quādo de nouo fuit facta à Deo prodigiosa illa Stella, quæ vsq; ad Bethlehem Magos duxit; de quo fuit testis illa regio, & res tota confirmata sanguine tot innocentium puerorum, quos perfidus ille Rex occidere iussit, vt inter eos vnus ille puer Rex natus occideretur. Quid de prodigijs in eius morte; terra motibus concussa, obscurato Sole præter solitum; scisso Templi velo, petris scissis, apertis sepulturis; mortuis resuscitatis; itaut omnes obstupescerent; & multi clamarent; *verè Filius Dei erat iste*. Quid de prodigijs post mortem? illum viderunt resuscitatum cum plagarum signis omnes Apostoli, discipuli, & fideles, qui tunc aderant plùs quingentis personis, palpando eius manus, cum illo post Resurrectionem suam manducando, & bibendo, recipiendo ab illo leges, & præcepta, vt irent per vniuersum mundum ad prædicandum sacrum Euangelium. Quid de mirabili aduentu Spiritus Sancti in linguis flammeis? quid de eius mirabili ascensione in Cœlum in præsentia omnium fidelium? Quid de multis, magnisque miraculis, quæ Apostoli, discipuli, martyres effecere, de quibus totus ferè Orbis erat testis oculatus, & deinde in Ecclesia omnibus sæculis per homines sanctissimos, per sacras Christi, Beatissimæ Virginis, aliorumque Sanctorum Imagines similia prodigia edita sunt?

11. Dicant nunc igitur Hebræi, si per ea miracula Moysis, quæ non tot, nec tanta, nec tam prodigiosa fuerunt; nec Moysis sanctitas tanta, quanta Christi; censebatur lex scripta à Deo approbata; & stabilitum vetus testamentum;

tum; cur non censeatur lex gratiæ à Deo approbata, & stabilitum testamentum nouum; per maiorem sanctitatem Christi, & per maiora sua, suorumque discipulorum miracula facta? maximè, quia totum, quod hodie continet testamentum nouum, fuit prædictum, & approbatum in veteri; vix enim legitur Propheta, qui de lege gratiæ non loquatur, iam in figuris, iam in expressissimis prophetijs. Quod si illa perfida Synagoga noluit approbare legem gratiæ, ideo fuit, quia dum discedebat à lege, & Prophetis, iam non erat Ecclesia fidelium, sed Synagoga Sathanæ. Additur, si ille Summus tunc Sacerdos vellet pro Cathedra definire circa hanc legem Christi; Deus non sineret ipsum (quando adhuc lex scripta non erat reuocata) loqui falsum; licèt alioquin esset sceleribus coopertus; & ideo, quando definiuit pro Tribunali, verum dixit, licèt id non intendens; quod considerauit Euangelista, quando Pontifex idem dixit: *Vos nescitis quicquam: Expedit, vt vnus moriatur homo, nec tota gens pereat. Quod cùm esset Pontifex, prophetauit.* Definiens itaque Christum moriturum pro salute omnium, vt Pontifex approbauit legem gratiæ, licèt vt priuatus homo illam reprobaret.

12. Ex his manifestè colligitur, Hebræos vnum ex duobus debere concedere, vel legem scriptam non esse approbatam à Deo; vel si fuit à Deo approbata propter ea miracula stupenda, & sanctitatem Moysis, vt verè fuit approbata à Deo; Legem Christi, & gratiæ à Deo fuisse approbatam propter ea miracula Christi multò magis stupenda, quàm miracula Moysis, & propter Christi sanctitatem longè maiorem, quàm Moysis sanctitatem: proindeq; nostrum argumentum supra positum contra Hebræos reddi irrefragabile, & euidenter conuincens, scilicet prophetiam Isaiæ de Messia nascituro de Matre semper Virgine impletam fuisse in Christo Saluatore nostro nato ex Beatissima Virgine, & semper Virgine Maria Domina nostra dilectissima, & semper immaculatissima.

13. His conuicti argumentis Hebræi respondent.

2. nomen *Virgo* non significare in ea prophetia Virginem à Viro non cognitam, sed fœminam iuuenem; & non esse dubium, posse dari fœminam iuuenilis ætatis, quæ sit mater alicuius filij concepti ex virili semine; & hic, inquiunt, fuit sensus peophetæ: nam in Hebraico est hæc vox halma, quæ non significat nisi fœminam iuuenem; si enim Propheta voluisset signare virginem non cognitam à viro, posuisset nomen Bethula; quod vocabulum significat Virginem à viro nondum cognitam. Hæc responsio est ineptissima; imò & hæretica apud ipsos sapientiores Rabbinos. Ineptissima, quia repugnat manifestè sensui Prophetæ; qui considerauit hanc fœminam simul matrem, & virginem, vt quoddam miraculum, & prodigium inauditum: nam cum Deus dixisset Regi Achaz, vt peteret aliquod miraculum siue factum in terra, resuscitando ab inferis aliquem mortuum, siue in Cœlo faciendo aliquod prodigium in Sole, vel in Syderibus: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum Inferni, siue in excelsum supra.* If.7.n.11. & Achaz respondisset, nõ voluisse se petendo miracula tentare Deum: *& dixit Achaz: non petam, & non tentabo Deum*; tunc ait Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet &c.* Certissimum quidem est Prophetam hic voluisse significare prodigium: fœmina vero iuuenis concipiens ex semine virili, non est prodigium, sed res vulgaris, & ordinaria: ergo Propheta hîc non voluit significare fœminam iuuenem non Virginem: ergo Hebræorum expositio est prorsus vana, & ineptissima. Est etiam hæretica: quia est expressè contra Sacram Scripturam Genes.24. vbi textus nu.43. *Ecce sto iuxta fontem aquæ, & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam &c.* cũ significare vellet Rebeccam puellam virginem, posuit hoc vocabulum halma: & quòd Rebecca tunc fuerit virgo à viro nondum cognita, est expressus textus ibi n.16. *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Item Exodi 2. cùm Princeps filia Pharaonis vidisset infantulum Moysen clausum in

fiscel-

fiſcella ſcirpea; vbi eius mater illum abſconderat; poſueratque ad fluminis ripam; miſerta eius iuſſit vni ex famulis ſuis (quæ, diſponente ſic Domino, fuit MARIA *Soror* ipſius infantis) vt traderet eum nutriendum alicui nutrici Hebrææ; & ipſa *Soror* illum tradidit nutriendum matri ſuæ. *Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam; ad quam locuta filia Pharaonis; accipe*, ait, *puerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam &c.* Vbi textus Hebraicus Mariam ſororem Moyſis virginem exprimens, vſus eſt vocabulo, halma: & certiſſimum eſt tunc Mariam ſororem Moyſis non eſſe cognitam viro. Et Cantic.6. nu.7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ; & adoleſcentularum non eſt numerus.* Vbi numerantur omnes fœminæ palatij Regis Salomonis, aliæ non virgines, vt Reginæ, & Concubinæ, aliæ virgines abſque certo numero; & hæ vltimæ ponuntur in textu Hebraico, ſub hoc nomine halma in numero plurali. Vnde qui affirmat hoc nomen halma in ſcriptura non ſignificare virginem, ſed ſolùm fœminam iuuenem corruptam, negat ſcripturas, & eſt hæreticus: ergo Hebræi illi, ſi non volunt eſſe hæretici contra Sacram Scripturam, debent concedere Prophetam Iſaiam in citato textu ſub eo nomine halma ſignificare virginem, & conſequenter hæretici ſunt contra ſuam etiam legem, ſi Meſſiam ex matre virgine natum inficiantur.

14. Quòd autem Propheta non vſus fuerit vocabulo bethula, ſed halma: magnum fuit myſterium: nam Bethula ſignificat tantùm virginem ſimpliciter; quæ poteſt eſſe virgo, & poſtea per conceptionem ſeminis virilis amittere virginitatem: at vero halma ſignificat virginem, occultam, perpetuam; vt ſignificaret Virginem MARIAM Saluatoris Dei noſtri IESV Chriſti Matrem, quæ quidem per multum tempus ab aliquibus putabatur non virgo; dum Chriſtus putabatur filius Ioſeph; & ſic erat eius virginitas tunc occulta; & deinde fuit Virgo perpetua; s, ante partum; in ipſo partu; & poſt partum. Quòd verò nomen halma ſignificet virginem occultam, perpetuam; id

pro-

probant periti linguæ Hebraicæ; quia in primis halma ſignificat Virginem. Deinde nomen illud deriuatur à voce Halam, quæ ſignificat occultare; & deriuatur etiam à voce holam, quæ ſignificat æternum: vnde affirmant periti grammatici Hebræi, halma ſignificare Virginem, occultam, perpetuam: ergo hæc prophetia Iſaiæ impleta fuit in Beatiſſima Virgine MARIA.

15. Non minùs vana, & ſtulta eſt, tertia aliquorum Hebræorum reſponſio, Prophetam hîc loqui de vxore Regis Achaz, & de filio eius Ezechia: vt per natiuitatem huius, tanquam per ſignum certificaretur Achaz fore liberandum ab obſidione duorum Regum. Stultiſſima expoſitio 1. quia Propheta non dirigit ſuum ſignum ad Achaz, ſed ad domum Dauid; nam cùm Deus per Prophetam diceret Regi Achaz, qui erat Idololatra, adorabatque Deum falſum: vt peteret aliquod prodigium à Deo ſuo, quem ipſe colebat, ſiue in Sole, ſicut Deus verus fecerat per Ioſue; ſiue in Inferno reſuſcitando ab Inferis aliquem mortuum, ſicut Deus fecit per Heliam, & Eliſeum: *Pete tibi ſignum à Deo tuo in profundum Inferni, ſiue in excelſum ſupra*; ipſeq; Achaz reſpondiſſet, noluiſſe ſe tentare ſuum Deum petendo miracula. *Non petam, & non tentabo Deum*; tunc Propheta vertit ſe ad Domum Dauid, i, ad Eccleſiam, & ait: *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet &c.* igitur ſignum non fuit directum ad Achaz Regem idololatram; ſed ad domũ Dauid fidelem, licèt Achaz fuerit de domo Dauid genere, non fide: 2. quia Propheta loquebatur de ſigno miraculoſo, & prodigioſo, ſicut illud Ioſue, & Eliſei, vt notatum eſt: naſci verò filium ex vxore Regis Achaz, non erat res miraculoſa, ſed naturalis, & vulgaris. 3. quia Propheta loquebatur de filio concipiendo, & pariendo à Matre virgine; quod quidem magnum erat miraculum, nunquam antea viſum: vxor verò Achaz virgo non erat. 3. & euidenter: quia Propheta loquebatur de Filio poſtea naſcituro, vt patet ex ipſo textu, *concipiet*, & *pariet*. Filius verò Achaz Regis, s, Ezechias;

chias; iam erat natus quando Isaias illam dixit prophetiam: vt manifestè colligitur ex Sacra Scriptura: nam Ezechias erat vigintiquinque annorum, quando cœpit regnare: vt constat ex.4. Reg. cap.18. & Achaz pater eius regnauit 16.annos, vt constat ex eodem libro c.16.ergo Ezechias 9.annos habebat, quando Pater eius regnare cœpit. Sed Propheta protulit prophetiam regnante Achaz: ergo manifestum est non loqui illum de Ezechia iam antè nato; loquebatur enim de filio nascituro, vt dictum est. Hac ratione euidenti conuictus Rabbi Salomon in expositione huius prophetiæ confessus est, Isaiam verè non loqui de filio Regis Achaz.

16. Eodem modo falsissima est quarta responsio aliorum Hebræorum dicentium, prophetiam intelligi de filio ipsius Prophetæ: quia illum ipse Propheta in capite sequenti num. 8. vocat Emmanuel. *Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ, ò Emmanuel*. Et non videtur dubium, loqui hîc Prophetam de suo filio; vt in eodem capite num.3. dixerat: *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit: & dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera spolia detrahere, festina prædari*. Inferunt hinc illi Hebræi sic: eodem nomine Emmanuel vocatur ille filius in cap. 7. atque hîc vocatur in cap. 8. Sed hîc in cap. 8. filius intelligitur genitus à Propheta Isaia: ergo etiam in eo capite 7. intelligendus filius Isaiæ, & non Filius Virginis Messias. Atque ita Rabbi Salomon in expositione capitis 8. Isaiæ docet filium, de quo dicit Propheta in hoc cap. 8. postea illi natum fuisse, eundem esse filium, de quo dixerat in cap.7. nasciturum esse.

Hæc Rabbinorum expositio falsissima est, vt iam diximus, & repugnat ipsi Sacræ Scripturæ. 1. quia filius prædicebatur nasciturus de Matre Virgine, & in hoc consistebat miraculum, vt dictum est: at vxor Isaiæ, licèt esset Prophetissa, non erat virgo; nec erat aliquod miraculum, aut res inaudita, nasci Isaiæ filium ex coniuge sua; sed res ordinaria, & vsitata. 2. quia non fuerunt verificata de filio

illius

illius Prophetæ ea, quæ Propheta prædixerat de Filio Virginis: neque enim fuit Rex, Dux, aut Iudex, qui populum iudicaret cum clementia, misericordia, benignitate; vt ipse significauit per illa verba: *Butyrum, & Mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*. 3. quia vt supra vidimus, communis Rabbinorum explicatio, & sententia est, textum illum in cap. 7. loqui expressè de Messia de Matre virgine nascituro; & solùm pauci ex illis contradicunt; sed sæpiùs inter se discordant, & modò vnum, modò aliud oppositum interserunt, quod clarum signum est, eos veritatem non attingere.

17. Ad Rabbi Salomonem dico, partim verum, & partim falsum dicere. Quod vt intelligas, aduerte filium illum, de quo loquitur Isaias in cap. 8. duobus modis posse sumi. 1. in esse physico, & reali. 2. in esse figuratiuo, & in figura. 1. modo fuit filius illius Prophetæ; & in hoc sensu non fuit ille filius, de quo loquutus fuit in cap. 7. aliter Propheta sibi ipsi esset contrarius; dum in primo loco vocat illum filium Virginis miraculosè conceptum, & natum, in secundo filium non virginis, sed suæ vxoris naturali modo conceptum, ac genitum; vnde iuxta hunc modum, falsò dixit Rabbinus ille. 2. modo, i, in figura, in illo Isaiæ filio figurabatur Messias, & ideo figuratiuè sumptus erat ipse Messias promissus, & potuit dici vt sit Emmanuel, i, *nobiscum Deus*, seu *Deus cum humanitate assumpta*; & illi vt sic poterat optimè conuenire nomen accelerandi *spolia detrahere*, & *festinandi deprædari*, quia solus Messias spolia animarum, quæ captæ fuerant à Diabolo, accepit, & prædatus est. Similiter verba illa: *Et erit extensio alarum eius*, i, potentiæ eius, *implens plenitudinem terræ*, soli Messiæ competunt, iuxta illud: *Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum*. Ps. 71. num. 8. *& adorabunt eum omnes Reges: omnes gentes seruient ei*. ibid. num. 11. & nullo modo competunt filio Isaiæ: qui filius totius Orbis non extitit Imperator. Et in hoc sensu verum dixit Rabbi Salomon, s, filium Isaiæ, de quo loquitur

in

in eo cap.8.esse eundem, de quo loquitur in cap.7.eundem scilicet in esse figuratiuo; non in esse physico, & reali: nam in secundo loco iuxta literam loquebatur de filio Prophetæ, nato ex fœmina coniugata; & solùm secundùm figuram de Messia. In primo loquebatur secundùm literam de Christo Saluatore nostro vero Filio Beatissimæ Virginis MARIÆ per miraculum ex virtute Spiritus Sancti nato:& sic dixit: *Propterea dabit vobis signũ: Ecce Virgo concipiet, &c.*

18. Conuicti his argumentis Hebræi concedunt, Messiam iuxta hunc Prophetam necessariò debere nasci ex Matre semper Virgine; at dicunt hanc prophetiam non impleri in Christo IESV. Fundamentum ipsorum est: quia Propheta dixit Messiam esse appellandum Emmanuel: Sed Christo non fuit impositũ nomen Emmanuel, sed IESVS, vt constat ex nostro Euangelio Luc.2. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur Puer: vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Non igitur fuit impleta prophetia in Christo; proindeque adhuc Messias non venit. Quis non execretur horum Hebræorum cæcitatem, & crassissimam ignorantiam, seu potiùs abominabilem obstinationem? Quid aliud voluit Propheta dicere, nisi, quod Messias Sanctissimus vocandus esset homo Deus; & Deus homo? id significat Emmanuel, *Deus nobiscum, Deus in humanitate sibi assumpta.* Et quis est Catholicus, qui non vocet Christũm Deum, & hominem? imò hæreticus est, qui dicat Christum hominem non Deum, vel Deum non hominem. Non aduertunt hi Rabbini duo esse nomina; vnum naturæ, alterum impositionis; vt in Petro: v.gr. vnum nomen est naturæ, vt est homo; secundum est impositionis, vt est Petrus. An quia huic indiuiduo non fuit impositum nomen homo in eius baptismo; ideo non debet vocari homo? Sic pariter Christus multa habet nomina, v.gr. Emmanuelis, Iusti, Dei nostri, Admirabilis, & cætera alia, quæ in Scriptura de illo ponuntur; & omnia sunt nomina naturæ, quæ omnia significant naturam

Messiæ; an quia omnia hæc nomina non sunt illi imposita in circumcisione; non debet vocari Emmanuel, Iustus, Fortis, Admirabilis, Sanctus Sanctorum, & sic de alijs? Erubescant igitur Iudæi, & vel suam ignorantiam, vel suam obstinationem confiteantur.

19. Additur, quòd nomen IESVS Christo in Circumcisione impositum idem significat, atque Emmanuel; quod quidem nomen significat *Deum hominem*, seu *Deum nobiscum*; idest, Deum humanitati vnitum: nam nec poterat saluare per merita, si non esset homo; nec posset dare meritis efficaciam infinitam ad plenè, & abundanter satisfaciendum pro peccato hominis facto contra Deum infinitum; si non esset Deus: ergo nomen IESVS, quod idem est, atque Saluator, & Redemptor à captiuitate peccati, necessariò importat Deum hominem, quod idem est, atque Emmanuel. Ex quibus omnibus manifestè restant conuicti Iudæi, Prophetam verè prædixisse Messiam nasciturum esse de Matre Virgine, semper manente Virgine; & fuisse eius prophetiam impletam in Christo IESV nato ex MARIA Virgine; quod nos credimus Catholici secundùm nostrum testamentum nouum omnino consonans cum testamento veteri; quod ipsi tenentur credere, & consequenter nouum amplecti; aliter non credendo nouum, à vetere discedent.

20. Vltimò garriunt Iudæi contra nostram probationem. Isaias in hac prophetia dicit Messiam in ætate infantili habere ignorantiam; vt exprimitur in eodem Isaia cap. 8. num. 4. *Antequam sciat Puer vocare Patrem suum, & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ &c.* Sed nos Christiani credimus Christum in eodem instanti suæ conceptionis habuisse omnem scientiam, nullamque ignorantiam habuisse: ergo noster Christus non est ille, de quo loquitur Isaias: consequenterque Christus Messias verus nondum venit. In hoc argumento Hebræi perfidi duo ostendunt. 1. Se non intelligere Prophetam. 2. Se nolle illum intelligere; quia sua culpabili obstinatione

tione nolunt ad prophetiæ verba seriò, & sincerè attendere. Dicant nobis Hebræi; quando Propheta dixit in sequentibus verbis: *Auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum, &c.* i, auferendam esse fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ etiam in præsentia Regis Assyriorum: i, potestatem Diaboli in illis Regionibus, & in alijs totius mundi, tenebrarum Principi Diabolo obedientibus, à quo illa fortitudo, & potestas erat auferenda? Respondent: ab ipso Messia. Bene: ergo ille Messias habebat omnipotentiam, per quam solam poterat potestas Diaboli superari: Si erat Omnipotens, etiam erat omnisciens; nam Deus, sicuti ab illo prædicebatur per nomen Emmanuel, i, Deus nobiscum; non est minùs sciens, quàm potens; si erat omnisciens, quomodo dicunt illum habere ignorantiam? Vnde manifestum est, quando Propheta dicit: *Antequàm Puer sciat &c.* Significare voluisse statum infantiæ, non defectum scientiæ; aliter Propheta, & sibi esset contrarius in hoc textu: dum dicit puerum illum adhuc in ea infantis ætate habere plenitudinem potestatis, & non habere plenitudinem scientiæ; cùm nec sine plenitudine scientiæ posit exerceri plenitudo potestatis; nec Deus sit Omnipotens, si non sit omnisciens. Et deinde esset contrarius alteri Prophetæ Ieremiæ 3. numer. 22. *Fœmina circumdabit virum*, i, virum non ætate, sed scientia; prout supra in cap. 1. explicatum est; sed non est dicendum Prophetam sibi, vel alteri Prophetæ fuisse contrarium: ergo Rabbini sua expositione falluntur.

21. Vt veritatem intelligas, & verum sensum Prophetæ percipias, aduerte, Christum in primo suæ conceptionis instanti quinque habuisse scientias. 1. est diuina, quam, vt Deus, semper ab æterno habuit, imò est ipsa Sapientia increata. 2. beatifica creata, i, visio beata; quæ est proprietas vnionis hypostaticæ, quam in primo conceptionis instanti obtinuit. Et illi vnioni non minùs est debita, quàm risibilitas homini, hinnibilitas equo, rugibilitas

Leoni, calor igni: quæ proprietates in primo inſtanti ſuæ productionis eis naturis debentur. 3. ſcientia dicitur per ſe infuſa, quæ eſt etiam proprietas ſaltem ſecundaria prædictæ vnionis: quæ ſcientia verſatur circa illas veritates, quæ ſolo lumine naturali non poſſunt perfectè cognoſci; qualis eſt gratia, & alia obiecta ſupernaturalia, ſecreta cordis, futura intrinſecè contingentia; & ideo dicitur ſcientia per ſe infuſa: quia per ſe eſt neceſſaria, vt per ſe talia obiecta perfectè attingantur. 4. eſt ſcientia naturalis rerum naturalium, quæ verſatur circa res, & veritates naturales, quæ naturali lumine poſſunt bene cognoſci; & hæc naturalis ſcientia fuit à Deo anticipatè data Puero IESV in eo primo ſuæ conceptionis inſtanti; quia ſic decebat adeò ineffabilem Puerum, qui erat ſimul homo, & Deus: & conſtitutus erat à Patre Supremus omnium Iudex omnium actionum in indiuiduo; & iam tunc, licèt inuiſibiliter, omnia regebat; prout conſiderauit clariſſimum Eccleſiæ lumen & Doctor Auguſt. ſerm. 3. de tempore poſt ieiunium. *Simeon ſenex ferebat Chriſtum infantem, Chriſtus regebat Simeonis ſenectutem.* A quo deſumpſit Eccleſia in 8. Reſponſorio feſti Purificationis. *Senex Puerum portabat, Puer autem ſenem regebat.* Dicitur hæc ſcientia per accidens infuſa; quia per ſe poterat naturali lumine haberi, ſed per accidens anticipatè fuit illi data.

22. Quinta ſcientia eſt experimentalis, quæ obtinetur ipsâ experientiâ rerum: vnde licèt omnia in ſtatu infantiæ à primo inſtanti conceptionis Chriſtus infans attingebat notitiâ clariſſimâ, & indiuidualiſſimâ, vt ſic dicam; non omnia tunc experiebatur; & in hac experientia notitia illa, & ſcientia naturalis poterat augeri, non in entitate ſcientiæ, ſed in exercitio externæ experientiæ: quemadmodum ſiquis per ſpecies à Deo acceptas in loco diſtanti aliquarum rerum viſibilium, res illas videret; poſitus prope illas res, non plùs videret, quàm antea; ſed ſolùm adderetur experientia, non ampliaretur notitia: & hoc modo intelligendus eſt locus Euangeliſtæ Luc. 2. num. 53. *Et*

IE-

IESVS proficiebat Sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Proficiebat Sapientia experimentali, quam paulatim de nouo experiebatur; non formali, quæ, ne supponeretur antea diminuta, non fuit postea augmentata. His ergo doctrinæ gratiâ breuiter explicatis, facilè est respondere argumento facto ex verbis Prophetæ: *Antequam sciat Puer vocare Patrem suum, & Matrem suam, &c.* i, antequam sciret, scientia experimentali; quam fatemur non habuisse in primo instanti, vt puerili statui ob occultandum mysterium se conformaret; non verò antequam sciret scientia formali, quam totam habuit ab initio suæ conceptionis, vt probatum est; & manet certum, & dilucidum, Prophetam loqui in eo textu de Messia, & omnino impletam fuisse prophetiam in Christo Domino ex Beatissima semper Virgine MARIA Domina nostra mirabiliter nato.

CAPVT TERTIVM.

Proponitur prophetia de loco, vbi Messias nasciturus erat, impleta in Christo Saluatore nostro.

23. EXposita Natiuitate Christi ex MARIA Virgine, restat exponere locum, vbi erat nasciturus. Locum prædixit Propheta Micheas cap. 5. vbi sic dixit: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel; & egressus eius ab initio; à diebus æternitatis*. Hæc prophetia impleta fuit in Christo IESV, qui natus est in Bethlehem terra Iuda; vt constat ex Euangelica historia. Matth. 2. *Cùm natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ*. Et Luc. 2. nu. 7. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam, Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem; eo quòd esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum MARIA desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret, & peperit Filium suum* pri-

primogenitum; & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio; quia non erat ei locus in diuersorio. Et Ioann.7. num.42. *Nonne Scriptura dicit: quia ex semine Dauid, & de Bethlehem Castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Rabbini consulti ab Herode apud Matt.c.2. n.2.aliqualiter diuerso modo citarunt Prophetiam Micheæ: dicentes sic: *Et tu Bethlehem terra Iudæ nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Attulerunt prophetiæ sensum, non verba. Propheta enim, vt magis declararet, de qua Bethlehem loquebatur, dixit illam esse, quæ erat paruula Ciuitas. Rabbini supponebant illam esse paruulam, sed ex eo, quòd patria sit Magni Ducis Messiæ, non deberet iam minimam vocari; proindeque verba illa Rabbinorum potiùs dici possunt prophetiæ glossa, quàm prophetia ipsa; sed talis glossa verum prophetiæ sensum optimè declarat.

24. Hanc prophetiam loqui de Messia, neque etiam nostri aduersarij Rabbini negant. Rabbi Salomon exponendo hanc prophetiam, ita ait: *Ex te mihi egredietur &c. Iste dominator à Propheta hîc prædictus est Messias Filius Dauid; & ideo de illo dictum est; lapidem, quem reprobauerunt ædificantes &c.* Et Targum, i, Paraphrasis Caldæa illam prophetiam de Messia intelligit, ita dicens: *Ex te mihi egredietur Messias.* Et Rabbini Ierosolymitani interrogati occasione Magorum à Rege Herode, vbi Christus nasceretur, responderunt in Bethlehem nasciturum; quia ita Propheta Michæas prædixerat, vt constat ex Mat. 2. nu.4. *Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt: in Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem &c. ex te enim exiet dux, qui regat populum meum.* Et Herodes ex vi istius prophetiæ Magos inquirentes de Messia nato misit in Bethlehem vt ait idem Euangelista. *Et mittens illos in Bethlehem dixit: Ite, & interrogate diligenter de Puero, & renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Et hanc eandem prophetiam intelligi

de

de Meſſia affirmarunt ipſi Iudæi, vt ſupra notauimus Ioan.7. *Nonne dicit Scriptura; quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem Caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?* Tandem loqui Prophetam de Meſſia eſt manifeſtum ex ipſo textu: nam ſolus Meſſias eſt ſimul homo, & Deus, vt ſupra ex varijs locis etiam teſtamenti veteris demonſtratum eſt: ſed Propheta hîc loquitur de illo Rege, ſeu dominatore, qui ſimul ſit homo, & Deus: ergo loquitur de Meſſia. Demonſtratio eſt manifeſta, ſi probatur Prophetam hîc loqui de Dominatore ſimul homine, & Deo; quod quidem probatur clariſſimè ex verbis ipſius textus: nam ibi Propheta dicit duas natiuitates Chriſti; vnam temporalem, per quam natus eſt homo in tempore in Bethlehem; vt denotant verba illa. *Ex te mihi egredietur Dominator, ex te exiet Dux, de Bethlebem venit.* Alteram in æternitate, per quam ab æterno eſt genitus à Deo Patre, vt Deus eiuſdem ſubſtantiæ diuinæ cum ipſo generante Deo; vt denotant illa verba: *& egreſſus eius ab initio; à diebus æternitatis*: & hanc natiuitatem ab æterno, per quam Meſſias prout eſt Deus, procedit ab æterno Filius ab Æterno Patre generatus, tenentur credere Hebræi; ſin minùs, erunt hæretici negando Scripturam veteris teſtamenti: nam de fide eſt creaturas omnes fuiſſe productas in tempore; & conſequenter nullam creaturam eſſe productam ab æterno: vt expreſſus eſt textus. Geneſ.1. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram.* Vnde ſi negant Meſſiam, prout eſt Deus, fuiſſe productum ab æterno; iam negant hanc Scripturam Micheæ. *Egreſſus eius à diebus æternitatis.* Si concedunt hanc natiuitatem, ſeu productionem Meſſiæ ab æterno, ſed deinde dicunt non eſſe Deum, ſed puram creaturam; iam concedunt dari creaturam ab æterno; & negant expreſſum textum Geneſis; qui dicit creaturam nullam eſſe ab æterno productam.

25. Nec dicere poſſunt productionem Meſſiæ ab æterno intelligendam eſſe in ſola prædefinitione æterna diuini decreti: nam Propheta diſtinguit duas productiones Meſ-

fiæ, vnam, qua producitur in tempore; alteram, qua producitur à diebus æternitatis. Si autem intelligendus esset Propheta de prædefinitione æterna; etiam Messias productus, vt homo, fuit prædefinitus à diebus æternitatis, vnde qui dat illum falsum sensum Prophetæ; illum negat, & consequenter fidem: necessarium igitur est, credere Prophetam in hac prophetia dicere Messiam, & produci in tempore, & consequenter sumptum vt hominem, & produci in æternitate, & consequenter sumptum, vt Deum. Cùm ergo, vti dicebamus, solus Messias sit homo Deus; de solo Messia loquitur hîc Propheta. Verba vltima prophetiæ, s, *egressus eius, seu egressiones* eius, si secundùm aliquorum expositionem intelligenda sint de aduentu Christi prædefinito ab æterno, denotant Messiam bis egressurum de Cœlo, seu habiturum duos aduentus. Primus est ad saluandum; secundus ad iudicandum; nec propterea sunt duo Messiæ, vt aliqui Hebræi somniarunt; idcirco non dicit, eorum, sed *eius:* quia vnus, idemque venit 1. ad saluandum, & veniet 2. ad iudicandum. In 1. aduentu debebat venire, vt pauper: vt expresse dixit Zacharias cap.9.num.9. *Ecce Rex tuus veniet tibi Iustus, & Saluator: ipse pauper ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* In secundo aduentu veniet cum maiestate; vt expressè dixit Daniel. cap.7. num. 13. *Aspiciebam ergo in visione noctis; & ecce cum nubibus Cœli quasi Filius hominis veniebat, &c.*

26. Demonstrato igitur euidenter Prophetam loqui de Messia nascituro in Bethlehem; quod iam omnes Hebræi conuicti concedunt; facilè erit demonstrare prophetiam hanc impletam fuisse in Christo Saluatore nostro nato in Bethlehem. Demonstratur igitur euidenter: quia Propheta dixit, Messiam nasciturum in Bethlehem existente Bethlehem, & vt terra Iuda, & existente ibi Populo Iudaico; vt ipsimet Iudæi confitentur: sed iam hodie non existit Bethlehem, nec ibi iam populus Iudaicus, nec vllus Rex, aut Princeps: ergo vel Messias iam venit, quando

Bethle-

Bethlehem existebat, & terra Iuda: vel Propheta dicit falsum: hoc secundum non concedent Iudæi: ergo debent concedere primum: vnde si iam venit, dicant Iudæi, quis sit iste, qui iam venit? Certè non monstrabunt vllum, nisi Saluatorem nostrum IESVM Christum; qui secundùm historiam Euangelicam natus fuit in Bethlehem: & quamuis Hebræi obstinatissimi non credant nostram historiam Euangelicam, vt sacram historiam, tamen illam non negant, vt historiam veram, quia fuit scripta eo tempore, quo ipsi Hebræi in Iudæa viuebant, & nullus scripsit contra illam; imò fuit notum omnibus de aduentu Magorum, de morte Innocentium Puerorum, qui non loquendo, sed moriendo publicarunt natum Messiam in Bethlehem: & ideo soli Innocentes Bethlehemitæ, & illorum contermini iussu Herodis occisi sunt. Cùm igitur Iudæi non ostendant alterum, qui iam venerit, in Bethlehem natum, & cui competant omnia alia, quæ de Messia à Prophetis prædicta sunt; & omnia, nullo deficiente, vt suo loco demonstrabitur, in Christo IESV Sanctissimæ Virginis Filio reperiantur, euidentissimè patet prophetiam illam in Christo Saluatore nostro fuisse verissimè impletam.

CAPVT QVARTVM.

Ostenditur Messiam venire debere pauperem.

27. SCandalizantur perfidi Iudæi, quando illis prædicatur Christus, vt homo pauper, & abiectus, cùm tamen, si ita non veniret pauper, Messias non esset, quem Prophetæ prædixerant. De hac paupertate Messiæ loquitur Zacharias clarissimâ prophetiâ in capite 9. iam supra citato, quam hîc volo pleniùs expendere. Ita enim dicit: *Exulta satis filia Sion, & iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi Iustus, & Saluator: ipse pauper ascendens super asinum, & super pullum filium Asinæ.* Hanc

prophetiam loqui de Mesſia Rabbini ipſi fatentur: nam Rabbi Salomon in expoſitione huius textus ita ait: *Poſſibile non eſt hanc exponere prophetiam pro vllo alio, niſi pro Rege Meſſia: quia de ſolo Meſſia dictum eſt in hoc loco*, & in Pſal. 71. num. 8. *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum; ſed non inuenimus Dominatorem ſimilem huic in Iſrael ad illud vſque tempus templi ſecundi*. Ex quibus verbis euincitur. 1. Prophetam hîc de Meſsia loqui. 2. prophetiam impleri debere, quando adhuc exiſteret templum ſecundum. Cæterùm Rabbinus iſte Iudaica maledictione obcæcatus nõ aduertit, ſi prophetia loquitur, vt ipſe fatetur, de Meſsia; & debet omnino impleri durante adhuc ſecundo templo, vt etiam ipſe cum cæteris credit Rabbinis, neceſſarium eſſe credere Meſsiam iam veniſſe, & eſſe Chriſtum IESVM Saluatorem noſtrum; qui certè venit, quando adhuc ſecundum templum exiſtebat, vt ipſi non negant; & ſi ipſi vellent negare; ab omnibus exibilarentur; cùm id palàm ſit omnibus non ſolùm Chriſtianis, ſed Iudæis, & gentibus; & non ſolùm ex hiſtoria Euangelica, ſed ex hiſtorijs ipſorum Hebræorum, & Gentilium conſtat Chriſtum ſæpiùs docuiſſe in templo illo; & vnum ex teſtimonijs falſis, quibus eum calumniatores accuſârunt ante Pilatum, fuit, quòd ipſe dixiſſet poſſe ſe templum illud deſtruere; & die tertio reædificare. Vnde fit hîc breuiter, poſtea enucleatiùs expendenda demonſtratio. Si Chriſtus nondum venit, quando iam templum ſecundum non exiſtit, oportet, veniat iam templo ſecundo non exiſtente: errauit ergo Propheta, dicens Meſsiam venturum exiſtente adhuc templo ſecundo; Propheta errare non poteſt: ergo Meſsias iam venit. At non poſſunt oſtendere alium, qui iam veniſſet, niſi IESVM Chriſtum Filium Beatiſsimæ Virginis MARIÆ, vt dictum eſt: ergo in Chriſto IESV impleta eſt hæc prophetia Zachariæ. Non poteſt negare hanc conſequentiam prædictus Rabbinus: ſed dicit à tempore illo ſecundi templi vſque nunc non eſſe inuentum hominem

ex

ex familia Dauid, qui dominator fuerit totius Orbis, prout hîc dixit Propheta num.10. *Et loquetur pacem gentibus: & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.* Existimabat falsò hic Rabbinus Prophetam loqui de Dominatore temporali, sicut fuit Cæsar, alijque Imperatores: & non aduertebat, si ita esset intelligendus, Prophetam sibi ipsi fore contrarium: pugnabat enim venire Messiam pauperem, & egenum, & esse Imperatorem, Dominumque prouinciarum omnium, & regnorum totius mundi. Nunquid poterit dici egenus, Rex Hispaniæ, Franciæ, & quilibet alius Rex potentissimus? Necessarium igitur est, vt intelligatur de imperio spirituali, quod bene stat cum paupertate rerum temporalium; & hoc modo Christus Saluator noster in suo Regno, seu Imperio Ecclesiastico per totum Orbem dispersa dominatur; omnes gentes seruiunt ei, & adorant eum omnes Reges terræ, & extenditur eius Imperium à mari vsque ad mare; à fluminibus vsque ad fines terræ; & sic clarissimè impleta est prophetia ista in Christo Saluatore nostro; & neutiquam impleretur, si venisset eo modo, quo falsò existimabat ille Rabbinus, alijque eius sequaces prophetiarum sensum suâ culpâ, & cæcitate non capientes.

28. Huic prophetiæ conformis est altera prophetia Isaiæ cap.26.num.5.& 6. vbi sic dicit: *Incuruabit habitantes in excelso: ciuitatem sublimem humiliabit: humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem: conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* Prædicit igitur Propheta sublimes orbis Vrbes esse à Messiæ pauperis conculcandas pedibus; deinde per discipulos suos pauperes, & piscatores conuertendum esse mundum; debellandas diaboli potestates, idola destruenda, regna mundi deuastanda non bello, sed pace, non Marte, sed morte; non ferro, sed ligno domanda omnia, & in fidem Christi reducenda. Et certè, qui venerat impedimenta virtutum tollere paupertate, non diuitijs, humilitate, non superbia vti deberet: diabolus per superbiam à Cœlo

deiectus fuerat; Christus per humilitatem suos in Cœlum adducere deberet. Spirituale Christi regnum oportebat opponi mundanæ pompæ; quia illius imperium de hoc mundo non erat: vt ipse dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Legant igitur Hebræi prophetias, attentè considerent illarum sensum, & cæcitatem deponent, Redemptoremque suum agnoscent.

CAPVT QVINTVM.

Ostenditur aliud signum prædictum à Prophetis ad cognoscendum verum Messiam, videlicet patratio miraculorum.

29. INcredibile sanè est, quantâ ignorantiâ, & quantâ mentis cæcitate miserabiles Hebræi constringantur: oculis, non mente legunt Scripturas: apertos habent oculos corporis, non mentis; affectant destruere claritatem, & caliginem offundere. Has mentis tenebras in Hebræis prædixerat Isaias cap. 6. num. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum*. Quod intelligitur de voluntate Dei permittentis, non suadentis: Deus enim omnes homines vult saluos fieri; hæc permissio cæcitatis data illis fuit in supplicium; sed maius supplicium est, id esse supplicium illos ignorare. Vnum ex euidentibus signis, per quæ cognosceretur Sanctissimus Messias, fuit stupenda illa miraculorum patratio. Isaias cap. 35. quatuor genera miraculorum, quæ facturus erat Messias, prædixit. Sic enim ait num. 5. *Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum; & aures surdorum patebunt, tunc sallet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Omnia hæc miracula fecit IESVS Saluator noster, vt narrat Euangelista Matth. cap. 15. num. 30. *Accesserunt ad*

eum

eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos; ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; & magnificabant Deum Israel. Et omnia quatuor Euangelia plena sunt stupendis miraculis, quæ Christus Dominus operatus est.

30. Procedit Propheta in citata prophetia cap. 35. per hæc miracula, & signa Messiæ gentes esse conuertendas. *Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine; & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum: in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci; & erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur*. Per has similitudines, & metaphoras explicauit Propheta gentes infideles, & veluti terram desertam, & vastam solitudinem absque aqua gratiæ sitientem, & siccam habituras esse torrentem, stagnum, & fontes aquarum gratiæ, & scientiæ veri Dei; & solùm in hac fidelium Christi congregatione, & Sancta Ecclesia esse semitam salutis, & viam sanctam. Pergit Propheta: & *ambulabunt*, i, per hanc viam, *qui liberati* fuerint, i, à captiuitate peccati per aquas Sacramenti baptismatis. *Et redempti à Domino conuertentur; & venient in Sion cum laude*; i, in Ecclesiam Sanctam Sion laudantes Deum verum Israel; idola, falsaque inanium Deorum numina abijcientes. Quid ergo Hebræi huic ineluctabili argumento respondebunt? Propheta dicit illum esse Messiam verum Deum, qui fecerit prodigiosa illa miracula; & hinc gentes ad Deum esse conuertendas: *Ecce Deus veniet, & saluabit vos*: Christus Dominus noster fecit illa prodigiosa miracula; & per illum, & ipsius discipulos totus mundus cognoscit verum Deum, vt ipsi suis vident oculis: ergo Christus noster verus est Messias; quem si negant, negant ipsum Prophetam, & ipsam apertam veritatem. De hac tamen conuersione gentium suo loco latiùs dicemus.

CAPVT SEXTVM.

Ostenditur Messiam vendendum fuisse, & Hebræos fuisse à Deo deserendos propter hoc peccatum.

31 ALterum ex signis ad cognoscendum verum Messiam prædixere Prophetæ, nimirum, quòd Messias pretio vendendus fuisset ab Hebræis. 1. prophetia est Prophetæ Amos cap.2.num.4. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Israel; & super quatuor non conuertam eum: pro eo, quod vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis*. Per istum Iustum, & pauperem intelligitur Messias; qui à Propheta Zaccharia cap.9. appellatur Iustus, & pauper, vt supra vidimus; & in tota scriptura per antonomasiam Iustus vocatur. Hebræi dicunt 1. Amos Prophetam non loqui de Messia, sed de Ioseph Ægyptijs à suismet fratribus vendito. Hæc tamen expositio est prorsus falsa. 1. quia Deus dixit propter peccatum huius venditionis iusti, & pauperis nõ condonaturum se Hebræis populo suo: at verò est omnino falsum, quòd peccatum illud venditionis Ioseph iusti non remiserit Deus: nam post 400. annos eos à captiuitate liberauit Ægypti; & illos in terram promissionis introduxit. 2. quia Deus dixit illam venditionem Iusti fuisse quartum peccatum; & propter quartum peccatum non illis esse veniam concessurum; vt constat ex ipso textu. At verò venditio Ioseph si inter ea.4.peccata peccatũ quartum numerandum sit, non fuit quartum, sed primum. 3. quia neque etiam venditio illa Ioseph potest dici peccatum commissum à populo: quia tempore illo adhuc Hebræi non appellabantur Populus Dei; hoc enim nomen primò habuerunt postquã fuerũt per multos annos in Ægypto. 4. quia si hęc venditio Ioseph fuisset quartum peccatum, necesse erat, vt præcesserint alia tria; quod quidem non ostenditur in scripturis: imò communiter ipsi etiam Rabbini dicunt primum peccatum fuisse, quando fecerunt vitulum, & illum tan-

tanquam Deum adorarunt; propter quod peccatum capti fuerunt à Rege Aſſyriorum. 2. fuit adorare multa idola etiam in Ieruſalem; propter quod per 70. annos Babylone capti ſunt. 3. fuit occiſio prophetarum. 4. fuit occiſio Chriſti: vnde patet tribus ſceleribus Deum peperciſſe; ſiquidem illos Hebræos poſtea ſuæ patriæ, regnoq; reſtituit; at verò propter peccatum venditionis, & occiſionis Chriſti non pepercit adhuc, nec parcet; ſed illos eiecit à Iudæa, nec ampliùs reſtituentur, ſed ſemper erunt diſperſi ſine Rege, & Republica, vſque in finem mundi: quia iſtud peccatum non retractant; imò in illo ſibi complacent: Deus verò non remittit peccatum eis, qui ſunt in actuali impœnitentia. Vnde patet Prophetam non de venditione Ioſeph, ſed de Chriſti iuſti venditione loqui.

32. Dicunt ſecundò, Chriſtum non fuiſſe venditum à populo Hebræo, ſed potiùs ab illo emptum, & venditum à diſcipulo Iuda: Propheta verò loquitur de venditione, non de emptione facta à populo: ergo Propheta non loquitur de Chriſto. Friuolum argumentum: 1. quia Propheta loquitur de peccato venditionis; negabunt ne Hebræi ipſos eſſe cooperatos huic peccato dando pretium, vt perageretur hæc venditio, & ſequeretur Chriſti occiſio? 2. quia in ſcriptura venditio pro emptione ſumitur etiam iuxta ipſos Rabbinos, quod ex multis locis Sacræ Scripturæ conſtat 1. ex Numeri 20. *Dabimus, quod iuſtum eſt, & nulla erit in pretio difficultas*. 2. Prouerb. 31. num. 10. *De vltimis pretium eius*. In quibus locis pretium ſignificatur per vocem Hebraicam Micram, qua tam venditio, quàm emptio ſignificatur: ergo cum venditio ſignificetur à Propheta Amos per vocem Micram, venditio, & emptio pro eodem habendæ ſunt. Accedit, quòd Iudas venditor Iſraelita erat.

33. Dicunt tertiò. Amos dicit Iſraelem feciſſe hoc peccatum, & non Iudam: ſed Chriſtus venditus fuit, vel emptus à Iuda; i, à Ieruſalem, quæ eſt populus Iudaicus, & non ab Iſrael, quæ erat in Samaria: ergo Propheta eo loco

de

de venditione Christi non loquitur. Resp. Hebræos non intelligere Scripturas, nec distinguere tempora, vt concordentur iura. Dico igitur, quando Populus Israel erat in Samaria, vbi colebantur Idola, eo tempore Ierusalem ab scriptura vocabatur Iuda, & Samaria, Israel: postquam autem omnes redempti fuerunt à captiuitate Babylonis, & redierunt in Ierusalem, omnes illi, qui redierunt, indifferenter vocari cæperunt populus Israel tam ex Iuda, quàm ex Samaria: siquidem Cyrus Persianorum Rex indiscriminatim omnibus Hebræis, tam ex Ierusalem, quàm ex Samaria redeundi simul Ierusalem facultatem concessit, vt constat ex Nehemia cap. 13. & ex Esdras cap. 8. Vbi omnes Hebræi sub eodem nomine Israel vocantur; quin inter Iudam, & Israelem fiat vlla differentia. Vnde quando Propheta distinxit inter peccatum Iudæ, intelligendum est de Populo, qui erat in Ierusalem ante primi templi ruinam; tunc enim Ierusalem nominabatur Populus Iuda: quando autem loquitur de peccato Israel, intelligitur de toto populo, qui erat in Ierusalem tempore secundi templi, quando Christus venditus fuit: qui populus ab eo tempore incepit appellari Israel. Ex quo manifestè colligitur Prophetam loqui de venditione Christi per populum ingratum, & eo dignissimum supplicio, quo propter illud horribile, & execrabile quartum peccatum afficitur, & afficietur vsque in finem mundi, quandiu de peccato illo non doleat, Christumque recipiat, & baptizetur: & fiat cum Ecclesia Christiana vnum corpus mysticum Christi; vt Christi Spiritu viuat, & saluetur; aliter in perpetuum damnabitur.

34. Dicunt 4. aliqui Rabbini, præsertim Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Chimchim in expositione huius prophetię, per venditionem iusti, & pauperis intelligi venditionem litis iustæ pauperis; quam litem Iudices Ierusalem non volebant pauperi litiganti, nisi accipiendo ab illo pretium, & munera, adiudicare: vnde arguunt non intelligi prophetiam de venditione Mesiæ iusti. Hæc tamen

expo-

expoſitio falſa omnino eſt; & apertè contra ipſum textum. 1. quia Propheta loquitur de venditione hominis, non de venditione litis. 2. quia Propheta dicit propter hoc peccatum vendendi Iuſtum, non eſſe vnquam parcendum populo illum venditurо: ergo non loquitur de illo peccato, iudicandi per munera accepta à litigantibus: nam maiora peccata ſunt idololatria, & occiſio Prophetarum; & tamen Deus illa remiſit, reducendo populum iterum in Ieruſalem: propter illud verò peccatum, ait populum illum à Ieruſalem expulſum, nunquam eſſe iterum reducendum: ergo maius eſt illud peccatum, quod maiori punitur ſupplicio: aliter Deus eſſet iniuſtus Iudex. Et certè horribile illud peccatum Deicidij per iniquiſsimam venditionem digniſsimum erat eo acerbiſsimo ſupplicio à Propheta prophetizato; nimirum, vt eſſent in perpetuo exilio ſine ſpe reuertendi ad patriam, diſperſi, ſine Rege, ſine Principe, & Republica; vt nunc omnes vident, & ſunt iam præteriti 1680. anni, & plùs; & ſic erunt ſemper vſque ad finem mundi. Ex quibus omnibus euidenter colligitur, Prophetam Amos loqui de Chriſto Domino vendito per Iudæos; & conſequenter iam eſſe impletam in Chriſto Domino illam prophetiam; Iudæoſque eſſe in perpetua damnatione, Chriſtum Saluatorem noſtrum non recipiendo.

35. Secunda prophetia eſt Prophetæ Zachariæ cap. 11. num. 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus ad me: proijce illud ad Statuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* Hanc prophetiam impletam eſſe in Chriſto Domino conſtat ex Sacro Euangelio Matth. 27. num. 9. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Iſrael: & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Et Act. 1. num. 19. Hæc prophetia eſt clariſſima, & non poteſt intelligi niſi de Chriſto: nam ſolus Meſſias Chriſtus eſt homo Deus; vt ſupra ex Scripturis etiam veteris teſtamenti demonſtratum eſt: Propheta verò hîc lo-

quitur de venditione hominis Dei: sic enim ait ipse Dominus per Prophetam: *decorum pretium, quo appretiatus sum*; ego Dominus: ergo non possunt Hebræi negare illam intelligi de Christo.

36. Contra hanc veritatem opponunt Hebræi 1. Euangelistam Matthæum citare Ieremiam pro Zacharia: Ieremias enim non habet hanc prophetiam; sed Zacharias: ergo &c. Respondetur 1. hanc instantiam Iudæorum non illos iuuare ad negandam veritatem, sed ad summum ad dicendum, fuisse vnum Prophetam citatum pro alio; quod non infirmat veritatem rei: nam iam illi concedunt hoc expressè dici in Zacharia; & ipsi etiam credunt prophetias Zachariæ esse eodem modo infallibiles, atque sunt prophetiæ Ieremiæ: si ergo illis iam constat de infallibilitate prophetiæ, quid interest de diuersitate nominis Prophetæ; cùm Spiritus Sanctus non minùs per vnum, quàm per alium eloquatur? Ad difficultatem ergo de allegatione vnius Prophetæ pro alio, variæ sunt responsiones Doctorum, vt videre est apud D. Augustin. lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 7. communior responsio est D. Hieron. Iansenij, Baronij, quos citat, & sequitur Suar. de vita Christi q. 46. art. 8. disp. 34. sect. 1. in fine: qui dicunt in multis codicibus textum Matthæi habere tantùm sic. *Quod dictum est per Prophetam*, tacito eius nomine; postea ab aliquo fuisse per errorem allegatum in margine Ieremiam pro Zacharia; & ex margine irrepsisse in textum; quod nihil refert, dummodo constet, vt constat, hanc Christi venditionem fuisse prædictam à Propheta vero, vt est Zacharias. Aliter respondet D. August. cit. dicendo, Ieremiam etiam habuisse illam prophetiam; sed modò in illo textu deficere; sicut multæ alię prophetię nunc non reperiuntur, & erant in Codicibus vetustissimis: vnde Euangelista potuisset apud se habere integras illius Prophetæ prophetias.

37. Opponunt 2. Euangelistam diuerso modo scripsisse prophetiam, atque est in Propheta: nam Propheta

ait

ait pretium datum fuiſſe ſtatuario; Euangeliſta, figulo. Hæc etiam inſtantia futilis eſt: nam ſatis eſt, quòd Euangelium conforme ſit prophetiæ in ſenſu, licèt non in verbis: nam etiam Dauid multas aliorum Prophetarum affert prophetias ſuis conformes in ſenſu, licèt non in verbis: quia finis Prophetarum, & Euangeliſtarum non eſt tranſcribere verba, ſed ſenſum; & omnes loquuntur eodem Spiritu Sancto, qui eſt Spiritus veritatis.

CAPVT SEPTIMVM.

Oportere iuxta prophetias Christum pati, crucifigi, ignominijs, & opprobrijs vexari, & morte crudeliſſima occidi.

38. IMpij Iudæi falſo excandeſcunt zelo, & maximum patiuntur ſcandalum, dum illis prædicatur Meſſias turpi confixus patibulo, quem expectabant glorioſum in throno: ſi tamen illi legerent, intelligerentq; Scripturas, Crucis myſterium agnoſcerent; & crederent Deum eſſe illum, qui in carne aſſumpta pro nobis eſt crucifixus: imò ſi illis proponeretur Meſſias non patiens, nec moriens, falſus eſſet Meſſias; quia eo ipſo non eſſet ille, quem Prophetæ prædixerant: ex quo patet eos à veritate aberrare, dum ipſi expectant alium diuerſum ab illo, quem Prophetæ prædicauerunt venturum; ipſi expectant Regem temporalem Prophetæ prædixerunt Regem æternum; ipſi cum pompa, Prophetæ cum humilitate, ipſi cum diuitijs, Prophetæ cum inopia prædixere.

39 Sed videamus iam prophetias de Chriſti paſſione, opprobrijs, & morte ita clarè loquentes, vt non tam prophetia de futuro, quàm exactiſſima hiſtoria de præterito „ eſſe videatur. Sic enim ait Iſaias cap. 53. Quis credidit „ auditui noſtro? & brachium noſtrum, cui reuelatum „ eſt? & aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix „ de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor: & vi-

„ dimus eum, & non erat aſpectus;& deſiderauimus eum.
„ Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum,
„ & ſcientem infirmitatem; & quaſi abſconditus vultus
„ eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Verè
„ languores noſtros ipſe tulit; & dolores noſtros ipſe por-
„ tauit; & nos putauimus eum, quaſi leproſum, & per-
„ cuſſum à Deo, & humiliatum: ipſe autem vulneratus
„ eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſce-
„ lera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & liuo-
„ re eius ſanati ſumus: omnes nos, quaſi oues errauimus:
„ vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Deus
„ in eo iniquitatem omnium noſtrum: oblatus eſt, quia
„ ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occi-
„ ſionem ducetur; & quaſi agnus coram tondente ſe ob-
„ muteſcet; & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & iudi-
„ cio ſublatus eſt: generationem eius quis enarrabit?
„ quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus
„ populi mei percuſſi eum; & dabit impios pro ſepultura,
„ & diuitem pro morte ſua: eo quòd iniquitatem non fe-
„ cerit, neque dolus fuerit in ore eius: & Dominus voluit
„ conterere eum in infirmitate: ſi poſuerit pro peccato
„ animam ſuam, videbit ſemen longæuum: & voluntas
„ Domini in manu eius dirigetur: pro eo, quod labora-
„ uit anima eius, videbit; & ſaturabitur: in ſcientia ſua
„ iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos; & iniquita-
„ tes eorum ipſe portabit: ideo diſpertiam ei plurimos, &
„ fortium diuidet ſpolia; pro eo, quòd tradidit in mortem
„ animam ſuam; & cum ſceleratis reputatus eſt; & ipſe
„ peccata multorum tulit; & pro tranſgreſſoribus roga-
„ uit.

40. Omnia hæc impleta ſunt ad vnguem in Sacratiſſi-ma Chriſti paſſione: & in hac clariſſima prophetia oſten-dit Propheta 1. difficultatem, quam habituri erant Iudæi in credendo tam profundum myſterium ſacratiſſimæ paſ-ſionis, dicens: *Quis credidit auditui noſtro*. Et ratio diffi-cultatis in credendo eſt: quia Meſſias non generaretur,

ſicut

ſicut alij homines per viam naturalis generationis ex mare, & fœmina corrupta; ſed aſcendere debuerat ex virgine *ſicut virgultum* ex arbore, *coram eo*, ideſt, nullo in inſtanti fuit illud virgultum humanum ſine vnione hypoſtatica cum Deo: *de terra ſitienti*, i. de Virgine abſque vllo maris ſemine:& ideo dicit:*Generationem eius quis enarrabit?* quia Meſſias duas habet generationes, vtramque mirabilem; primam æternam, qua generatur ab æterno Deus ex Deo Patre ſine matre; ſecundam, qua generatus eſt in tempore homo ex Matre ſine Patre. 2. oſtendit hunc hominem Deum Meſsiam Sanctiſsimum ita poſitum à Deo in mundo, vt pateretur acerbiſsimos dolores propter ſcelera noſtra; & 8. vicibus hoc in hac prophetia expreſſit. 1. *Languores noſtros ipſe tulit.*2.*Dolores noſtros ipſe portauit.* 3. *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* 4. *attritus eſt propter ſcelera noſtra.* 5. *poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* 6. *propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* 7. *iniquitates eorum ipſe portabit.* 8. *ipſe peccata multorum tulit*: ideo Propheta eandem rem toties repetiuit; vt intimaret ſummo conatu hominibus, quanto eſſent obſtricti, & obligati homini Deo Sanctiſſimo Meſſiæ, & Saluatori noſtro Chriſto IESV; & vt illum ſummo amore complecteremur, gratiaſque innumeras ageremus, maximè, quia id ex amore erga nos ſua ſponte fecerit; vt denotant verba: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit: tradidit animam ſuam in mortem, poſuit animam ſuam pro peccato*, s, ſuorum: & ideo oſtendit 3. illum fuiſſe innocentiſſimum dicens: *Iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius:* item toleraſſe hos dolores, tormenta, iniurias, calumnias, opprobria, mortem incredibili patientia, quod ſignificat per ſequentia verba: *Non aperiet os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur: quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*: imò pro inimicis, & illum crucifigentibus, & inhumaniſſimè, crudeliſſimèque tractantibus à Patre veniam poſtulaſſe; *& pro tranſgreſſoribus rogauit*; quod etiam narrat Euangelium: *Pater ignoſce illis &c.*Oſtendit 4. hos dolores, & tor-

& tormenta, mortemque Sanctissimi Messiæ Christi IESV nostræ salutis remedium extitisse: *Cuius liuore sanati sumus. Disciplina pacis nostræ super eum.* Ostendit 5. tanta inhumanitate Iudæos, & illorum instigatione carnifices vsuros esse contra Christum mansuetissimum Agnum; vt ipse, qui est *splendor Patris, & speciosus forma præ filijs hominum*, ex cruore vulnerum, & misto puluere deformis ita redderetur, vt ei iam deesset species, & decor; videretur, & non esset aspectus, quasi esset mutatus in alium: *Non erat ei species, neque decor &c.* Ostendit 6. illum esse reputandum, quasi leprosum, à Deo reprobatum, & derelictum, & humiliatum: *Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* 7. cum sceleratis esse reputandum: *Et cum sceleratis reputatus est*: item illi dandam sepulturam, malefactoribus, & impijs dari consuetam, & nobilem quendam, ac diuitem, s. Ioseph ab Arimathia curaturum eidem mortuo dare sepulturam. *Dabit impios pro sepultura; & diuitem pro morte.* 8. post mortem suam libenter pro salute hominum tolerandam fore, vt ille iam à mortuis rediuiuus semen longæuum videret; i. populum Christianum, per conuersionem gentium à Gentilismo, & multorum Iudæorum à Iudaismo: id denotant illa verba: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum: iustificabit multos. Dispertiam ei plurimos. Fortium diuidet spolia, pro eo, quòd tradidit animam suam.*

41. Hæc prophetia clarissimè impleta est in Christo Saluatore nostro, vt iam dictum est; quod quidem omnibus est notissimum; nec ista omnia verificata esse in Christo negant Iudæi: quia tamen vident se esse conuictos; execrabili cæcitate, & obstinatione dicunt Prophetam non loqui hic in sensu vero, pro Messia; sed in figuratiuo, pro populo Hebræo. Hæc tamen Iudæorum responsio indignissima est hominum rationis capacium, nec alia reiectione opus est; quàm illos, vt legant textum, monere, & eosdem risu exsibilare, & vt mentis expertes explodere. Dicant

cant Hebræi, si Isaias loquitur de populo, quomodo poterat cum veritate dicere illum non commisisse peccatum; cum expressè dicat peccata ipsius populi: *Ob scelus populi mei?* quomodo illum esse sine dolo; quando toties asserit dolos, iniquitates, idololatrias, & rebelliones populi ingrati erga ipsum Deum? Si loquitur de alio populo distincto à populo Hebræo; assignent, qui sit ille populus; quem Deus percussit, vt per eius percussionem, & mortem saluaret, & redimeret Iudæos? credant ergo ipsum populum esse sceleratum, & ipsum esse saluandum per filium Dei iustum, & innocentissimum. Fateantur item Redemptorem à populo redimendo esse distinctum, illum esse Agnum mansuetum, qui coram tondente se obmutescebat; Hebræum populum esse canem rabidum, qui latrabat: *Circumdederunt me canes multi*: ille obmutescens ad mortem ducebatur; ipsi clamantes, ad mortem adigebant, & incitabant. *At illi magis clamabant: Crucifige, crucifige eum*. Erubescant Iudæi, dum apertæ lucis radijs perstrictos habentes oculos tenebras appetunt, lucemque refugiunt.

42. Exponunt adhuc Hebræi verba illa, *percussi illum*, vt debeat legi, percussi illos, & consequenter non intelligitur de percussione facta Messiæ, sed facta populo, qui ex multis constat. Quòd verò debeat legi: *Illos*, in numero plurali, probant: quia, scribitur per vocem Hebraicam, *Mem*, quæ significat numerum pluralem. Sed miseri Iudæi non vident, vt bene notauit Rabbi Dauid Chimchim in lib. appellato, *Michol*, illam vocem *Mem* etiam significare pronomen singulare *illum*, & non *illos*, quod patet ex multis locis Sacræ Scripturæ. 1. ex Iob. cap. 22. ver. 3. *Numquid Deo potest comparari homo etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?* & text. Hebraicus ita habet: *Aut potest quidquam iuuare; si illi comparetur intelligens?* in quo loco, vt significaret illum in singulari, vtitur illa voce *Mem*. 2. ex eodem Iob. cap. 20. vers. 23. *pluat super illum bellum suum*. Vbi per citatum Rabbinum dictio *Mem* assumitur ad signifi-

can-

candum pronomen, *illum* in singulari. Cùm igitur illa dictio Hebraica sit indifferens ad significandum plurale, & singulare; non potest negari in textu Isaiæ, deberc legi, propter scelus populi mei, *percussi illum*; non autem *percussi illos*: aliter totus contextus Isaiæ redderetur ineptissimus, & implicatorius; & omnino incohærens, si, dum semper in eo textu de Saluatore illo per passionem suam loquitur in singulari, in illo versiculo loquens de eodem, vt vno, debeat legi, vt de multis: vnde vides, quanta sit obstinatio Iudæorum, vt, ne à veritate ipsa conuicti videantur, prophetiæ sensum detorqueant?

43. Instant perfidi Iudæi Rabbinum illum, licèt dicat illam dictionem *Mem* componentem nomen lamo significare etiam numerum singularem; non loqui de illa litera, vt componit nomen *Mo*, ac proinde non bene eius authoritatem allegari. Friuola instantia: nam differentia inter *lamo*, & *Mo* sola est, quæ datur inter *ad illum*, & *illum*. Vtrumque est singulare; & solùm variatur casus, non multiplicatur numerus, quod manifestè constat ex Genes. 9. vers. 27. *Benedictus Dominus Sem; sit Chanaan seruus eius*. Vbi casus obliquus, *Eius*, in singulari scribitur per dictionem Lamo, itaut *La*, sit adiuncta vox, *Mo*, non vt multiplicet numerum, sed vt variet casum: nec potest negari nomen *Eius* illic significare singulare: nam ibi significat indiuiduum Sem; aliter sensus scripturæ esset mutatus. Hoc etiam constat ex Psal. 54. vers. 20. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula*. Vbi nostra vulgata habet, *non est illis commutatio*. Hebraicus textus, legit. *Non est illi commutatio*. Et Dauid Chimchim exponens hunc textum, sic ait: vox illa *Lamo* est sicut vox *Lo*, quæ significat illi, i, Deo, in singulari. Deinde Isaias cap. 54. vers. 19. Loquendo de vno idolo in singulari, sic dicit. *Cor insipiens adorauit illud*, & significatur ibi per vocem *Lamo*: quæ ibi non significat idola in plurali, sed idolum in singulari: alios similes casus in Sacra Scriptura, ne multus sim, prætermitto. Ex quibus manifestum est Prophetam

loqui

loqui in ſupra poſita prophetia de Meſſia paſſo in carne, & Hebræos, ſi hoc negant, à Prophetis, & à lege diſcedere. Vnde ipſi etiam Rabbini tandem euidenti illa prophetia conuicti affirmant Prophetam ibi loqui de Meſſia. Ita Rabbi Moyſes ſuper Geneſ.cap.24. Ialcut ſigno 338. & in lib.Tanchuma Midras Tillim in Pſal. 2. & antiquiores alij, approbatiſſimique Rabbini: cùm ergo omnia illa, vt dictum eſt, fuerint, nullo dempto, verificata in Chriſto IESV, euidens eſt illum eſſe verum Meſsiam.

44. Hoc etiam Sanctiſsimæ Paſsionis arcanum recludit Iſaias cap.43.verſ.24. *Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis: præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis: ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Deus hîc loquitur per Iſaiam, & aſſerit peccata hominum effeciſſe, vt ipſe Deus ſe faceret ſeruum, i, hominem; nam Deus, vt Deus, neminem ſupra ſe habet, cui ſeruiat: in condonandis iniquitatibus laborem patitur Meſsias Sanctiſsimus; Deus eſt, qui peccata delet: *Ego qui deleo*: homo eſt, qui tormenta patitur: *Mihi laborem*. Impaſſibilis, vt Deus, paſſibilis, vt homo. Non poſſunt igitur Hebræi paſsionem Meſsiæ prædictam fuiſſe à Prophetis inficiari. Quòd autem Meſsias Sanctiſsimus in Sacris Scripturis dicatur ſeruus; omnes Rabbini fatentur, & id illi probant ex Iſaiæ cap.52. verſ.13. *Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur; & ſublimis erit valde.* Idem expreſsit Zacharias c.3. verſ.9. *Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem: quia ecce lapis, quem dedi coram IESV: ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt: Ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Expreſsè loqui Prophetam de Meſsia docet cum cæteris Rabbinis Rabbi Salomon in expoſitione huius textus. Dixit, *Adducam*, s, ego Deus adducam: quia naturæ viribus non poterat natura humana adduci, ſeu aſſumi per vnionem hypoſtaticam ad Verbi ſubſiſtentiam, per quam vnionem fieret Deus homo. Dixit: *Seruum meum*, propter

 for-

formam hominis, qui Dei est seruus. Dixit, *Orientem*; quia Oriens est nomen eius, vt ait idem Zacharias c. 6. num. 12. *Ecce vir oriens nomen eius*. Oriens quidem quà Deus Verbum æternum; quod oritur ex sinu Patris sine consortio Matris; oriens etiam, quà homo, dum oritur ex vtero Virginis MARIÆ Matris sine consortio viri. Dixit: *Ecce lapis*: quia in varijs sacræ paginæ locis Christus dicitur lapis, primariumque fundamentum Ecclesiæ: *Quem dedi coram IESV*, idest, coram Summo Sacerdote (visus enim fuerat Prophetæ Summus Sacerdos IESV vocatus:) Christus verò fuit præsentatus Summo Sacerdoti Caiphæ, iuxta illud Matth. 26. vers. 57. *At illi tenentes IESVM duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum*. Itaque in ea visione Propheta vidit Christum præsentatum coram Summo Sacerdote; qui illum debuerat recipere, & non recepit, sed reprobauit in ea Synagoga Satanæ; vt sic impleretur alia scriptura, & prophetia in Psal. 117. vers. 22. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; à Domino factum est istud; & est mirabile in oculis nostris*: & per hunc lapidem intelligi Messiam ipsi etiam Rabbini intellexere, vt supra vidimus: & verè Christus à Deo factus ex virgine in omnium oculis fuit mirabilis propter stupenda miracula, quæ in omnium oculis patrauit. *Super lapidem vnum septem oculi sunt*, possunt optimè exponi ex isto fonte lapideo septem cælestis aquæ manantes oculi; i, septem Ecclesiæ Sacramenta, quæ perennem gratiæ cælestis aquam effundunt: *Ecce ego cælabo sculpturam eius*; i, mirabilem Ecclesiæ fabricam in summa perfectione operis construam. *Et auferam iniquitatem in die vna*, i, in die illa, qua Christus est passus, & Redemptionis opus consumauit, iuxta illud: *Consummatum est*; in illa die fuit ablata iniquitas, Diabolus superatus, & mors morte deuicta.

45. Opponunt Hebræi aliqui adhuc obstinatissimi has prophetias probare quidem passionem, & mortem Messiæ; sed non ignominiosam Christi mortem per Crucem; ergo

ergo non loquuntur de Christo, quem nos fideles credimus crucifixum fuisse. Friuolum Hebræorum argumentum. An qui passus est crucem, non est passus? qui in cruce mortuus est, non est mortuus? quando igitur Prophetæ dicunt Messiam passurum, & moriturum esse; quocumque genere violentæ mortis, & passionis Messias patiatur, impleta est prophetia, quia mori in cruce est mori; pati in cruce est pati; solùm argumentarentur bene, si Prophetæ dicerent moriturum, non autem morte crucis: quia iam moriendo in cruce, contradiceretur ipsi prophetiæ; sed, ne etiam istud miserum habeant effugium; ecce alia prophetia, quæ exprimit Messiam passurum esse mortem Crucis: sic enim ait idem Zacharias cap.12. n.10. *Et aspicient ad me, quem confixerunt*, quasi diceret Dominus; variæ sortes hominum aspicient ad me è cruce pendentem, clauisque eidem cruci confixum: quidam ex illis, qui me cruci affixerunt, Iudæi, & carnifices ab illis instigati aspicient, & mouebunt capita sua, dicentes: *Vah, qui destruis Templum Dei, & tertio die readificas illud*: alij verò aspicient iam mortuum, & videntes terram moueri, petras scindi, sepulchra reserari, velum templi duas in partes subitò rescindi: solem obscurari, iam aspicient me, vt me, i, vt Deum suum, & non solùm vt hominem, & dicent: *verè Filius Dei erat*.

46. Vt autem intelligas, totam hanc prophetiam esse de Christo vero Messia in cruce posito propter scelera nostra; aduerte ad singula verba Prophetæ diuino Numine afflati; in quibus omnes circumstantiæ, effectus, & euentus huius sacratissimæ passionis mirabiliter explicantur. In primis n. 1. incipit: *Onus verbi Dei super Israel*, i, totum pondus istius prophetiæ, siue Verbi Domini, seu totam materiam, circa quam, esse Ecclesiam Christi; quæ dicitur Israel, i, videns, & cognoscens Deum: siquidem extra Ecclesiam Christi non cognoscitur verus Deus Trinus, & Vnus. In eodem num. 1. Vt ostendat suam hanc prophetiam verissimam, ait illam fuisse dictatam non ab aliquo

falſo numine, ſed ab illo Deo, qui creauit Cœlum, & Terram, & homines: *Dixit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens*, i, *producens*, *ſpiritum hominis in eo*; *in corpore eius*. Ponit hîc omnipotentiam creantis, vt commendet infinitam veracitatem dicentis.

47. Sequitur num. 2. *Ecce ego ponam Ieruſalem ſuper liminare crapulæ omnibus populis in circuitu; ſed & Iuda erit in obſidione contra Ieruſalem*, i, ego ponam, ſeu extruam Eccleſiam iſtam meam in ipſo eius limine, ſiue principio, itaut fideles, i, Apoſtoli, & alij diſcipuli illam Eccleſiam ſequentes, exiſtimentur, vt ebrij, & crapulæ immerſi iuxta illud Act. 2. verſ. 15. *Non enim, ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt*, non ſolùm ab omnibus populis in circuitu mundi, ſed ab ipſis etiam Iudæis Iudæ filijs; qui hanc nouam Ieruſalem, i, Eccleſiam tunc incipientem obſidione cingent; i, Chriſti diſcipulos hinc, illic perſequentes, in carcerem conijcientes, & occidentes, vt Petro, Stephano, & Iacobo effecerunt. Num. 3. *Et erit in die illa: ponam in Ieruſalem lapidem oneris*, i, *lapidem firmum, & pondere immobilem cunctis populis*, i, nationibus totius mundi, ſcilicet Meſſiam primarium lapidem huius nouæ Ieruſalem, meæ Eccleſiæ per cunctos populos extendendæ: & omnes, *qui leuabunt eam*, ideſt, qui hanc Eccleſiam leuauerint, i, impugnauerint, & tanquam quid leue, & inutile iudicauerint, illam non ſequentes, tanquam quid ſcandaloſum, vt Iudæi, vel tanquam quid ſtultum, & vanum, vt gentes, *conciſione lacerabuntur*; i, damnatione æterna punientur; iuxta illud eiuſdem Domini: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Marci 16. verſ. 15. & ſequitur eodem num. *Et colligentur aduerſus eam omnia regna terræ*, i, contra iſtam Eccleſiam totus mundus inſurget Chriſtianos exquiſitis martyrijs, & tormentis occidendo. Et num. 4. *In die illa dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem eius in amentia*, i, omnes tam ſubditi ſignificati

per

per equos, quàm Principes significati per ascensores; siue tam plebei, quàm equites, & nobiles corripientur stupore tot mirabilium narratorum; & omnes percussi prædicatione Euangelica vel videbunt suam cæcitatem, & conuertentur: vel non conuertentur, & in sua cæcitate percussi iacebunt; *& super domum Iuda*, i, super Ecclesiam Messiæ de Tribu Iudæ, *aperiam oculos meos*, i, videbo illos, & vt meos recognoscam iuxta illud: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*. Et num. 5. *Et dicent Duces Iuda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum Deo eorum*, i, Apostoli duces dicent habitatoribus nouæ Ierusalem, s, Ecclesiæ in illam per baptismum ingressis, vt confortentur in Christo Domino Exercituum, i, cælestis militiæ. *Deo eorum*, i, intrantium in ipsam nouam Ierusalem per baptismum, hi enim adorant Christum credentes illum esse verum Deum; non ita perfidi Iudæi, & cæteri infideles.

48. Et num. 6. *In illa die ponam duces Iuda, sicut caminum ignis, in lignis, & sicut facem ignis in fœno*, i, ponam Euangelizantes, vt testentur veritatem Euangelij per martyrium ignis, aliorumque tormentorum. *Et deuorabunt ad dexteram, & ad sinistram*, i, ex omni parte deuorabunt omnes populos, i, in omnibus populis totius mundi erunt occisi Christiani. *Et habitabitur Ierusalem rursus in loco suo, in Ierusalem*, i, finitis persecutionibus, Ecclesia quiescet. Et n. 7. *Et saluabit Dominus tabernacula Iuda*, i, liberabit singulas Ecclesias Christianæ Religionis, sicut in principio, quando nulla erat persecutio; *Vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam*, i, vt nulla sit iam gloria Synagogæ, & antiquæ Ierusalem contra Iudam, i, contra Ecclesiam Christi ex tribu Iudæ descendentis. Et num. 8. *In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem*; i, habitantes in Ecclesia noua Ierusalē. *Et erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid, & domus Dauid, quasi Dei, sicut Angelus Domini in con-*

conspectu eorum, i,qui fuerit petra offensionis prædicando hanc nouam Ierusalem contra Synagogam, erit in conspectu fidelium sicut Angelus Domini,vt fuit Petrus,Paulus, & reliqui Apostoli;qui verè erant Angeli,i, missi à Domino. Et n.9.*Et erit in illa die;quæram conterere omnes gentes,quæ venient contra Ierusalem*;i,paulatim destruam falsũ cultum idololatrarum, qui Ecclesiæ opponentur. Et n.10. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum*, i, super hanc Ecclesiam, quæ est regnum in domo Dauid, iuxta illud, Luc.1.vers. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*; & super fideles huius Ecclesiæ Christianæ solùm erunt orationes, & preces Deo acceptæ; itaut in Synagoga, & in alijs superstitiosis Sectis, nullæ sint preces, & orationes Deo acceptæ. *Et aspicient ad me, quem confixerunt*; idest, aspicient ad me crucifixum venerabundi, preces effundendo, & orando; & scient ipsi me propter sũa peccata crucifixum; Iudæi me aspicient contemnendo, & peribunt; fideles aspicient honorando, & saluabuntur.

49. Et in vltimis verbis prophetiæ Propheta in spiritu vidit omnes fideles istius nouæ Ierusalem Dominum suum crucifixum plangentes: *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem*, & illum plangent fideles occisum tanquam occisum primogenitum, & vnigenitum, s, primum, & vnicum Filium Deiparæ Matris. Et notandum est non præterijsse Prophetam etiam hanc circumstantiam planctûs mulierum, vtpote sexûs magìs deuoti, dum illarum planctus ob Christum crucifixum prædicit, quinquies repetendo, *& mulieres plangent*, vt legenti textum patebit; & quòd ille planctus in illa die fiet in toto mundo.Quis enim non videat totam Ecclesiam plangere Christum crucifixum in die sacratissimæ passionis; istamque pietatem, & deuotionem à fœminis Christianis præcipuè exhiberi? Hanc pietatem exhibuerunt 1. mulieres in ipso die passio-

nis

nis Domini, iuxta illud Lucæ 23. verſ. 27. *Sequebatur autem illum turba multa populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum*: & 2. continuant omni die ſolemnitatis ipſius ſacratiſsimæ paſsionis; & in vniuerſo mundo Eccleſia à prima Dominica paſsionis veſte lugubri plangit ſigna doloris exhibendo. Ex his manifeſtum eſt Prophetam in hac prophetia prædixiſſe Chriſtum crucifixum, & deinde illum crucifixum tanquam primarium lapidem Eccleſiæ, & ipſius ordinem, & ſeriem mira diſtinctione deſcripſiſſe, quod conſonum eſt cum eo, quod Chriſtus Saluator noſter dixerat: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*, ideſt, poſt mortem, & paſsionem meam mundus vniuerſus me ſuum Redemptorem agnoſcet, & adorabit.

CAPVT OCTAVVM.

Oſtenditur ex alijs prophetijs Meſsiam in cruce clauis eſſe transfigendum.

50. HOC Crucis Chriſti myſterium clariſsimis verbis expreſsit Dauid pſal. 21. qui totus eſt de Meſsia, nec poteſt de alio exponi, ſic ait, verſ. 17. & ſequentibus: *Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Vbi manifeſtè vides præuidiſſe in ſpiritu Dauid totum, quod ſuo ordine ſucceſsit in Chriſti paſsione. 1. Comprehenſionem in horto Getſemani factam à militibus armatis; quos vocat canes, quia erant infideles, & gentiles, quibus vſi ſunt perfidi Hebræi; illos expoſcendo à Pilato Præſide Romano in auxilium, vt tutò poſſent Chriſtum comprehendere. 2. Concilium à Sacerdotibus Hebræis initum, vt Chriſtum morte damnarent; quod vocat concilium malignantium;

tium; quia totum odio, inuidia, malignitateque æstuabat. 3. Ponit genus mortis illi datæ, clauis manus, & pedes transfigendo in ligno Crucis, nudum in cruce positum, vt vestibus nudato possent omnes ossa illius sic nudi dinumerare. 4. Ponit Iudæos illum è cruce pendentem considerantes, & inspicientes. 5. Diuisisse milites sacra eius vestimenta, & supra inconsutilem eius vestem misisse sortem. 6. Ponit preces, & orationem Christi ad Patrem. 7. Dicit illum fuisse exauditum à Patre illum resuscitando à morte. 8. Dicit in huius passionis memoriam Eucharistiæ Sacramentum institutum. 9. Illum esse adorandum ab vniuersis familijs gentium. 10. Constitutam mox Ecclesiam Christi Domini Regnum esse. 11. Illum dominaturum esse gentibus. 12. Omnes Reges, & Principes genua flexuros ante pedes eius. 13. Apostolos, Cœlorum nomine significatos, eius iustitiam, seu legem Euangelicam annuntiaturos nouo illi populo, qui nascetur, quem de nouo fecit Dominus, i, Ecclesiam Christianam. Videant igitur Hebræi, si poterat Dauid clariùs loqui de Christo Saluatore nostro; in quo omnia prædicta fuerunt suo ordine omnino impleta, vt narrant Euangelistæ; nec ipsi negant Hebræi: & omnes vident hunc Crucifixum ab omnibus Regibus terræ adoratum.

51. Hebræi videntes se hac euidētissima prophetia prorsus esse conuictos, ausi sunt per summam impudentiam textum sacrum corrumpere; & vbi textus Hebraicus habet Caru, i, *foderunt*; posuerunt, Cari, i, *sicut vnus Leo*; quæ verba, cùm nullum faciant sensum, obscurant, imò reddunt ineptum sensum Prophetæ. Sed hæc est illorum obstinatio, vt non erubescant reddere textum sine vllo sensu; ne veritati assentiantur. Vt intelligas hanc illorum corruptionem textui factam; scire debes multa Sacræ Scripturæ loca ab illis esse corrupta: atque hoc illi fecere Rabbini, & appellarunt *Tucun Soferim*, s, corruptionem Scribarum; & eò dementiæ deuenerunt, vt audeant dicere hoc ab Esdræ factum fuisse, quod sanè falsissimum est: nam

nam si ea corruptio facta fuisset ab Esdra, diceretur correctio Esdræ, & non Scribarum: an si D. Paulus corrigeret aliquem textum, diceretur correctio Augustini, & non Pauli? Igitur hic locus Psalmi est vnus ex correptis, seu potiùs corruptis à perfidia Iudæorum, similis quidem alteri loco Ieremiæ 33. quem ipsi enormiter corruperunt, vt supra vidimus cap. 3. Causa huiusce corruptionis fuit, quia videbant in Christo Domino clarissimè impleri scripturam de manibus, & pedibus in cruce transfixis; & in nullo alio impleri, nec cum omnibus circumstantijs impleri posse; ita textum, qui habet, Caru, i, foderunt, seu perforarunt, mutarunt in Cari, i, sicut Leo; qui nullum sensum facit. Videatur liber Masoreth tantæ authoritatis versus Hebræos, vt nullus maioris esse possit authoritatis. Vbi in expositione cap. 24. Numeri. vers. 9. *Accubans, vt Leo,* ita dicit: *In quatuor Sacræ Scripturæ locis inuenitur hæc vox Cari: in duobus locis est punctata cum Camez, cum vocali longa; & in duobus punctata est cum pathach,* i, *cum vocali breui*: & ponendo hunc locum Psal. 22. in numero illorum quatuor locorum, dicit; hunc esse scriptum, Caru, i, perforauerunt, seu foderunt. Idem dicitur in Traditione Maiori, dicta Mesaraghedola, summæ authoritatis apud Hebræos, vbi sunt hæc verba: *In aliquibus Codicibus correctis non reperitur Cari, sicut Leo; sed Caru, Perforarunt.* Ex quo manifestè patet ipsos vitiasse textum Dauid, non aliâ de causâ, nisi, quia vident prophetiam impleri in Christo IESV, cuius manus, & pedes Iudæi perfidi in cruce perforauerunt: ergo Christus est verus Messias, de quo loquitur clarissimè Propheta in hoc loco.

52. Hebræi obstinatissimi videndo se comprehensos in furto vitiandi Sacram Scripturam; vlterius procedunt in amentia sua, dicendo hunc Psal. non loqui de Messia, sed de captiuitate Babylonis: dicuntque per titulum Psalmi, *Pro susceptione Matutina*, intelligi Reginam Esther, & dicendo, *super vestem meam miserunt sortem, diuiserunt sibi*

M *ve-*

vestimenta, intelligi de Mardochæo, spoliando, suspendendo per iniquum Haman; & de populo Iudaico, quem volebat ipse gladio confodere. Non potest certè magis stulta expositio excogitari, & plùs opposita menti Prophetæ. Propheta loquitur de eo, qui crucifigendus erat; & de eo, cuius manus, & pedes transfigendi; Mardochæus verò, quando fuit crucifixus? quando illius manus, & pedes fuerunt clauis transfixi? Propheta in ea prophetia dicit hunc Crucifixum esse adorandum ab vniuersis familijs terræ; quis non videt Christum ab vniuersis familijs gentium adorari? quo pacto hæc de Mardochæo verificata sunt? dicit item ibi Propheta illum daturum esse panem, quem qui manducet, viuet in æternum. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum; viuent corda eorum in sæculum sæculi*. Quis ignoret hoc impletũ fuisse in Christo Saluatore nostro Crucifixo, qui dixit: *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi; qui manducat hunc panem, viuet in æternum*? quomodo potest hoc Mardochæo applicari, vel populo Israelitico? Propheta ait per istum Dominum vniuersos fines terræ conuertendos esse ad Deum. *Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ*: hoc in Christo quis non videt? hoc in Mardochæo quis somniauit? de eodem dicit dominaturum terræ. *Domini est Regnum: & ipse dominabitur gentium*. Hoc in Christo verissimum; falsissimum in Mardochæo; & multò falsiùs in populo Israelitico, qui sine Rege, & Principe dispersus est; sub iugo ignominiosæ seruitutis, vt ipsi se considerant; & sine vlla spe à suo miserabili exilio reuertendi lugent; & vtinam suam deflerent obstinationem, vt ad suum conuersi Saluatorem salutem obtinerent.

53. Ex quibus etiam manifestum est, psalmum illum non loqui de ipsomet Dauid, vt aliqui valde ignorantes Hebræi somniarunt. Quomodo enim ea, quæ supra vidimus, possunt personæ Dauid accommodari? Vnde Rabbini plùs docti exponunt psalmum illum de Messia; sicuti le-

legitur in libro Ialcut ſupra Iſaiam cap. 31. & docent ibi Rabbini hunc Iſaiæ locum, & Pſalmum 22. loqui de Meſſia, & non poſſe de alio verificari, cùm textus illi ſint per ſe clari.

54. Non minùs clarè loquitur de Meſſia crucifixo Propheta Iſaias cap. 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* Reſpondet Dominus IESVS: *Ego, qui loquor iuſtitiam; & propugnator ſum ad ſaluandum*, & ſequitur: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari?* Reſpondet idem Dominus: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*. Qui textus citatur in lib. Ialcut fol. 366. vbi dicunt illi Rabbini Deum volentem punire Eſau impium ponendo ſupra illum peccata ipſius, & videndo illum non potuiſſe ſupportare tantum pondus, ſupra ſe aſſumpſiſſe illa peccata; & mox veſtis illa Domini alba ſicut nix fuit facta rubra, & ſanguinea. Dominus iſte eſt Meſſias Deus, & homo: veſtis eſt humanitas, quæ in paſſione Crucis facta fuit ſanguinea, & rubra ex vulneribus acceptis in manibus, ac pedibus per clauos, & in capite per ſpinas, in latere per lanceam. Eſau impius ſignificat peccatores, qui pro peccatis non poterant ſatisfacere Deo: ideo neceſſe fuit, vt Deus homo in humanitate aſſumpta pateretur, hominesque ſaluaret; & ſic meritò dicit: *Propugnator ſum ad ſaluandum*, per tormentum crucis figuratæ in torculari; quod Deus ſolus calcauit, i, ſolus Chriſtus nos redemit: quia ſolus poterat exhibere æqualem ſatisfactionem: quæ prophetia clarior euadet per aliam prophetiam Zachariæ cap. 13. verſ. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dicent: his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me*. In qua prophetia Propheta inducit Angelos Dominum interrogantes, quid ſignificent illæ plagæ in medio manuum ſuarum, Chriſtus Dominus eas inflictas ſibi eſſe ab Hebræis reſpondit: quaſi diceret; Hebræi, qui erant populus meus, qui me diligere debuerat, quem

ego præ cæteris populis amaui, totque beneficijs affeci, cui tot miracula patraui, toties à seruitute eripui, populumque meum mihi elegi; & tandem ego ipse ad eos descendi de cœlo, vt docerem, saluarem, & ad viam æternæ salutis perducerem; populus hic ingratus hæc mihi inflixit vulnera. Vbi notandum dixisse plagas in medio manuum, vt significaret genus mortis toleratæ, nempe Crucis, per manus in cruce transfixas, ad hoc vt cum cæteris Prophetis, qui mortem crucis prædixerant, concordaret: si enim alio mortis genere occideretur, iam non foret Messias à Prophetis prædictus. Hoc etiam genus mortis à Messia tolerandæ prędixerat Moyses Deuter.c.23. v.66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te*. Quæ verba licèt in sensu literali intelligātur pro vita cuiusq; Hebræi Deo rebellis semper exposita mortis periculo propter suam rebellionem; in sensu tamen allegorico multi Doctores, etiam Rabbini interpretantur de Messia, qui nostra est vita; vt ipse de se dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*. Et id dicitur Deuteron.30.vers.20. *Ipse est enim vita tua &c*. Dum igitur Propheta dixit: *Vita tua erit pendens*, saltem in sensu allegorico, voluit significare Christum, qui nostra est vita, fore è Cruce pendentem: nam non minùs est admittendus in scriptura vt verus sensus allegoricus allegoricè, quàm literalis literaliter.

55. Eodem modo in sensu figuratiuo voluit Deus significare in lege veteri nostram sanctificationem, benedictionemque è Crucis mysterio pendere; & ideo, quando Sacerdos populum benedicebat, manum aptabat in modum crucis; similiter quando vngebatur Sacerdos, vnctio illa fiebat quatuor guttis diffusis per modum huius signi X, quæ est figura Crucis; Reges verò per modum coronæ. O. Ita legitur in Talmud in tractatu Cherethoth cap.1. lection. de compositione olei sacri. Idem affirmat Rabbi Salomon in expositione huius cæremoniæ, item in tractatu Menachoth c.8. & in lib. Rabboth. in exposit. Exodi; vbi agitur de vnctione Summi Sacerdotis; & in lib. Auen

Scio-

Scioheu; & reperitur in lib. Gharuc in radice Hebræa *Chi*, Græca X. Ratio est, quia omnis sanctificatio, iustificatio, & benedictio per Sacerdotes conferebatur spe Christi futuri, venturique; vt per mortem crucis omnes redimeret à peccato, & vt esset nostra sanctificatio; ideoque Deus voluit id multò antea per crucis figuram adumbrare.

56. Ex dictis manifestè constat prædictas illas prophetias impletas fuisse in Christo Domino, qui in Monte Caluariæ à Iudæis ingratis crucifixus fuit, vt constat ex historia Euangelica, nec negatur ab ipsis Hebræis; permittente Deo illud horribile sacrilegium, vt genus humanum per Sanctissimi Messiæ mortem, perque eius pretiosissimum Sanguinem redimeretur; tolleretur iniquitas, cœli portæ antea clausæ, idest, animæ etiam iustæ ante Christum cœlum non ingrediebantur, aperirentur; in quo Deus infiniti sui erga mundum amoris signa panderet, iuxta illud; *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*. Nunc restat explicare alias circumstantias, quæ in Christi passione euenere, quæ etiam per Prophetas fuere prædictæ; quod expediemus alias prophetias in sequenti capite referendo.

CAPVT NONVM.

Ostenditur ex prophetijs Messiam felle, & aceto cruciandum.

57. HÆC veritas expressè habetur in Ps. 68. vers. 20. *Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me; improperium expectauit cor meum, & miseriam: & sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* In hac prophetia tria dicit Propheta de Messia. 1. Summam illam ignominiam, & opprobrium Christi, dum nudus in patibulo inter duos latrones

trones suspensus fuit, tanquam famosus aliquis latro, impius, & malefactor; idque in conspectu innumeræ multitudinis diuersi status, & nationis, Romanorum, Græcorum, & Hebræorum; & ideo titulus damnationis fuit inscriptus literis Hebraicis, Græcis, & Latinis. Secundum. Omnes stare contra illum, quin pro se habuisset vllum defensorem; nam Hebræi illum fortiter accusabant; Romani sententiam iniquam ferebant; carnifices illum crudeliter, & immaniter torquebant; amici deseruerant; Mater Sanctissima acutissimo doloris gladio transfixa nati crudeliter cruciati, extremèque agonizantis augebat dolorem. Tertium. Quando ipse ostenderat acerbissima se affligi siti; fel, & acetum pro potu homines illos, seu potiùs immanes feras porrexisse. Hæc omnia impleta sunt in Christo; vt constat ex ipsa historia Euangelica, quod ipsi Hebræi non inficiantur, cùm in omnium oculis facta fuerint. Ergo vel prophetia fuit falsa: vel Christus noster Saluator verus est Messias: primum non dicent Hebræi; ergo non debent negare secundum.

58. Huic demonstrationi ex Propheta cùm non possint Hebræi respondere, dicunt prophetiam loqui de populo, dum erat in captiuitate Babylonis, non verò de Messia. Hæc tamen responsio est manifestè falsissima. 1. quia quando in hoc Psalmo Dominus loquitur de se, semper ea dicit, quæ non possunt appropriari populo; & quando ibidem loquitur de populo; semper ea profert, quæ non possunt appropriari sibi: de se semper vt de vno; de populo semper, vt de multis. Attende Hebræe sedulò, & seriò ad singulos versiculos istius Psalmi. In vers. 1. pro titulo: *In finem pro ijs, qui commutabuntur*; apertè loquitur de populo commutato sæpiùs, modò de fideli in idololatram; modò de Idololatra in fidelem; & tandem de populo Dei in iam non populum Dei, in quo statu nunc miserrimè iacet; & tunc loquitur de populo, vt de multis; *Pro ijs, qui commutabuntur*. In vers. 2. vbi loquitur Dominus Sanctissimus Messias de aquis tribulationum inducentium

tium ipſum ad mortem, per quam à corpore decederet anima; *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*, non dicit *Salua nos*; ſed *ſaluum me fac*; non dicit *animam noſtram*, ſed *animam meam*. In tertio, vbi loquitur de ſe ſepulto in profundo terræ, & iam non exiſtente Chriſti humanitate in illo triduo: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*, i, non eſt iam illius ineffabilis compoſiti exiſtentia: ibi dicit: *Infixus ſum, & non infixi ſumus*. Similiter, quando loquitur de ingreſſu ad mare ſuæ paſſionis: *Veni in altitudinem maris*, & *tempeſtas demerſit me*. Non dicit *venimus*, ſed *veni*. Non *tempeſtas demerſit nos*, ſed *demerſit me*. In 4. cùm ſignificare voluit Dominus clamorem illum ſuum validum in cruce, & diuinos illos oculos iam deficientes, ac moribundos: *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum*. Non dicit *Clamauimus*, ſed *clamaui*; *fauces noſtræ*, ſed *meæ*, *oculi noſtri*, ſed *mei*. Et num. 5. quando voluit oſtendere populum illum rebellem, qui eum ad mortem impellebat ſine vlla cauſa; itaut eſſet tam numeroſus, vt plures eſſent inimici illi perfidi, quàm capilli capitis ſui; de illo ingrato populo, vt de pluribus loquitur: & ſic non dixit: *Multiplicatus eſt*, ſed *multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis*. Similiter *confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè*, dum per ſummam iniuſtitiam confortati ſunt, & roborati cohorte præſidio militum Romanorum, & conuocatione turbæ Ieruſalem inſtabilis, & volubilis. Sequitur in eodem verſiculo, *quæ non rapui, tunc exoluebam*; i, pro delictis, & peccatis, quæ non commiſi, ſed alij, ego patiens ſatisfaciebam. Et quomodo hęc poſſunt verificari de populo? nunquid populus vnquam fuit punitus pro peccatis aliorum, & non pro ſuis? vnde non dixit: *Quæ non rapuimus, exoluebamus*, ſed, *quæ non rapui, tunc exoluebam*: & ſic cōſidera ſequentes verſiculos vſque ad finem Pſalmi, & clariſſimè videbis; quoties loquitur de Meſſia, ſemper loqui vt de ſingulari; quoties autem de populo, vt de plurali: atque adeò, quando in-

ver-

versic. 22.ait: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*. *Me*, in numero singulari intelligitur de Messia. *Dederunt, potauerunt*, in numero plurali, intelligitur de populo, & remanet prophetia verificata in Christo, qui in Crucis patibulo fuit felle, & aceto in siti sua crudeliter afflictus; & in illo ingratissimo, & inhumanissimo populo Iudæorum, qui Christo afflicto siti pro refrigerio fel, & acetum inhumaniter porrexere.

59. Secunda expositio pro solo populo, & non pro Messia falsissima omnino ostenditur: nam vers. 9. vbi dicitur. *Extraneus factus sum fratribus meis*: quomodo potest ab illis intelligi pro populo: siquidem Hebræi nullum, qui Hebræus non sit, habent vt fratrem; ideoque iudicant ab omnibus, qui Hebræi non sunt, sibi licere vsuras accipere: cui ergo fuit ille populus factus extraneus? Nobis? non: quia ipsi nolunt nos habere vt fratres suos: & textus ait, *extraneum factum fuisse fratribus*. Ipsi populo? non: quia populus non est extra populum, ideoque extraneus à se non potest dici. Solus igitur Christus potest dici extraneus factus fratribus suis Hebræis, sicut ipse erat: & id impletum est, quando illum, extra Synagogam eiecerunt, & eos, qui Christum verum Messiam recipiebant, vt constat ex Ioan. 9. vers. 22. *Iam enim conspirauerant Iudæi, vt siquis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret*. Vnde Christus, & sumptus in se realiter; & sumptus in suis mysticè, i, corpus suum mysticum, siue populus Christianus extraneus factus est illis, qui tanquam fratres ex eodem Patre Abraham Patre fidelium, promissum Christum sequi debuerant: & illum tandem extraneum fecere; vt impleretur prophetia: *Extraneus factus sum fratribus meis*.

60. Replicant adhuc Iudæi primò. Populum Hebraicum tunc factum fuisse extraneum fratribus, quando ab Apostolis, Iudæis, & consequenter fratribus, vtpote filijs eiusdem Patris Abrahæ fuit derelictus, tanquam extraneus; & sequuti sunt IESVM Nazarenum: ac proinde

Pro-

Prophetam loqui de populo, & non de Messia. Sed hæc obiectio ipsos iugulat Iudæos: nam quis potiùs factus fuit extraneus? Apostoli, quos Iudæi à Synagoga abijciebant, tanquam recedentes à lege, vt ipsi putabant, & iam fratres non nominabant; an ipsimet Iudæi, quos Apostoli ipsi à Deo electi ad prædicandum legem Euangelicam primò vocarunt tanquam fratres suos maiores? certè debent dicere Apostolos fuisse ab illis abiectos, tanquam extraneos; & non ipsos ab Apostolis, qui eos toties incitabant, vt veritati oculos aperirent, & aures applicarent, ad verbum Dei audiendum; & Paulus unus ex electis à Deo Apostolus aiebat: ad Rom.9. vers.3. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa; quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et Petrus Apostolus act.10. ver.36. *Verbum misit Deus filijs Israel annuncians pacem per Iesum Christum, qui est omnium Dominus.* Igitur in solo Christo fuit illa prophetia impleta: quia solus Christus fuit factus extraneus à Synagoga Iudæorum fratrum eius. Primò sumptus in se realiter. Secundò in suo corpore mystico, i, Ecclesia, seu populo Christiano, quem ipsi Hebræi faciunt extraneum, falsò putantes illum non esse veram Ecclesiam. Vnde deberent aduertere Iudæi, Ecclesiam semper fuisse eandem à tempore primorum Parentum, siue sub lege naturali, siue sub lege scripta, siue tandem sub lege gratiæ, quamuis sub diuersis statibus; & semper fuisse Ecclesiam Christi, quia semper Fideles Religionem profitebantur sub Fide Christi promissi, & venturi; & modò fideles ipsi Religionem Catholicam profitentur sub fide eiusdem Christi, qui iam venit in primo aduentu, ad saluandum; & eiusdem Christi, vt venturi in secundo aduentu, ad iudicandum. Quare licèt Hebræi sint iam extranei à vera Ecclesia, quia non profitentur sub fide Christi veri, qui iam venit, sed sub

falsa fide alterius Christi, quem ipsi stolidè fingunt: attamen neque hoc modo potest Hebraicus populus dici factus extraneus secundùm mentem Prophetæ: nam hic dicit illum, de quo ibi loquitur, conqueri, quòd factus sit extraneus culpâ aliorum, & non à se: at vero populus Iudaicus ipse se facit extraneum à vera Ecclesia; & suâ culpâ nolunt Iudæi baptizari, vt per baptismi portam in Ecclesiam ingrediantur; & sic nolentes baptismum in æternum damnantur iuxta illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. Non potest igitur negari textum illum de Christo intelligi.

61. Replicant secundò. Ille, de quo loquitur Dauid in eo Psalmo, fatetur habere insipientiam, & ignorantiam, item habere peccata, vt constat ex vers. 6. *Deus tu scis insipientiam meam; & delicta mea à te non sunt abscondita*. Sed Messias nec ignorantiam, nec peccatum habere debet; vt prædicunt Prophetæ; & nos Christiani firma fide credimus; ergo ille Psalmus non loquitur de Messia; sed de populo, qui & est peccans, & ignorans. Hæc Hebræorum obiectio satis ostendit illos Sacrarum Scripturarum sensum non capere; & certè vnum ex supplicijs huic perfido populo à Deo inflictis ob peccatum non recipiendi Messiam Diuinum Magistrum, & Doctorum omnium Doctorem, (iuxta illud, vnus est Magister vester Christus) est cæcitas mentis, vt legentes non intelligant, & audientes non percipiant, vt impleatur id, quod prædictum est per Isaiam cap. 6. nu. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum*. Et quærens Propheta à Domino, quousque cæcitas illa duratura esset? *Et dixi: vsquequo Domine?* Respondit ipse Dominus duraturam vsque ad mundi desolationem, i, vsque ad extremum diem iudicij: *Donec desolentur Ciuitates absque habitatore, & terra relinquetur deserta*. Et vt intelligeretur hanc cæcitatem Iudæorum esse in pœnam, non acceptandi suum Saluatorem, & eius Sanctam Eccle-

siam;

ſiam, ſubiungit; ex gentibus, quæ antea fuerant derelictæ formandam eſſe Eccleſiam; & ſolùm in ea futurum ſemen Sanctum, i, fideles veram fidem, & iuſtificationem habituros: *& multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionem ſicut Terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos: ſemen ſanctum erit id, quod ſteterit in ea*. Sed de hac cæcitate infra copioſiùs dicemus. Hæc igitur eſt cauſa, cur Hebræi obcæcati Sacræ Scripturæ ſenſum non percipiant; quia Deus in pœnam dono interpretationis Sacræ Scripturæ illos privavit; & hoc donum ſuæ Eccleſiæ, illiuſque Doctoribus impertiuit. Mirum ergo non eſt, quòd textum illum, verſ. 6. *Tu ſcis, Domine, inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita*, minimè intelligant, & hallucinentur.

62. Reſp. igitur verba illa intelligi de Chriſto, ſed in ſeuſu myſtico; non in ſenſu reali. Vt intelligas, aduerte Sacram Scripturam poſſe aliquando exponi ſecundùm ſenſum literalem, ſiue realem: aliquando ſecundùm ſenſum figuratiuum; aliquando ſecundùm ſenſum myſticum. v. g. Quando Ioſeph fuit venditus à fratribus ſuis, Scriptura loquitur in ſenſu reali, ſeu literali de venditione Ioſeph; quia ille realiter fuit venditus; in ſenſu autem figuratiuo fuit Chriſtus venditus ab Hebræis fratribus ſuis; quia in Ioſeph vendito figurabatur Chriſtus pro tempore futuro vendendus à ſuis fratribus Hebræis. Similiter quando Scriptura narrat Abel fuiſſe occiſum à Cain fratre ſuo; in ſenſu reali loquitur de Abel, quia realiter fuit occiſus à Cain fratre ſuo; in ſenſu autem figuratiuo intelligitur de Chriſto, quia Abel occiſus à fratre erat figura Chriſti pro tempore futuro occidendi à fratribus ſuis Hebræis. Vnde Scriptura reſpectu Abelis, & Ioſephi erat hiſtoria de præterito; reſpectu autem Chriſti erat prophetia de futuro. Senſus myſticus præcipuè fit, quando multi *promiſcuè* conſtituunt vnum quoddam totum; ut quilibet fidelis eſt pars Corporis Chriſti myſtici, & quilibet dicitur

 mem-

membrum Christi; sicut pars quælibet physica Christi, v.g. manus,pes,brachium,dicitur membrum Christi physicè sumpti, vnde quando aliquis fidelis occiditur, dicitur Christus mysticè pati in illo membro sui corporis mystici: Deinde aduertenda duo principia generalia. Primum est, Scripturam Sacram semper interpretandam esse prout verba sonant, quando inde non sequitur aliqua implicatio ipsius Scripturæ: quia Scriptura Sacra, vtpote verbum Dei non potest implicari: aliter Deus sibi contradiceret; quod est omnino impossibile. Hoc principiū desumitur ex Concilio Tridentino sess.4.in decreto de editione, & vsu Sacrorum librorum. Secundum principium est: quoties aliqua verba Sacræ Scripturæ intellecta, vt sonant, habent repugnantiam, & contradictionem cum Sacra alia Scriptura; non debere tunc sumi in sensu literali, sed in alio sensu non repugnante. Hoc principium desumitur ex D.Paulo 2.ad Corinth, cap.3.vers.6. *Non literâ, sed spiritu: litera enim occidit: Spiritus autem viuificat.* His ergo præiactis, manifesta est solutio ad illam Hebræorum obiectionem: respondetur enim, quando in illo Psalmo Christus dicit. *Tu scis insipientiam meam; & delicta mea à te non sunt absondita*; non intelligi de Christo in sensu reali; quia aliter aduersaretur alij Scripturæ, quæ asserit Christum esse summam sapientiam, & nullum habere peccatum, nec posse habere: ergo debet intelligi de Christo mysticè, seu de suo corpore mystico, i, fidelium, qui & ignorantiam, & peccata possunt habere: vnde perinde est: *Tu scis insipientiam meam*, ac insipientiam meorum; *Delicta mea*, i, delicta meorum; quæ ego mysticè feci mea, vt pro illis satisfaciam; & hic intellectus in eodem Psalmo declaratur in illis verbis: *Quæ non rapui, tunc exsoluebam*: Sicut fideiussor, qui fit debitor debitorum, quę ipse non contraxit; & sic intelligendus est Psal.21. *Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti: longè à salute mea verba delictorum meorum*, i, meorum; quia illa suscepi tanquam mea, vt pro illis satisfacerem: quod etiam docuit Paul.2.ad Corinth.5.vers.21. *Eum, qui non nouerat*

uerat peccatum, pro nobis peccatum fecit; vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso; ideſt: eum, qui practicè non nouerat peccatum, ſeu, qui nec peccauit, nec poterat peccare, peccatorem fecit, i, debitorem ipſius peccati; vt pro illo moreretur, & cum æqualitate ſatisfaceret; & nos, iam ſoluto noſtro debito pleniſſimè, in Chriſto haberemus ius ad gloriam.

64. Eodem modo, quando Chriſtus dicitur Agnus occiſus ab origine mundi Apoc.13.verſ.8. *Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi*; non debet intelligi in ſenſu reali, quantum ad tempus ſuæ mortis: quia id repugnat Sacræ Scripturæ; ex qua conſtat multò poſt fuiſſe occiſum in Ieruſalem: intelligendum ergo id eſt, vel in ſenſu figuratiuo: quia in Abel occiſo ab origine mundi à ſuo fratre Caino figurabatur Agnus manſuetus Chriſtus, occiſus à ſuis fratribus Cainis id eſt Hebræis; vel in ſenſu myſtico; quia in illo fideli tanquam in ſuo membro corpus myſticum Chriſti occidebatur. Ex quibus clariſſimè conſtat Pſalmum 68. loqui de Meſſia, quando dicit fel, & acetum in ſua paſſione guſtatum. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto*; quod, vt dictum eſt, fuit impletum in Chriſto Domino paſſo in Cruce, prout narrant Euangeliſtæ, nec factum iſtud negant Hebræi. De eodem tormento fellis à Meſſia guſtandi loquitur Ieremias Tren.3. verſ.5. *Circumdedit me felle, & labore*. Et verſ.15. *Repleuit me amaritudinibus: inebriauit me abſynthio*. Et verſ.19. *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis*. Quem textum omnes, etiam Rabbini intelligunt de Meſſia: ergo non poteſt negari hanc prophetiam de felle, & aceto fuiſſe in Chriſto impletam.

CA-

CAPVT DECIMVM.

Ostenditur ex prophetijs Solem, & Lunam, quando Christus esset Crucifixus, obscurari debere.

63. ISaias cap. 50. vers. 3. clarissimè ait in morte Messiæ futuras esse tenebras super vniuersam terram: sic enim ait. *Induam Cœlos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.* Idem expressè prædixit Propheta Ioel, cap. 3. vers. 15. *Sol, & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum*, quod impletum fuit in Christo in die mortis suæ, vt narrant Euangelistæ. Quòd autem hi Prophetæ loquantur de his tenebris per vniuersum Orbem factis, tempore passionis Messiæ, probatur primò ex Midras Echa in expositione lamentationum Ieremiæ, vbi allegatur Rabbi Samuel filius Nahaman, & citat prædictos textus Isaiæ cap. 50. & Ioel. cap. 3. ad probandum ea euentura esse tempore tribulationis, passionisque Regis Messiæ. Probatur secundò exponendo, & considerando verba vtriusque prophetiæ, quæ quidem nulli alteri possunt applicari, nisi Christo vero Messiæ. Nam Isaias in citato loco sic incipit vers. 1. *Hæc dicit Dominus:* Declarat verba illa Dei esse, non sua, summam authoritatem Dei loquentis, vt veritatem infallibilem suadeat. Sequitur: *Quis hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis: in sceleribus vestris dimisi Matrem vestram.* Textus est clarus de reprobatione Synagogæ, quam Deus repudiauit, & quasi à se alienauit, & vendidit propter scelera istius Synagogæ Matris iniquæ: & vt ostenderet, quæ fuisset huius repudij causa, & quod crimen eius, illam Deus designat vers. 2. *Quia veni, & non erat vir*, i, ego Dominus vester in carne assumpta veni ad saluandum vos, & non erat ex vobis vllus vir, qui me reciperet; nec ex Principibus, quia omnes me condemnastis, dicendo: *Reus est mortis*,

& me

& me Regem naturalem, æternum, Cæsari extraneo Regi temporali postposuistis. Ioan.19. vers.15. *Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Nec ex plebæis, qui omnes sceleratum, & impium hominem mihi Domino soli sancto, & iusto anteposuerunt. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* Luc.23.vers.19. *Respondit vniuersus populus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Matth.27.vers.25. Atque adeò ego veni, & non fuit vllus, qui me acceptaret, neque ex primoribus, neque ex plebe, *non erat vir*. Sequitur: *Vocaui, & non erat*, qui *audiret*, i, non iam misi, qui vos vocaret ad me, vt antea feci per meos Prophetas: sed ego ipse veni, & vos vocaui, & non audistis: *Veni, & vocaui*.

65. Sequitur: *Nunquid abbreuiata, & paruula facta est manus in ea, vt non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum?* i, quia me vidistis in forma paruula, & abbreuiata meæ humanitatis, abbreuiata, & paruula facta est mea omnipotentia, aut diminuta est infinita virtus mea; vt vos non possim redimere, & liberare à captiuitate peccati? desiui ego esse Deus, quando sum factus homo? *Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum*: i, Ecce, quoniam me increpastis, & reprobastis, me occidendo, crucifigendoque iniustè; Synagogam istam, quæ antea erat plena mari gratiæ, & cœlestis benedictionis, reddam desertam ab aquis, & terram siccam absque humore gratiæ, item flumina, i, prophetas, antea plenos eadem gratiæ cælestis aqua, faciam siccos, & vacuos; nec erunt iam prophetæ; & preces illius maris, i, Hebræi absque illa aqua salutari putrescent, & morientur, i, damnabuntur morte æterna: ideo in hac die, qua me suspendistis in ligno: *Induam Cœlos tenebris, & ponam saccum operimentum eorum. Et tenebræ factæ sunt super uniuersam terram.* Et vers.4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo, erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam, quasi Magistrum: Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non*

con-

contradico : retrorsum non abij : i, Pater meus me edocuit, mane, & mane,& ego vos docui, quæ audiui ab eo; & mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, Patris : & illi non contradixi, non retrorsum abij, etiam vobis resistentibus, & audire nolentibus : nullam vim vobis intuli; imò sine vlla mea resistentia corpus meum flagellastis; dedi genas meas vellentibus, & faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me: *Dominus Deus auxiliator meus*; *ideo non sum confusus*, i, Deus me suscitauit cum gloria, quem vos occidistis cum ignominia. Ex quibus manifestè patet Christum Dominum esse illum, de quo Isaias hîc loquitur : siquidem omnia narrat spiritu illo prophetico, quæ in Christo Domino ad vnguem impleta sunt: nec vllus potest assignari, cui hæc omnia conuenerint, nisi Christus IESVS Saluator noster : ergo ille est verus Messias.

66. Quòd verò Propheta Ioel in dicto cap. 3. vers. 15. per ea verba : *Sol, & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum*; expressè loquatur de illis tenebris per vniuersam terram factis in die mortis Christi Saluatoris nostri, patet, ex alijs, quæ ibi narrat spiritu prophetico, quæ Christo contigerunt : sic enim ait statim post illa verba : *Et Dominus de Sion rugiet*, i, clamabit; iuxta illud, *Clamauit voce magna, & de Ierusalem dabit vocem suam*; i, prædicando, & docendo, iuxta illud : *Prædicans verbum Dei, & quotidie eram apud vos docens in templo. Et mouebuntur cœli, & terra*, quod tunc euenit, iuxta illud *Terræmotus factus est* : ecce mota est terra. *Tenebræ factæ sunt*; ecce moti sunt cœli : *Et Dominus spes populi sui*, i, Ecclesiæ suæ; quia hæc est iam populus suus; & non Synagoga : *Et fortitudo filiorum Israel*, i, Christianorum,qui soli iam dici possunt videntes Deum; siquidem non solùm sunt filij Israel, & Abrahæ; qui descendunt per descendentiam carnis, sed ij, qui descendunt per descendentiam fidei, & spiritus, vt bene ait Paulus ad Rom.9. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ, neque qui semen*

ſunt Abrahæ omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, i, *non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine: promiſſionis enim hoc eſt: Secundùm tempus veniam*.

67. Sequitur: *Et ſcietis, quia ego Dominus Deus veſter habitans in Sion Monte Sancto*; i, vos, qui fideles eſtis, me Meſſiam Dominum, & Deum veſtrum cognoſcetis, in Monte Sancto, i, in Eccleſia, in qua ſola eſt vera ſanctitas: *Et erit Ieruſalem Sancta*. Ideſt, Sancta, & Catholica Eccleſia. Et alieni non tranſibunt per eam ampliùs, i, Eccleſia iſta non labefactabitur ab infidelibus, & Diabolo, iuxta illud: *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*, Loquitur de ſpiritualibus conſolationibus, quas habent Sancti in Eccleſia, iuxta illud: *Abundant conſolationes noſtræ*; & iuxta illud: *gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Neque enim Spiritus Sanctus tot ſuſcitaret Prophetas, ad prædicendam dulcedinem materialem mellis, & lactis, vt Iudæi materiales exiſtimant. *Per omnes riuos Iuda ibunt aquæ*; i, per omnes Eccleſias particulares Iudæ, i, Chriſti ex tribu Iudæ prognati ibunt aquæ baptiſmi: *Et fons de Domo Domini egredietur*; i, fons baptiſmalis, & fons Sacramenti pœnitentiæ de Eccleſia, quæ eſt Domus Domini: *Et irrigabit torrentem ſpinarum*; i, per aquam baptiſmi gentiles; & per aquam Sacramenti pœnitentiæ peccatores, qui omnes ſpinarum torrens meritò appellantur: *Ægyptus in deſolationem erit, & Idumæa in deſertum perditionis*; i, Idololatriæ infidelium deſtruentur: *pro eo, quòd iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint ſanguinem innocentem in terra ſua*, i, pro eo, quòd Chriſtianos filios Chriſti ex Iudæ tribu prognatos varijs martyrijs occiderint: nam ſanguis martyrum ſemen fidelium eſt; & per fidem fidelium deſtruitur infidelitas gentilium: *Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ieruſalem in generationem, & generationem*, i, Eccleſia iſta Chriſtiana, nouaque Ieruſalem, quæ eſt regnum Chriſti, durabit in perpetuum, iuxta illud: *Et regni eius non erit*

finis, & regnabit in domo Iacob in æternum: & non potest intelligi Propheta de Iudæa, & Ierusalem materiali; aliter prophetia esset falsa, quia Iudæa, & Ierusalem iam ab anno 1600.& ampliùs non habitatur à Iudæis; Ecclesia autem Christi ab illo tempore durat, & durabit vsque ad finem mundi militans; & per totam æternitatem triumphans: *Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram*; i, per martyrium martyrum ita illos mundabo, vt sine vlla macula purganda in purgatorio martyres à patibulo ascendant ad Cœlum: quod priuilegium perfectæ munditiæ alijs occisis non fuit à me concessum: *Et Dominus commorabitur in Sion*, i, Christus semper erit in Ecclesia sua, per realem præsentiam Sacramenti, iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, per inuisibilem etiam assistentiam suam, & per visibilem per suum Vicarium in terra Pontificem Romanum. Ex quibus manifestum est Prophetam in eo loco loqui de tenebris in morte Christi: siquidem vt vides, spiritu prophetico narrat omnia, quæ ab illo tempore in Christo verificata sunt. Hæc si legant Iudæi, & qualicunque vsu rationis polleant, Christum Saluatorem nostrum verum esse Messiam non negabunt.

CAPVT VNDECIMVM.

Ostenditur Messiam resurrecturum à mortuis secundùm prophetias.

68. CHRISTVM seruatorem surrexisse à mortuis constat ex Sacris Euangelistis; nec Hebræorum proteruia potest infirmare hanc veritatem tot hominum sanctissimorum oculis patentem; quales fuerunt Apostoli, & discipuli Domini; qui per spatium dierum quadraginta cum illo sunt collocuti, palpando illius manus, & pedes, cum illo manducando, recipiendo ab illo Euangelica præcepta: hancque veritatem multis, stupendisque

disque miraculis confirmarunt; itaut innumeri Hebræi ad fidem conuerterentur; istudque mirabile Resurrectionis mysterium firma fide crediderunt: quia tamen Iudæi, possunt dicere; potuisse illum resurgere, & tamen non esse Messiam; multi enim resurrexere, & tamen nullus ex illis fuit Messias; oportet probare Messiam resurrecturum à mortuis secundùm prophetias. Clara quidem est prophetia Isaiæ cap. 53. vbi sic ait loquens de Messia: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, i, semen spirituale, seu filios spirituales, i, filios suos, & mox subiungit: *pro eo, quòd tradidit animam suam, &c.* Si post mortem videbit viuus: ergo non permansit mortuus; sed resurrexit, vt videret iam viuus. Quòd autem Propheta loquatur de Messia in eo loco, supra ostendimus cap.7. Secunda prophetia est Dauidis. Psal. 131. vers.8. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ: Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent.* Qui Psalmus manifestè est de Messia, etiam secundùm Rabbinos: & considerat ibi Propheta tres circumstantias. 1. quòd Arca sanctificationis, i, Deipara Sanctissima deberet resurgere. 2. quòd Sacerdotes eius, i, Apostoli post eius resurrectionem induerentur iustitiam, i, confirmarentur in gratia. 3. quòd iusti, i, discipuli, & fideles, summâ lætitiâ exultarent in hac sancta Resurrectione; quod quidem impletum est in discipulis, vt constat ex Euangelio: *Gauisi sunt discipuli viso Domino.* Et Psal.2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te: postula à me; & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; Reges eos in virga ferrea; & tanquam vas figuli confringes eos.* Certum quidem est hæreditatem, i, Ecclesiam fidelium vsque ad terminos terræ protensam, non fuisse à Christo possessam, nec in virga ferrea, i, nunquam frangenda rectam, & gubernatam actu, nisi multo tempore post passionem, & mortem suam: sed mortuus non dicitur possidere, aut regere; ergo si possedit, & rexit

post mortem suam, resurgere necesse fuit, vt viuus possideret, ac regeret.

70. Tertia prophetia est eiusdem Dauidis Psal. 3. *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius: Tu autem susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum: voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo: ego dormiui, & soporatus sum; & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Hic Psalmus totus est de Messia, vt Rabbini ipsi non inficiantur. Et clarissimè mortem Messiæ, eiusque resurrectionem declarat. In primo versiculo narrat mortem à suis inimicis sibi illatã: *Multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me.* In secundo cùm iam sanctissima illa anima esset à Sacrosancto Corpore per mortem statìm separanda, describit linguas illas blasphemas Iudæorum dicentium Christum ab illis occisum non esse à morte saluandum, & resuscitandum per Deum Patrem suum. *Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius.* Et hæ Iudæorum blasphemiæ proferendæ in morte Christi prędictę fuerant per eundem Prophetam Psal. 21. qui Psalmus manifestè est de Messia, vt nullus negat, nec Christianus, nec Hebræus. *Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs; & mouerunt caput*: & continuat, vt quasi per ironiam, & subrisoriè dicerent: *Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Et id ipsum fuit prædictum Sapient. 2. v. 9. & omnia fuerunt impleta in Christo, dũ è cruce moribundus pendebat, vt narrat Euangelium Matth. c. 27. vers. 39. *Blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicẽtes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas; salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus dicebant: alios saluos fecit; seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc, si vult*

sivult eum: Dixit enim, quia Filius Dei sum. Hoc ergo voluit Dauid significare in illo versiculo: *Multi dicunt &c.*

71. In tertio versiculo eiusdem Psal. 3. loquitur Christus cum Æterno Patre, dicens: Tu me potes â morte suscipere, glorificare, & exaltare. *Tu susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* In 4. vers. ait se clamasse ad Patrem, & fuisse exauditum de Monte Caluario sancto; quia in illo deleta est iniquitas, & sanctitas amissa reparata per Christi mortem. *Voce mea ad Dominum clamaui; & exaudiuit me de monte sancto suo.* In quinto versiculo dicit idem Dominus se tandem mortuum fuisse, sed hanc mortem fuisse, quasi somnum, & soporem; quia mors illa fuit per tres dies, post quos Pater illum à mortuis resuscitauit, ibi. *Ego dormiui, & soporatus sum; & exsurrexi; quia Dominus suscepit me.* Hæc prophetia de resurrectione Christi est manifesta, & à nullo potest, qui rationis compos sit, pernegari. Quarta prophetia est eiusdem Dauid Psal. 40. vers. 9. *Verbum iniquum constituerunt aduersum me: Nunquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat? Etenim homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem: tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.*

72. In hac prophetia primò loquitur Dominus de illo falso testimonio imposito ipsi Domino à Iudæis: nam cùm Christus dixisset: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, vt habet Ioan. cap. 2. vers. 19. Iudæi falsò existimarunt Christum loqui de templo materiali. *Dixerunt ergo Iudæi: quadraginta, & sex annis ædificatum est templum hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud?* Christus verò non loquebatur de templo materiali, sed de templo corporis sui: quod per Iudæos destructum, post tres dies erat resuscitandum: vt ait idem Ioan. citatus: quare falsum testimonium dixere, vt ait Marc. 14. vers. 57. *Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes; quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam tem-*

plum

plum hoc manu factum ; & per triduum aliud non manu factum ædificabo : & non erat conueniens testimonium : vnus enim vno modo ; & alius alio longè diuerso deponebant. Cùm igitur Christus diceret de se à Iudæis occidendo ; & testes de templo deposuerint per Christum destruendo, falsum dixere : de hoc ergo falso testimonio, & verbo iniquo conqueritur Messias in illo 4. versiculo Psalmi 21. citati : *Verbum iniquum constituerunt aduersum me*. Et statim in sequenti versiculo dat rationem iniquæ depositionis eorum, dicens : *Nunquid, qui dormit, non adijciet, vt resurgat?* idest ; an crimen erat mortuum somno mortis resurgere vitâ resurrectionis ? & mox subiungit traditionem, qua Iudas proditor, illum ad mortem tradidit : *Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem* : quod verissimè fuit impletum, vt narrat Euangelica historia. Tandem, loquens Messias cum Patre Æterno ait : *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me : & retribuam eis* ; i, iam resuscitatus, & constitutus Iudex omnium mortalium retribuam vnicuique secundùm opera eius, malis supplicium, bonis præmium. Si hæc solùm posset facere viuus, quomodo id efficeret, si permansisset mortuus ? ergo hîc Propheta Dauid clarissimè locutus est de Messiæ traditi, & occisi resurrectione.

73. Quinta prophetia est Isaiæ cap. 11. vers. 10. *In illa die Radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur ; & erit sepulchrum eius gloriosum*. Clarissima quidem est hæc prophetia, & in Christo Saluatore nostro verissimè impleta fuit : nam ille est radix Iesse ; siquidem est filius Dauid, qui fuit filius Iesse. Deinde stat in signum omnium populorum ; vtpote primarium caput vniuersalis Ecclesiæ suæ per omnes populos totius Orbis extensæ ; illum omnes gentes deprecantur ; nulla enim est natio in vniuerso mundo, in qua non sint aliqui Christiani Christum Deum suum orantes : eiusque sepulchrum fuit gloriosum ; quia ex sepulchro gloriosus resurrexit.

Deni-

Denique omnes illæ prophetiæ, quæ prædicunt Messiam regnaturum in æternum, & regnum illius non habiturum unquam finem, necessariò prædicunt, (prædicentibus alijs illum esse moriturum pro peccatis hominum) eius resurrectionem; nam Rex solùm regnat viuus; & cùm moritur, regnare desinit: ergo Prophetæ illi necessariò supponunt, Messiam post mortem suam esse resurrecturum.

CAPVT DVODECIMVM.

Ostenditur Messiam post suam Resurrectionem debere ascendere in Cælum, & sedere ad dexteram Dei Patris.

74. MESSIAM ascensurum esse in Cælum, & sessurum ad dexteram Patris ita clarè prædixit Dauid Psal. 109. vt non indigeat multa explicatione: Sic enim spiritu prophetico loquitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Incredibilis est stultitia, ne dicam, proteruia Iudæorum; quando se aliquo Sacræ Scripturæ loco clarè conuictos intuentur, eas friuolas, vanasque adhibent explicationes, potiùs dexerim, implicationes; vt malle se videantur errores aucupari, quàm veritatem nancisci. Prædictum textum per se clarum de Messia exponunt 1. de Abraham; ita vt hunc prorsus alienum sensum confingant: *Dixit Dominus Deus Domino meo Abraham: sede à dextris meis*. Exponunt 2. pro Dauid, fingendo non minùs vanè, stolideque ea verba cantûs proferri à cantore; & hunc cecinisse sic. *Dixit Dominus Deus Domino meo Regi Dauid: sede à dextris meis*. Vtramque expositionem falsissimam esse conuincitur: nam ille, qui sessurus ad dexteram Dei Patris prædicitur, ibi vocatur Sacerdos in æternum: vbi autem reperiunt Hebræi Abraham, & Dauid Sacerdotes fuisse, cùm Abraham, vt constat ex sacra pagina, Sacerdoti Melchisedech decimas persolverit, ab eodemque Sacerdote illam acceperit benedictionem? deinde Dauid homo fuit

secu-

sæcularis, non Pontifex Ecclesiasticus, & à Sacerdote panes propositionis accepit, nec infulas, sed arma gestabat.

75. Ridicula etiam est hallucinatio de cantore: nam carmen illud à Dauid diuino afflante Numine fuit compositum: & cantor carmen cantat eo modo, quo compositum est. His ergo stultitijs horum dementium Hebræorum risu potiùs, quàm solutione depulsis, cordatiores aliquos Rabbinos sequi debuerant; qui pro Messia textum illum vero, & germano sensu interpretantur; & in lib. Midras Tillim in expositione Psal. 2. pro Messia prædictum textum exponunt. *Dixit Dominus Domino meo*. Vbi hæc verba de Hebraico in Latinum fideliter translata reperiuntur: *Narrata sunt facta Messiæ in Scriptura Legis, Prophetarum, & Psalmorum*. In scriptura Legis; vt dictum est. *Filius meus Primogenitus Israel*. In scriptura Prophetarum; *Ecce intelliget seruus meus*. In scriptura Psalmorum: vt dictum est Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: ex quo testimonio clarè constat non loqui Psalmum de Abraham, aut de Dauid, sed de Sanctissimo Messia. Et in eodem libro exponendo Psalm. 17. in versic. 36. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me*. Ita dicitur. *Rabbi Iudan nomine Dauid Chama ait: In sæculo futuro Deus Sanctus, & benedictus sedere faciet Regem Messiam ad dexteram suam; sicut dictum est: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis*. Et Rabbi Isaac Harama in expositione cap. 47. Genes. citat vers. illum Psal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ*, & ibi dicit sic. *Non inuenimus virum vllum, aut vllum Prophetam, cuius natiuitas ante suorum parentum natiuitatem sit ante prædicta in sacra pagina, excepto Messia iusto nostro; ille est, de quo loquitur* Psalm. 109. *Sede à dextris meis*. Igitur non possunt Hebræi negare Psalmum de Messia loqui, illumque ad dexteram Patris sedere; quod omnes fideles firma fide credimus. Et hęc prophetia impleta fuit in Christo Saluatore nostro; vt constat ex Euangelio Marci 16. *Et Dominus quidem*

Iesus;

Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in Cælum, & sedet à dextris Dei.

76. Hæc eadem veritas prædicta fuit ab eodem Propheta Psalm.8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: quoniam eleuata est magnificentia tua super Cælos.* Qui Psalmus totus est de Messia; vt etiam Rabbini communiter exponunt. Non eleuatur super Cælos ea, quæ semper ibi erat Diuinitas; sed ea, quæ ibi non erat, humanitas; mirabile est nomen Domini, non quòd vt Deus sedem fixerit in Cælo; sed, quòd vt Deus homo ad dexteram Dei sedeat. Et in eodem Psal. loquitur Christus: *Quoniam videbo Cælos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.* Quomodo ibi humanis oculis videret; si illuc in sua humanitate non ascenderet? Idem in Psalmo 10. qui etiam est de Messia. *Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt: Iustus autem quid fecit?* i, Impij Iudæi occiderunt Messiam iustum; quem Pater in summa creauerat perfectione: quid autem fecit Messias iustus, vt tam sacrilega impietate occideretur? & mox subiungit: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes eius.* i, Christus Dominus noster verus Deus est sub Sacramento Eucharistiæ in sua Ecclesia in terra; & ad dexteram Patris est illius sedes in Cælo. Et Psalm.46. *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ:* i, inter festiuos Angelorum cantus, in iubilo, & voce Angelicæ tubæ ascendit Deus, vt factus homo; qui vt Deus de loco in locum moueri non poterat; & mox subiungit. *Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam.* Regnabit in Ecclesia Christiana ex gentibus iam ad fidem conuersis conflata; & ita regnabit Dominus in terra, vt simul ad dexteram Patris sedeat in Cælo. Et in Psalmo 96. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram; nimis exaltatus es super omnes Deos; super omnem terram,* i, super omnes Reges supremus Rex. *Super omnes Deos,* (iuxta illud, ego dixi, dij estis) i, super omnes Sacerdotes Sacerdos summus. Quomodo tamen altissimus esset Christus supremus Rex,

& supremus Antistes, si ad dexteram Æterni Patris non sederet? & Psal. 102. *Dominus in Cælo parauit sedem suam. Benedicite Domino Angeli eius.* Messias Sanctus, de quo hîc loquitur Propheta, in Cælo sedem suam parauit: Angeli, & Cherubin, qui sunt ad pedes Dei, iubentur in Cælo adorare Messiam: Messias adoratur à Cherubinis in loco inferiori existentibus: hi sunt ad pedes Dei; igitur Messias sedere debuit ad dexteram Dei.

77. Hoc Ascensionis mysterium exprimitur etiam in Psalm. 67. vers. 19. *Ascendisti in altum; cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.* In qua prophetia continentur tria, quæ impleta sunt in Christo Domino. 1. Post gloriosam Christi resurrectionem, triumphum agi gloriosum suæ Ascensionis in Cælum; hoc fuit in Christo impletum, vt dictum est Marci 16. 2. Christum eduxisse ab inferis captiuas ibi Sanctorum Patrum animas, & duxisse secum in Cælum. Hoc impletum est in Christo Domino, vt constat ex Paulo Apostolo ad Ephes. 4. vers. 8. *Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* 3. Post suam mirabilem Ascensionem dedisse Christum suis fidelibus dona Spiritus Sancti, & hoc impletum est præcipuè, quando 10. dies post suam Ascensionem misit Spiritum Sanctum linguis ignitis dona supernaturalia Apostolis, ac discipulis mirabiliter largientem, vt constat ex Act. 2. *Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repentè de Cælo sonus, tanquā aduenientis Spiritus vehementis; & repleuit totam domum, vbi erant sedentes: & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto: & cœperunt loqui varijs linguis; prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Et notanda sunt verba prophetiæ. *Accepisti dona in hominibus*, non dixit: *Accepisti dona in te*, quia Christus in instanti suæ Conceptionis ea dona Spiritus Sancti iam acceperat in gradu perfectissimo, ita vt ampliùs non possent augeri:

quod

quod constat ex Isa. 9. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet; & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*: quod totum dicitur de Messia, vt ipsi etiam Iudæi fatentur; vnde signanter dixit Propheta: *Accepisti dona in hominibus*, i, in Apostolis, & discipulis, & credentibus, & dixit: *Accepisti*, quia illa accepit corpus suum mysticum, i, Ecclesia. Ex quibus manifestum manet Psalmum illum cit. loqui de Christi Ascensione in Cælum, cùm describat omnes circumstantias, quæ illi sacræ Ascensionis mysterio coniunctæ sunt, & omnes in Christo Domino impletæ sunt, vt probatum est.

78. Non minùs clara est prophetia Prouerbiorum 30. vers. 4. *Quis ascendit in Cælum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas, quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* Hæc prophetia tota est de Christo, & in illa dicit Spiritus Sanctus multa mysteria Sanctissimi Messiæ. 1. Explicat per interrogationem admirabilem eius Ascensionem in Cælum dicens; *Quis ascendit?* & vt insinuet, eandem personam ascendere in Cælum, quæ de Cælo descenderat, ascensum cum descensu copulauit dicens: *Quis ascendit, atque descendit?* Quod mirè explicauit eodem afflatus numine Paulus ad Ephes. 4. vers. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes Cælos, vt impleret omnia.* i, Deus homo descendit de Cælo in terram; Deus homo ascendit de terra in Cælum: non descendit diuinitas, quæ aderat, sed apparuit, quæ latebat iuxta illud ad Tit. 3. ver. 4. *Benignitas, & humanitas, apparuit Saluatoris nostri Dei.* Descendere Deum in terram in forma hominis est iam apparere, & videri Deum factum hominem in terra. 2. Declarat Spiritus Sanctus hunc, qui ascendit in Cælum, esse illum, cui maria, & venti obediunt dicens: *quis continuit spiritum*

in manibus suis? quis colligauit aquas? quod impletum est in eodem Christo Domino, ventos, & maris tempestates frænante, vt habetur Marci 4. vers 39. *Et exurgens comminatus est vento: & dixit mari: Tace, obmutesce: & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna, & dicebant ad alterutrum: quis, putas, est iste: quia & ventus, & mare obediunt ei?* 3. Indicat idem spiritus hunc, qui ascendit in Cælum, illum esse, qui à mari terminos terræ fecit emergere, & quodammodo suscitauit; qui certè est ipse Deus. 4. Quod insinuat Spiritus Sanctus in illa prophetia, est nomen Dei, & nomen filij Dei Christi Iesu Redemptoris nostri esse prorsus mirabile, & semper restat interrogandum, quid sit: quod expressit Dauid Psal. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Et Isaias 9. vers. 6. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis; & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, &c.* Ex quibus manifestè patet prophetiam illam loqui de mirabili, gloriosaque Iesu Christi Saluatoris nostri Ascensione; cùm omnia, quæ ibi dixit, in Christo verificata sint.

79. Clarissimè etiam de hoc Sacrosancto gloriosæ Ascensionis mysterio loquitur Ierem. cap. 4. vers. 7. *Ascendit Leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit: egressus est de loco suo, vt ponat terram tuam in solitudinem: ciuitates tuæ vastabuntur, remanentes absque habitatore.* Hæc prophetia tota est de Messia; vt in eodem cap. vers. 2. ostenditur. *Benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt:* quod solùm de Messia dicitur. Vocatur ibi Leo: quia etiam Ezechiel illum vocat Leonem cap. 19. vers. 5. *Leonem constituit eum:* & mox subiungit: *& conuenerunt ad eum gentes vndique de Prouincijs, & expanderunt super eum rete suum; in vulneribus earum captus est.* i, Mortuus est propter vulnera scelerum generis humani. Hoc etiam nomine appellatur apud Oseam cap. 11. vers. 10. *Quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, & formidabunt filij matris;* i, Messiæ nomen adorabitur, & timebitur apud omnes Prouincias, etiam Insularum. Sic

etiam

etiam vocatur Leo Apocal.5.verſ.5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid*. Dicitur etiam aſcendere de cubili ſuo, & de loco ſuo, vt ſignificaret eſſe de natione Iudaica: dicitur prædo gentium, quia crediture erant in eum gentes: dicitur terram, & Ciuitates Iudæ eſſe deuaſtandas; vt verè fuit impletum, poſtquam Saluatorem, Regemque ſuum iniuſtè occiderunt: illis à Deo datis 40. annis ad pœnitentiam; & cùm pœnitentiam agere, conuertique noluiſſent; meritò patriam, Regnumque perdidere. Ex his omnibus manifeſtè conſtat prædictas prophetias loqui de Aſcenſione Meſſiæ in Cælum; & cùm omnia ibi à Prophetis dicta in Chriſto Saluatore noſtro, nullo apice deficiente, impleantur, euidentiſſimè demonſtratur illum eſſe verum Meſſiam à ſanctis Prophetis prædictum, Hebræoſque eſſe in æterna damnatione, ſi illum non agnoſcant, & ſequantur.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Oſtenditur ex prophetijs poſt Chriſti Aſcenſionem in Cælum Populum Hebræum à Deo eſſe deſerendum, genteſque ad fidem eſſe conuertendas.

80. QVo ad Hebræorum reprobationem hîc non agam, quia de hac materia latiùs agendum eſt in libro 4. Verùm hic pauca quædam delibabimus, vt Iſaiæ prophetia ſupra poſita de morte Meſſiæ ab Hebræis inferenda clariùs percipiatur. Siquidem poſtquam Propheta in cap.53. Chriſti paſſionem ſpiritu prophetico prædixit; videns eodem ſpiritu prophetico populi Hebræi obſtinationem in non recipiendo Meſſiam; & propter hoc à Deo eſſe deſerendum, mentis oculos ad populum gentilem illico volvit: atque ita dicit in ſequenti capite 54. *Lauda ſterilis, quæ non paris*. Canta ò ſterilis, i, canta ò populle gentilis; qui ſterilis eras, & filios minimè generabas, i, cui deerat fides, ad filios ſpirituales Domino progignendos; incipe iam Deo hymnos, & cantica celebra-

re, & causam huius iubili, & lætitiæ assignat Propheta: *Quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum*, i, quia multò plures erunt filij eius, quæ sola sine viro erat, quàm eius, quæ virum habebat; i, multò plures filij spirituales, scil. fideles erunt in Ecclesia educta ex Populo gentili, qui erat quasi mulier olim Deo per fidem non copulata; quàm fuerunt in Synagoga sponsata Deo. Significare voluit Propheta plures esse ad Deum per fidem conuertendos, quàm erant Hebræi: quod nunc nostris oculis videmus: nam quondam fideles Hebræi in solis Iudęæ limitibus claudebantur: at nunc Ecclesia Dei ad vniuersum Orbem extenditur; quod etiam fuerat prædictum à Dauid Psal. 1. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et Psal. 112. *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* Et Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et à Michea cap. 5. vers. 4. *Conuertentur, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ.* Psalm. 97. vers. 3. *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.* Isai. 52. ver. 10. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Sequitur. *Dilata locum tentorij tui*, i, non iam vnum erit templũ; nec in solis vnius angusti loci, putâ in Ierusalem, terminis coarctabitur; sed multa erunt templa toto Orbe dilatata; ideoque *pelles tabernaculorum extende, ne parcas*, i, ædifica, non parcẽs sumptibus, vbique terrarum templa: *longos fac funiculos tuos*: i, non prædicetur verbum Dei solùm in Iudæa, sed in omni terra: *clauos tuos consolida*; i, Monasteria, & Religiosorum cætus votorum sacræ religionis clauis corrobora: *ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis*, i, tam ad populum Iudaicum, quam ad gentilem. *Semen tuum*, i, Christus *gentes hæreditabit*. i, Ecclesia Christi ex gentibus formabitur, iuxta illud; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. *Ciuitates desertas inhabitabit*; i, Populos gentium ante à Deo derelictos, & verum Deum ignorantes Dominus ibi iam habitans reget; & ibi realiter sub Eu-
cha-

charistiæ Sacramento assistet. *Noli timere; quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuisceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* Ideſt, iam tibi non erit illa pristina confusio, & rubor, quòd non potueris generare, siue defectu temporis, in tua adolescentia, siue defectu viri in tua viduitate: iam nunc spirituales filios potes progignere, quia iam non habes impedimentum immaturi temporis: quia iam venit plenitudo temporis; nec habes iam defectum viri; quia fæcundaberis Spiritu Sancto per Christum Sponsum: & tibi tot erunt filij, quot fideles.

81. Sequitur. *Dominabitur tui, qui fecit te*, i, ille Dominus, qui tibi, & dedit esse naturale naturæ, & supernaturale gratiæ per veram fidem, & iustificationē, & fecit te suam Ecclesiam, & regnum; *qui fecit te*; est ipse Dominus tuus, & Rex tuus Christus: ipse erit tuus Deus, & non Iupiter, aut alia falsa numina: *& nominabitur Rex exercituum*, i, cælestis militiæ, siue Rex Angelorum. Vocabitur item *Redemptor tuus sanctus Israel, & Deus omnis terræ. Quia vt mulierem derelictam, & mærentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus.* i, Te populum gentilem, quasi mulierem antea sine marito; i, sine Deo, mærentem, i, sine lætitia gratiæ Spiritus Sancti, vocauit te spiritu per Apostolos, & per Prædicatores Spiritu Sancto afflatos. Sequitur. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te; & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* i, Popule gentilis, fuisti derelictus vsque ad tempus, & abscondi faciem meam à te, sed per modicum tempus; quia totum illud tempus, quo deserui te, comparatum cum æternitate, in qua semper tecum ero, est quid modicum: *in modico*; est vnum punctum, *ad punctum*; vnum momentum: *in momento*; quia misericordia mea in te, ò Ecclesia, & Sponsa mea, in æternum permanebit; *misericordiâ sempiternâ misertus sum tui*: nam meum fœdus, & testamentum æter-

num erit, non finietur: ſicut enim fœdus inivi cum Noë non ampliùs me aquarum diluuio oppreſſurũ terram; ita tecum, ò Sponſa mea ex gentibus efformata, pactum iniui, te à me non eſſe deſerendam: Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. *Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt: cui iuraui, ne inducerem aquas Noë vltra ſupra terram, ſic iuraui, vt non iraſcar tibi, & non increpem te: montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non commouebitur; dixit Miſerator tuus Dominus.*

82. Sequitur. *Paupercula tempeſtate conuulſa abſque vlla conſolatione*, ò gentilitas pauper abſque diuitijs gratiæ Spiritus Sancti conuulſa, tempeſtatem Diabolo commouente, & te in idololatriæ naufragium impellente; & priuata olim omni conſolatione ſpirituali. *Ecce ego fundabo in te Eccleſiam meam*, aptabo lapides, Apoſtolos, Euangeliſtas, Martyres, Confeſſores, Doctores, Virgines; ex quibus omnibus, tanquam ex lapidibus pretioſis, margaritis, & ſapphiris conſtrueris, & ornaberis; & in perfecta iuſtitia, & ſanctitate fundaberis: erunt filij tui docti ab ipſo Domino; à quo ſacrum diſcent, prædicabuntque Euangelium. *Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione; ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam Iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles, vniuerſos filios tuos doctos à Domino; & multitudinem pacis filijs tuis: & in iuſtitia fundaberis &c. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi.* i, Venient, & adiungentur Eccleſiæ Barbaræ, & remotiſſimæ nationes, vt lauentur Baptiſmi ſalutaribus aquis. *Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas; & proferentem vas in opus ſuum*, i, produxi Chriſtum ex Virgine Maria ſine vllo creato patre; quamuis habeat putatiuum Patrem Ioſeph fabrum, & ideo ab aliquibus faber ipſe Dominus reputabitur; qui tamen Orbis totius faber, & opifex quidem eſt; *ſufflantem in igne prunas*; i, igne Spiritus

San-

Sancti prunas prædicationis; *& proferentem vas in opus suum*, i, eligentem Paulum in vas electionis, vt ad te, ò popule gentilis, portet nomen meum, vt ex te fiat Ecclesia mea, iuxta illud: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum in omnes gentes: & ego creaui interfectorem ad disperdendum*; ideſt, ipſum Paulum, qui vt Saulus interficiebat gregem meum, ſed iam illum de nouo ſpiritualiter regeneraui, ad diſperdendum gentiliſmum, & Chriſtianiſmum introducendum. *Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur*, i, falſi prædicantes, & hæretici, qui contra Eccleſiam iſtam ganniuerint, non dirigentur, i, non rectâ pergent ad vitam, ſed præcipites corruent ad mortem ſempiternam; *& omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis*, i, ò Eccleſia mea loquacium hæreticorum hæreſes condemnabis. *Hæc est hæreditas seruorum Domini*: i, iſta Eccleſia eſt hæreditas, Regnum, & Imperium Domini: & in hac ſolùm eſt perfecta iuſtitia, & ſanctitas, quæ ad Deum conducat; *& iustitia eorum apud me, dicit Dominus*, qui nec nos fallere poteſt, nec ipſe falli.

83. Hæc prophetia eſt clariſſima de conuerſione gentium ad Sacrum Euangelium; & illam noſtris oculis videmus impletam: nam poſt Chriſti paſſionem, quam in præcedenti cap. 53. prædixerat idem Propheta, Fides Chriſti in toto Orbe fuit promulgata, & à gentibus acceptata, & facta Eccleſia Dei, prout hîc dicit Propheta, in perpetuum duratura; quod etiam fuit prædictum à Chriſto Domino ante ſuam paſſionem Io: 12. verſ. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*; & prædixerat idem Dominus nouum hoc teſtamentum futurum æternum Matth. 26. verſ. 28. Marci 14. verſ. 24. Lucæ 22. verſ. 20. prout intelligit Eccleſia, dum ponit formam Sacramenti Sanguinis. *Hic est Calix Sanguinis mei noui, & æterni testamenti*: licèt enim Euangeliſtæ non ponant in citatis locis particulam, *Æterni*; at id exprimunt in alijs locis, vt Lucæ 1. verſ. 33. *Regnabit in domo Iacob in æternum; & regni eius non erit finis*. Et Matth. 28. verſ. 20. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus*

diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. Et prædixerat Daniel. c. 7. num. 14. *Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Et Michæas 4. n. 7. *& regnabit Dominus ſuper eos in Monte Sion ex hoc nunc, & vſque in æternum.* Itaque tria potiſſimùm prædixit hîc Iſaias. 1. gentes eſſe conuertendas ad fidem Chriſti. 2. hanc fidelium, & iam veram fidem profitentium Eccleſiam eſſe Chriſti regnum. 3. illud regnum futurum eſſe perpetuum; quod etiam conſonat cum alijs Prophetis: duo prima ſunt manifeſtè impleta. 3. conſtat durare Regnum Chriſti iam annos 1692. & durabit in terra vſque ad finem mundi, & in cœlo per totam æternitatem. Igitur vel Hebræi intelligunt hanc Iſaiæ prophetiam, vel non intelligunt. Si intelligunt, & Chriſtum IESVM ſuum Saluatorem non recognoſcunt, manifeſta eſt illorum proteruia, & malitia; ſi non intelligunt, manifeſta eſt illorum cæcitas, & ignorantia; ſed hæc certè culpabilis, & quæ illos ab æterna damnatione non excuſat.

84. Miſeri Hebræi videntes, ſi Propheta Iſaias loquitur de populo gentili, teneri ipſos credere Meſſiam iam veniſſe; quia manifeſtè apparet, illam prophetiam, ſi de populo gentili loquatur, iam eſſe impletam, omnes adhibent vires, vt illam prophetiam interpretentur de populo Hebræo; quia vt ſic adhuc non eſt impleta; ſiquidem adhuc non vident Synagogam à Gentibus acceptatam; nec Moſaycas cæremonias vbique ab omnibus etiam Gentilibus obſeruari. Sed hæc illorum interpretatio eſt falſiſſima, & manifeſtè ſacro textui repugnans. Dicant nobis Hebræi, quando Propheta dicit: *Quæ non parturis: quæ non pariebas*, i, quæ fideles non generabas, ſed ſemper infideles; quomodo poteſt intelligi de populo Hebræo; in quo ipſi Iudæi dicunt ſolùm reperiri fideles, & non extra Synagogam; quod quidem erat verum, quandiu Synagoga non fuit à Deo reprobata; vt iam hodie eſt; quod infra ex Sacra Scriptura demonſtrabitur? Deinde Propheta vocat illum populum ſterilem, & infœcundum ſpiritualiter: non


enim

enim loquitur de infœcunditate materiali; nam vt ſic prophetia eſſet omnino falſa, & implicatoria; ſiquidem non conſeruatur populus, ſi filij non generantur: ſi igitur loquitur de populo ſpiritualiter infæcundo, non poteſt intelligi de populo Hebræo; qui tunc non erat ſterilis, ſed gignebat filios ſpirituales, s, fideles: ergo neceſſariò debet intelligi de populo Gentili, non enim datur alius populus, niſi Iudaicus, & Gentilis, ſeu infidelis: & hìc populus verè erat ſpiritualiter infæcundus: quia fidei diuinæ fæcunditate carebat.

85. Præterea Propheta vocat illum populum mulierem ſine ſponſo: Synagoga ſemper fuerat deſponſata Deo; & ideo omnis illa Natio, quæ Deo vero non credebat, deſponſata Deo non erat; nec populus Dei; vt ipſi Iudæi fatentur: ergo cùm Propheta loquitur de non deſponſata, non intelligitur de populo Hebræo, ſed de Gentili: aliter falſum diceret Propheta. Tandem Propheta dicit huius antea non marito coniunctæ futuros eſſe plures filios, quàm fuerant filij illius, quæ virum habebat: ſed marito illa coniuncta, erat populus Hebræus, qui ſolus tunc copulabatur Deo per veram fidem: ergo de alio populo, quàm de Hebræo, loquitur Propheta; & non apparet alius, niſi populus Gentilis, qui poſtquam ad fidem conuerſus eſt, relictâ idololatriâ, factus fuit Chriſti Eccleſia, quæ plures habet fideles, quàm habuit Synagoga: hæc enim ſolùm claudebatur in limitibus Iudææ: Eccleſia verò Chriſtiana extenditur per Italiam, Franciam, Hiſpaniam, Europam, Aſiam, Africam, Americam.

86. His conuicti rationibus confugiunt Hebræi ad aliam non minùs ſtultam, & ridiculam ſolutionem, & dicunt verba: *Quæ non parturis, quæ non pariebas*; intelligi debere: quæ non parturis, nec pariebas filios ad mortem: quod, inquiunt, ſolùm poteſt intelligi de populo Hebræo: nam quilibet alius populus ab iſto diuerſus gignebat quidem filios ad mortem, i, ad damnationem æternam: vnde Synagoga, inquiunt, dicebatur à Propheta ſterilis, quia

filios ad mortem non generabat. Sed hac stulta responsione non vident Hebræi se in eodem, quod tendunt, reti irretiri? Si ideo dicitur Synagoga sterilis, quia non gignit filios ad mortem: necessariò debent concedere, quando illam dicit mox fœcundam, & plures filios parientem, illos gignere ad mortem: nam sterilitas opponitur fœcunditati. Si ergo non gignere filios ad mortem est sterilitas: ergo è contrario fœcunditas erit gignere filios ad mortem. Hoc autem repugnat eidem prophetiæ: in qua dicitur illos filios iam fœcundæ Deo esse seruituros, illum esse laudaturos; eosdemque Redemptos dicendos, & iam non adoraturos falsa Numina, sed Deum verum Saluatorem suum. Non potest igitur intelligi prophetia de populo Hebræo, sed de Gentili; qui quidem ante sterilis erat, nec pariebat filios spirituales, seu fideles; postquam verò ad fidem per baptismum conuersus est, & iam fuit factus populus Dei, & Christi Ecclesia, plures habet filios spirituales, quàm vnquam habuit Synagoga; & sic manet clarissimus textus: *Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum.*



LIBER

LIBER TERTIVS.

De Dubijs, quæ Iudæi opponunt Christianis.

Hic liber specialiter instituitur ad dissoluenda dubia omnia, quæ Iudæi Christianis opponunt; ex illorum enim clarissima solutione inexcusabiles de sua obstinatione reddentur: vnde quodlibet dubium in suo distincto capite dissoluetur.

CAPVT PRIMVM.

De Sacrarum Imaginum adoratione, quæ fit in Ecclesia.

1. E adoratione Sacrarum Imaginum tractant Theologi; de qua quæstione hîc agere non intendimus; sed tantùm volumus respondere Iudæis, qui nos carpunt, quasi idololatras, Sacras Imagines adorando contra id, quod Deus prohibuit in præceptis Decalogi Exod. 20. vers. 4. Vt melius percipias, quàm iniquè, & falsò perfidi Hebræi dicant Christianos idololatriam committere, dum sacras imagines adorant, aduerte: duobus modis posse considerari cultum imaginibus præstitum. 1. modo adorando ipsam imaginem sistendo in ipsa, quasi esset ibi aliquod Numen. 2. modo illam adorando non sistendo in ipsa, sed tendendo ad obiectum per ipsam repræsen-

ſentatum, v.gr.in imagine Crucifixi adorando Chriſtum; in imagine Virginis MARIÆ adorando ipſam Beatiſſimam Virginem Matrem Dei; in imagine alicuius Sancti adorando ipſum Sanctum. Hoc ſecundo modo non eſt adorare petram, lignum, colores; ſed id, quod per eas imagines repræſentatur: vnde ſi quis etiam rudis Chriſtianus interrogetur, quando adorat imaginem Beatiſſimæ Deiparæ Virginis MARIÆ, an adoret illos picturæ colores, vel lignum inauratum? illico reſpondebit, ſe adorare, venerari, & amare Sanctiſſimam Virginem MARIAM Matrem Dei; vnde ergo eſt ibi idololatria? Si primò modo fieret adoratio, idololatria foret, & hoc Eccleſia Chriſtiana maximè abhorret; dum quotidie canit Pſalmum illum Dauid 134.verſ.15. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum: ſimiles illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.*

2. Debent autem aduertere Hebræi Deum non prohibere abſolutè imagines fieri: ſed ſolùm præcipit, ne fiant ad hoc, vt adorentur tanquam Dij, quod manifeſtè colligitur ex verbis præcepti. Exod.20.verſ.3. *Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra: non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Tria Idolorum genera adorabant Gentiles. Alij adorabant res, quæ in cœlo erant, vt Solem, Lunam, & Stellas: alij res, quæ erant in terra, vt Ægyptij, qui adorabant agnum, & ouem; alij res, quæ erant in mari, vt Philiſtæi, qui adorabant idolum Dagon; quod habebat caput piſcis. Igitur, Deus Hebræos admonet ad non facienda ſimilia idola, cœli, terræ, maris, vt eis tanquam Dijs cultum exhibeant; & ideo dixit: non habebis Deos alienos, id eſt, illos falſos, quos alieni, id eſt, infideles, adorant; *Non adorabis &c.* quia ego ſum Deus, & non illi Dij mendaces. Ex quo clarè colligitur

tur

tur Deum non prohibere absolutè imagines; sed imagines, & idola, quæ adorentur tanquam Dij. Et hoc ipsum debent Hebræi concedere; aliter discedent à lege, sacraque Scriptura; quæ fieri imagines (dummodo non adorentur tanquam Dij) non prohibet; vt patet 1. ex Exodi 25. vers. 18. vbi Deus iussit Moysi, vt faceret duas imagines Cherubin ex auro. *Duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies ex vtraq; parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno; & alter in altero.* 2. ex 3. Regum cap. 6. v. 23. vbi dicitur fecisse Salomonem duos Cherubinos ex materia oliuæ. *Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum.* Et subiungit. *Et omnes parietes Templi per circuitum sculpsit varijs cælaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias.* Et in cap. 7. vers. 36. Fecit varia sculptilia Cherubin, leonum, & hominum. *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis, Cherubim, & Leones, & palmas quasi in similitudinem hominis stantis &c.* 3. ex Numeri 21. vers. 9. Moyses ex præcepto Dei fecit serpentem æneum; vt quicunque percussus ab aliquo serpente intuens illum serpentem æneum sanaretur. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem qui percussi aspicerent, sanarentur.*

3. Ex his manifestè redarguuntur Iudæi: nam vel incusant Christianos, quia faciunt absolutè imagines, & sculptilia; vel quia Christiani adorant ipsas imagines factas, ac si ipsæ essent Dij, vt faciebant idololatræ. Si primum, iam condemnant Sacram Scripturam, quæ, vt vidimus, non prohibet absolutè imagines, & sculptilia: si secundum, committunt impudenter calumniam contra Christianos; qui nunquam adorarunt imagines putando illas esse Deos, vt faciebant Gentiles, & faciebant ipsi Iudæi, quando adorabant idola, vt Deos, & deficiebant à fide veri Dei: sed ita adorant sacras imagines Dei, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, vt in illis non adorent lignum, argentum, aurum, colores, sed in illis Deum cultu latriæ, Virginem Deiparam cultu hyperduliæ, Sanctos cultu duliæ:

liæ: taceant ergo Iudæi, & confundantur, dum vel per ignorantiam, vel per malignitatem Christianos insectantur.

4. Sed quæres, cur Deus Christianis concessit vsum sacrarum imaginum, non ita vero Hebræis? Duas rationes assignant communiter DD. 1. est: quia Iudæi erant valde rudes, & materiales; vt facilè laberentur in idololatriam, putando in ipsis imaginibus esse aliquod Numen; vt fecerunt, quando vitulum aureum adorauerunt, dicentes: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Et vt ostenderent se in illa bruta statua non adorare verum Deum, qui est vnus; in illa adorabant Deos infidelium; qui illos credebant esse multos, dicendo: *Isti sunt Dij tui*. Similiter postea adorarunt Serpentem illum æneum; ac si in illo inesset aliquod Numen; & vt tali obtulerunt incensum, vt constat ex lib.4. Reg.c. 18. v. 4. *Confregitque Serpentem æneum; quem fecerat Moyses: siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum*. At verò Christiani maiori luce illuminati optimè sciunt in eis imaginibus nullum inesse Numen; sed ex illis repræsentantibus Deum, & Deiparam, & alios Sanctos excitari ad amandum, colendum, & venerandum Deum, eiusque Sanctissimam Matrem, & Sanctos; quin sequantur Deos alienos, sed verum Deum, & Saluatorem nostrum IESVM Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vnus est Deus. Et hæc etiam fuit causa, cur Hebræis non tam expressè fuit declaratum Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, expressiùs verò in lege gratiæ: quia cùm Iudæi extent adeò materiales, & propensi ad idololatriam, facilè poterant dilabi ad credendum tres Deos, credendo tres personas.

5. Secunda ratio est: quia cùm ante incarnationem non esset Deus visus in terris, poterant Hebræi fabricare aliquam imaginem adeò impropriam, vt illis alioquin rudibus esset occasio deficiendi à cognitione, fideq; veri Dei. Hæc ratio insinuatur in Deuteronomij cap.4. vers.15. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est vobis*

Domi-

Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ: similitudinem omnium iumentorum, quæ sunt super terram, vel auium sub cœlo volantium; atque reptilium, quæ mouentur in terra, siue piscium, qui sub terra morantur in aquis; ne fortè, eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. At verò postquàm credimus ob testimonium Dei per Prophetas, & Apostolos nobis reuelatum Deum carnem humanam assumpsisse, & fuisse in terris visum, iam depingendo, sculpendo huius Dei facti hominis sic visi similitudinem, aut imaginem, nullum datur periculum errandi, falsoque credendi; quia nos iam *adoramus*, *quod scimus*, vt bene nos summa veritas edocuit. Ioan.4.vers.22.

CAPVT SECVNDVM.

Proponitur, ac dissoluitur secundum Hebræorum dubium contra legem Christianam.

6. OPponunt Hebræi Christianis: si Christus est verus Messias, cur non præcipit, vt lex diuina obseruetur; quæ prohibet vesci carnes porcinas, & alios cibos, vt habetur Leuitici 11.vers.7. & Deuteron. 14. At verò Christianis concessum est vesci huiusmodi carnes in Diuina lege prohibitas: ergo qui se opponit legi Dei non est à Deo. Messias autem debet esse à Deo: ergo Christus non est verus Messias. Miseri Hebræi, qui tam tenui lanæ filo irretiuntur, & vel etiam subtilissimis araneæ telis intricantur! quibus respondendum est salutem animæ non consistere in abstinentia ab his potiùs, quàm ab illis cibis; aliter nec Noe, nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec alij, qui omne genus ciborum manducabant, salui essent: quod tamen ipsi affirmare non aude-

bunt. Itaque considerandum est Deum secundùm temporum varietatem præcepta dare. Sic in principio solùm concessit hominibus vesci de fructibus terræ, non autem de carnibus, vt constat ex Genes. 1. vers. 29. *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* Et tamen postea tempore Noe concessit posse homines vesci omne genus carnium, ac reptilium; vt constat ex Genes. cap. 9. vers. 3. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Tempore autem Moysis Deus prohibuit vesci de carnibus quorumdam animalium, vt dictum est, in cit. locis Leuitici, & Deuteronomij: sicut ergo Deus 1. concessit fructus in escam, & non carnes: 2. concessit edere de fructibus, & etiam de carnibus. 3. concessit de fructibus, & non de omnibus carnibus; sic idem Deus Messias tempore sui aduentus concessit de fructibus terræ vesci, & de omnibus animalibus terræ, volatilibus cœli, piscibus maris: vnde Rabbini ipsi in expositione Psalmi 145. vers. 8. *Dominus soluit compeditos*, ita dicunt: *Ne legas, Ascurim*, idest, *ligatos*, *sed lege Issurim*, idest, *probibitos: ex quo probatur tempore Messiæ omnes cibos antea probibitos esse concedendos.* Et loquendo in particulari de Sue, sic dicunt ijdem Rabbini: *Sus fuit appellatus Chazir, ex radice Chazar*, idest, *redire; quia iterum Israeli concedendum erat vesci carnes suinas.* Et clariùs Midras Tillim supra eundem versiculum citati Psalmi 145. sic habet: quid significat, *Dominus soluit compeditos?* & respondet, *Omne animal, quod erat immundum sæculo in isto*, idest, *ante Messiæ tempus, Deus benedictus mundum faciet in sæculo futuro, idest, tempore Messiæ: & sic dicitur* Ecclesiast. cap. 1. vers. 9. *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est: quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est: scilicet: tempore Messiæ concedentur omnes cibi; qui antea erant concessi tempore Noe, & postea fuerunt probibiti tempore Moysis.* Hactenus Rabbini: ex quibus patet ipsos etiam Rabbinos optimè scire

re tempore aduentus Meſſiæ tollendam eſſe Moſaicam prohibitionem ciborum: cur ergo incuſant Iudæi Chriſtianos, quòd Moſaicam illam legem à Chriſto Domino Deo noſtro reuocatam non obſeruent? imò eo ipſo, quòd eam reuocauerit, ſecundùm ipſos Rabbinos, oſtenditur illum eſſe verum Meſſiam; cùm ipſimet Rabbini, vt vidimus, affirment tempore aduentus Meſſiæ legem cibos certos prohibentem reuocandam eſſe.

7. Ex his colliges illam cæremoniam, ſeu potiùs ſuperſtitionem, qua vtuntur in occidendis animalibus ad veſcendum, nonniſi illa iugulando, & non aliter; item tangendo cultellum duodecies digito, ad videndum, ſi ſit perfectè exacutus; prorſus eſſe ridiculam; imò & contra textum Deutoronomij cap. 13. vbi præcipitur, vt nil addatur legi ſcriptæ; illa verò cæremonia non inuenitur ſcripta in lege: nam illa ſcriptura, quam ipſi allegant cap. 12. Deuteronom. ſolùm loquitur de vaccis, & pecoribus, in ordine ad ſacrificium; ipſi verò perperam extendunt etiam ad aues, & alia animalia ibi non ſcripta, & addunt digitorum tactum in cultellis; quæ cæremonia ab illis abſque vlla ſcriptura perperam introducta fuit. Similiter aliam ſuperſtitionem non manducandi in eodem prandio carnem, & caſeum prorſus eſſe vanam, & malè deducitur ex illo textu Deuteronomij 14. verſ. 22. vbi prohibetur coqui hædum cum lacte matris: & ipſi exiſtimant caſeum cum carne in eodem prandio comedentes, facere, vt in ſtomacho caro cum lacte coquatur. Dato tamen, quòd prædictæ cæremoniæ ante aduentum Meſſiæ obligarent, poſt illius aduentum iam non vigent, vt legitur in libro Midras Tillim in expoſitione Pſalmi 145. ad illum verſiculum: *Dominus ſoluit compeditos*: vbi dixit Dominum Meſſiam ab illis omnibus obligationibus, tum quo ad maſculos, tum quo ad fœminas liberaturum eſſe omnes. Vnde ex ipſis Rabbinis probatur omnes illas cæremonias poſt aduentum Meſſiæ ceſſaturas: quare perperam Hebræi colligunt Chriſtum non eſſe Meſſiam, quia non fecit obſeruare cæremonias

illas, cùm è contrario deberent inferre illum esse Messiam; cùm iuxta illorum Rabbinos Messias illas omnes tollere deberet.

CAPVT TERTIVM.

Proponitur, & dissoluitur tertium Iudæorum dubium contra Christianos.

8. TErtium dubium, quod Christianis opponunt Iudæi, est. Deus præcepit legem Circumcisionis, quæ duraret in æternum; Patrique Abraham id Deus intimauit, vt circumcisio illa esset pactum inter Deum, & populum; ita vt tamdiu duraret amicitia inter Deum, & populum, quamdiu duraret Circumcisio: quæ foret signum distinctiuum veri populi Dei à non populo Dei: sed in populo Chriastino non obseruatur Circumcisio; ergo populus Dei non est, proindeque Christus, qui hanc Circumcisionem sustulit, non est semen spirituale Abrahæ, & consequenter nec Messias. Hoc friuolum quidem, & debile Hebræorum argumentum in triplici errore falsa suppositione fundatur. Primus error est, quo existimant Circumcisionem in æternum obseruari debere. Secundus error, quo putant Circumcisionem esse necessariam necessitate medij ad salutem, non solùm ante, sed post aduentum Messiæ; itaut sine Circumcisione nullus æternæ salutis particeps esse queat. Tertius error; quo arbitrantur, Circumcisionem fuisse illud pactum constitutum inter Deum, & Abraham, eiusque descendentes. Quare tribus his Hebræorum erroribus apertè depulsis, illorum fatuitas comparebit.

9. Quantum ad primum. Verbum *Holam* in præcepto Circumcisionis positum, quod Hebræi vsurpant ad significandum, *in æternum*, in Sacra Scriptura sæpiùs vsurpatur, *pro semper*, sed vsque ad certum tempus, & terminum; prout bene, docteque considerauit D. Aug. in q. 31.

supra

ſupra Geneſim, & in quæſt.43.ſupra Exodum, & in lib. de ſermon.ſupra Exodum cap.91.Patet hoc 1.ex Exod.21.v.5. vbi dicitur: ſi aliquis ſeruus cedat iure ſeptennij, ob amorem domini, vxoris, & filiorum, offerendum tunc eſſe à domino Sacerdotibus, vt ſeruiat templo, perforatis auribus ſubulâ, idque in æternum: *Quod ſi dixerit ſeruus: Diligo dominum meum, & vxorem, ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus dijs, & applicabitur ad oſtium, & poſtes, perforabitque aurem eius ſubulâ, & erit ei ſeruus in ſæculum.* Vbi licèt dicatur, quòd in æternum maneret ſeruus; non intelligebatur, niſi vſque ad tempus Iubilæi, quod quinquageſimo quoq; anno recurrebat; & aliquoties illa ſeruitus durabat ſolùm 10.annos,qui ſolùm ad implendum numerum 50.deficiebant, caſu, quo ſeruitus illa contraheretur anno quadrageſimo poſt præteritum ante actum iubilæum; in quo omnis ſeruus cum vxore, & filijs ſuis euadebat liber, vt habetur. Leuitici 25.verſ.41. *Egredietur liber cum liberis ſuis ad cognationem, & poſſeſſionem patrum ſuorum.* Ex quo deduces; licèt ſcriptura dicat Circumciſionem eſſe obſeruandam in æternum, illud *in æternum*, intelligendum eſſe vſque ad tempus Meſſiæ; in quo tempore deberent ceſſare illæ cæremoniæ Moſaicæ, prout Rabbini colligunt ex ſupra allegato verſiculo Pſal. 125.*Dominus ſoluit compeditos*: ſicut illud, *in æternum* pro ſeruis, intelligebatur,vſque ad tempus iubilæi,in quo ſerui liberi euadebant: quare friuolum eſt argumentum Iudæorum, dum volunt, quòd ex illa particula, *in æternum*, Circumciſio ſit omnino perpetua: cùm ſolùm ſignificet: *ſemper*, ſed vſque ad certum tempus, vt patet ex citatis locis.

10. Quantum ad ſecundum: certiſſimum eſt Circumciſionem non fuiſſe ſemper, & reſpectu omnium perſonarum neceſſariam ad ſalutem: ſiquidem ante legem promulgatam Circumciſionis,multi ſunt ſine illa ſaluati; poſt illam autem promulgatam, adhuc multi ſine illa ſalui fuerunt in fide Chriſti venturi,vt Iob, Iethro, Aman Syrus, & Ciuitas Niniue, cui Deus pepercit propter pœnitentiam,

quam-

quamuis multi poſtea ad vomitum redirent. Deinde fœminæ Hebrææ, quæ non circumcidebantur, per fidem in Chriſtum venturum mundabantur. Hebræi verò maſculi, quos obligabat lex Circumciſionis, non poterant quidem ſaluari ſine circumciſione, quia Deus ita diſpoſuit; ſed illa eis fuit neceſſaria, quippe non erat tunc pro illis aliud medium ad tollendum peccatum originale: hoc tamen remedium eis fuit datum ſolùm vſque ad Meſſiæ aduentum; vt mox probabimus.

11. Quo ad tertium: falſum eſt omnino Circumciſionem fuiſſe illud pactum conſtitutum inter Deum, & Abraham, ſuoſque poſteros fide tamen, & non carne, vt poſtea explicauit Paulus. Pactum igitur illud fuit de dando Meſſiam, vt pro peccato originali, primò, & deinde pro peccatis hominum actualibus plenè ſatisfaceret, viam ſalutis doceret, infernum clauderet, cœli portas reſeraret ijs, qui in eum crederent, eiuſque præcepta ſeruarent. Circumciſio autem ſolùm fuit ſignum huius pacti: vnde pacto adimpleto, neceſſarium erat, vt ſignum illud reſcinderetur; aliter peccatum eſſet grauiſſimum, illud ſignum adhuc poſt Chriſti aduentum retinere: quia in hoc oſtenderent pactum non fuiſſe iam adimpletum, ideſt, Meſſiam nondum veniſſe, quod dicere grauiſſimum eſt peccatum; & eſt affirmare Deum eſſe mendacem; non credendo Prophetis, miraculis ſtupendis, & manifeſtiſſimis ſignis aduentus Saluatoris noſtri in toto hoc opere manifeſtiſſimè demonſtratis. Totum hoc explicatur exemplo: ſi tibi ego promitterem dare centum mille denarios, & in fidem, & ſignum huius meæ promiſſionis tibi darem ſcripturam: dante me tibi poſtea illa centum millia; iam illa ſcriptura deberet reſcindi, & eſſet peccatum illam à te retineri; quia in hoc oſtenderes, me non ſatisfeciſſe meæ promiſſioni, & pacto. Sic illa circumciſio erat ſignum ſcriptum, & datum Iudæis in ſignum promiſſionis de dando Meſſiam Saluatorem: ecce iam Saluator tibi eſt datus, pactumque, & promiſsio adimpleta: igitur illa ſcriptura, ſignumue nihil

iam

iam valet, reſcindique debet: aliter iniquè oſtenderes promiſsionem tibi non eſſe impletam.

52. Itaque propter tres potiſsimùm cauſas fuit Circumciſio inſtituta. Prima, vt eſſet ſignum pacti, quo Deus promiſerat miſſurum in terras Filium ſuum in carne paſſibili ad redimendum mundum, & conſtituendam Eccleſiam in toto mundo, & non iam in anguſtis Iudææ terminis. Secunda, vt per eam Circumciſionem in maribus originale peccatum tolleretur. Tertia, vt per illum populus Dei tunc diſtingueretur à quolibet alio populo, qui populus Dei non erat. In his omnibus cauſis etiam Rabbini conueniunt: omnes hæ cauſæ poſt aduentum Meſſiæ ceſſarunt: ergo & Circumciſio debebat ceſſare per communem regulam, ceſſante cauſa, ceſſat effectus. Probatur igitur poſt aduentum Meſſiæ has cauſas ceſſaſſe. Ceſſauit 1. vt dictum eſt: quia ſignum datum, in confirmationem alicuius pacti adimplendi; pacto illo poſtea adimpleto, reſcinditur ſignum; vt probatum eſt; ſed Circumciſio fuit data in ſignum pacti, ſeu promiſſionis de mittendo Redemptore: ergo impleto hoc pacto per aduentum Redemptoris tempore à Deo conſtituto, & per Prophetas ſignificato, ſignum illud Circumciſionis debuit ceſſare, & omnino tolli, eratque iam non ſolùm ſuperfluum, ſed nociuum.

13. Ceſſauit ſecunda cauſa: quia per aduentum Meſſiæ vnus tantùm futurus erat populus Dei in vniuerſo mundo, & non erat futura diſtinctio Iudæi, & Græci; prout conſiderauit Apoſtolus Paulus, & erat prædictum à Propheta Iſaia cap. 11. verſ. 9. vbi loquens de aduentu Meſſiæ: *Repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes. In illa die radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum; ipſum gentes deprecabuntur; & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Et nota; ſignum huius populi venturi Chriſtum eſſe; & ideo populus dicitur Chriſtianus, & per baptiſmum ſignificatum per aquas maris terram operientes ſolùm diſtinguendum eſſe populum Dei, id eſt, Eccleſiam Chriſtianam, quæ eſt

est vbique baptismi salutaribus aquis irrigata, & quodammodo operta. Idipsum prædixerat Propheta Malachias cap. 1. vers. 11. *Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus. Dicit Dominus exercituum.* Et idem prædixit Dauid Ps. 112. vers. 3. *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini*; & in multis alijs prophetijs. Si ergo omnes Christum verum Messiam credentes debebant esse in vniuerso mundo populus Dei, non restabat alius populus Dei; vt inter populum, & populum opus esset aliqua nota distinctionis, prout erat opus ante aduentum Messiæ, vt distingueretur populus Dei per Circumcisionem à populo incircumciso, & non populo Dei: vnde post aduentum Messiæ superflua erat talis nota distinctiua, scil. Circumcisio: non enim datur distinctio, nisi inter duos: quare, si post aduentum Messiæ vnus tantùm erat futurus populus Dei, ex gentibus, & Iudæis; ad quid erat necessaria illa distinctio? Cessante ergo isto effectu, cessare debuit illa causa de distinctione populi Iudæi, à Gentili, iuxta illud: *Non est distinctio Iudæi, & Græci.*

14. Cessauit tandem tertia causa. Nam post aduentum Messiæ, ab eo institutum fuit ad tollendum originale aliud medium plùs vniuersale, plùs vtile, & plùs suaue, scil. baptisma. Plùs vniuersale: quia Circumcisio non extendebatur ad fœminas, quæ vt dictum est, non circumcidebantur, sed tantùm lauabantur, & illis originale remittebatur in fide Christi venturi; neque etiam extendebatur ad populum non Iudaicum, sed alijs non Iudæis seruantibus legem naturalem remittebatur originale per actum amoris Dei, vel contritionis ex auxilio supernaturali in fide Christi futuri, vt in Iob, & in alijs supradictis. At verò baptisma à Christo institutum est vniuersale ad omnes; tam ex natione Hebræa, quàm ex alijs nationibus totius mundi, ad omnes tam masculos, quàm fœminas. Plùs vtile: nam Circumcisio non remittebat peccatum,

nec

nec gratia conferebatur ex virtute Circumcisionis, sed in fide Christi: at baptismus remittit peccatum originale ex virtute Sacramenti baptismi, qui producit vt causa instrumentalis gratiam ex opere operato, sicut alia Christi Sacramenta: & ideo dicitur signum practicum gratiæ: plùs etiam vtile: nam Circumcisio solùm conferebatur octauo die post natiuitatem infantis, & si infans ante octauum diem moriebatur, non ei remittebatur originale, & sic à cœlo excludebatur sine vllo remedio: at verò baptismus potest conferri statim, & si habet infans periculum mortis, præcipitur, vt mox ei baptismus conferatur, vt à cœlo non sit exclusus. Plùs suaue: nam Circumcisio efficiebatur cum magno dolore, sanguinis effusione, & sæpe cum periculo vitæ, & in adultis cum maximo dolore, & pudore, & periculo etiam mortis; at baptismus confertur cum suauitate, sine vllo dolore, & sine vllo rubore, & sine vllo periculo vitæ, sine effusione sanguinis, aut cruciatu ex aliquo vulnere.

15. Si igitur baptismus à Sanctissimo Messia fuit institutus, vt vniuersaliùs, vtiliùs, suauiùs originale peccatum extingueret; ad quid erat iam necessaria Circumcisio? Certè superflua erat. Et ideo ipsimet Rabbini in Talmud tractatu Iemaboth in cap. *Discalceatus*, dicunt in eis, in quibus peccatum originale remittebatur per lauacrum, vt in fœminis, opus non esse Circumcisione; ergo cùm post aduentum Messiæ originale peccatum per lauacrum baptismi remittitur, ex mente eorum Rabbinorum superflua est Circumcisio. Ex his concluditur contra Iudæos Circumcisionem iam non posse obseruari post legem gratiæ. 1. quia illa erat solùm data in signum promissionis de dando nobis Messia; qua impleta, debuerat omnino rescindi. 2. quia ex ipsis etiam Rabbinis cæremoniæ Iudaicæ, qualis etiam erat Circumcisio, debebant tolli per Messiam. 3. quia fuit data ad distinguendum populum Iudaicum à Gentili; post Messiam verò vnus solùm erat futurus populus ex omnibus nationibus, nempe vniuersalis

S Eccle-

Ecclesia Christiana: ergo debebat cessare nota illa distinctiua. 4. quia post Christi aduentum instituendum erat à Messia nouum, vniuersalius, vtilius, suauiusque medium ad delendum originale: ergo iam superfluum erat, imò inutile, & nociuum medium Circumcisionis. 5. quia Circumcisio erat vmbra, & figura baptismi; ergo quando iam adest lux, & figuratum, euanescit vmbra, & figura. Proindeque argumentum Hebræorum de Circumcisione illorum perfidiam condemnat, & nostram fidem confirmat.

CAPVT QVARTVM.

Proponitur, & dissoluitur quartum Hebræorum dubium, seu argumentum contra Christianos.

16. QVartum Hebræorum dubium, quod mouent contra Christianos, est; quòd lex lata à Deo æterno est lex æterna, & consequenter in æternum duratura: Christiani autem hanc legem non obseruant; non enim obseruant festum Paschæ azymorum, & festum Tabernaculorum; quæ festa etiam post aduentum Messiæ obseruanda esse credunt Hebræi: ergo Christus, qui non præcipit huiusmodi festa obseruari, non est Messias à Prophetis prædictus; nam hic venturus erat non ad destruendum legem, sed ad procurandum, vt lex perfectiùs, exactiusque obseruaretur.

17. In hoc argumento clarè ostendunt Iudæi ipsos in lege antiqua parùm esse versatos; vel illam prorsus ignorare, minimèque intelligere: vt tamen videas, quàm sint obcæcati, & quantùm à vera legis intelligentia sint remoti; aduerte præcepta legis antiquæ in triplici esse differentia: alia enim sunt præcepta iudicialia; alia cæremonialia, alia moralia. Iudicialia tractant de modo iudicandi tam in ciuilibus, quàm in criminalibus. Cæremonialia agunt de modo sacrificandi, offerendique Deo determinatis ritibus sacrificia, oblationemque, & holocausta. Moralia sunt, quæ continent legem naturalem, quæ obligant semper. Vt non occidere, non mæchari, non furari, &c. De iudiciali-

cialibus fit mentio in Exod.cap.21. *Hæc ſunt iudicia, quæ propones eis, &c.* De cæremonialibus agitur in toto Leuitico. Et omnia hæc præcepta tum Iudicialia, tum Cæremonialia ſolùm debebant obſeruari vſque ad tempus Meſſiæ: ſiquidem omnia erant vmbra, & figura; ideoque ceſſare debuerant, veniente veritate, & figurato; qualis eſt Sanctiſſimus Meſſias. Et Rabbini affirmant præcepta hæc iudicialia, & cæremonialia ſolùm in terra promiſſionis, ſcil. in Iudæa obſeruari debere: imò hoc ipſum expreſsè dicit Sacer textus Deuteronomij cap. 4. verſ. 1. *Et nunc Iſrael, audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea, viuas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus Patrum veſtrorum daturus eſt vobis.* Et infra verſ.5. *Sic facietis ea in terra, quam poſſeſſuri eſtis.* Præcepta illa moralia ſunt illa 10.quæ, vt dictum eſt, ſemper obſeruari debent in quocunque loco, & tempore, cùm contineant legem naturalem æternam. Et notandum eſt, præcepta illa iudicialia, & cæremonialia à Deo appellari non bona: quod etiam dicitur Ezechiel.20.verſ.25. *Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, quibus non viuent.* Non appellantur mala, ſed non bona; id eſt, non perpetua, nec abſolutè perfecta: quia verè illa præcepta non continebant illam perfectionem, quæ in lege Euangelica relucet: ideo Doctor gentium præcepta legis Moſaicæ meritò appellauit infirma, & egena. Sic enim ſcribit ad Galat.4. *Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti ſitis Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa?* Decepti Galatæ intendebant Moſaicas cæremonias ex parte obſeruare: illos monet, qui iam deuenerant ad perfectam cognitionem legis Euangelicæ, ne deſcenderent, ad imperfecta, infirma, & egena præcepta legis Moſaicæ: neque lex illa antiqua iuſtificare poterat ſine fide Chriſti: aliter opus non eſſet, vt Chriſtus veniret ad iuſtificandum, & redimendum. Et ſic ait in ead.epiſt. cap. 2. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro, niſi per fidem IESV Chriſti: ſi enim per legem iuſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.*

Quasi diceret Apostolus: ad quid veniret Verbum caro factum, pro nobis passurum; si vt nos essemus iustificati, & saluati, sufficiens fuisset lex Moysis? Certum igitur est legem Moysis ex se non potuisse iustificare nisi per fidem in Christum: vnde si solus Christus est, qui nos iustificat; lex Moysis per præcepta iudicialia, & cæremonialia post Christi aduentum nihil iuuat; imò nocet; quia per id indicaretur non esse necessariam Christi mortem ad nostram salutem; quod omnino repugnat Prophetis, qui de Christi morte pro nobis toleranda prophetizarunt.

18. Cæterùm decem præcepta moralia semper obseruanda erant, vt dictum est; & ideo hæc etiam post aduentum Christi perseuerant, nullo modo à Christo reuocata. Et consideranda est differentia in intimandis his præceptis. Nam quando scriptura loquitur de præceptis moralibus, Deuteronom. 4. vers. 13. *Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in tabulis lapideis*. Vbi intimauit præcepta moralia, non limitauit certum locum, vel tempus; vt significaret in omni loco, & in omni tempore obseruanda esse; at quando intimauit præcepta iudicialia, & cæremonialia, determinauit certum locum, vbi solùm obseruari deberent; nimirum in terra Promissionis, id est in Iudæa vers. 14. *Mihique mandauit in illo tempore, vt docerem vos cæremonias, & iudicia, quæ facere deberetis in Terra, quam possessuri estis*. In quo clarissimè indicauit Deus ea præcepta iudicialia, & cæremonialia solùm esse duratura vsque ad tempus Messiæ; & post illud tempus nullo modo esse obseruanda: quia cùm Deus optimè sciebat Iudæos post tempus aduentus Messiæ esse eijciendos in perpetuum à Iudæa ob peccatum non recipiendi Messiam, & illum occidendi, eo ipso voluit, quòd cæremonialia illa, & iudicialia præcepta cessarent post aduentum Messiæ; quia post illius aduentum non erant permansuri in Iudæa, in qua solùm ex præcepto Dei obseruari deberent: & ex hac etiam ratione Iudæi nulla peragunt sacrificia, quia Deus noluit, vt hæc fierent extra Ierusa-

rusa-

rusalem: præuidens post aduentum Mesſiæ illos esse perpetuò eijciendos à terra illa; & voluit, vt post aduentum Mesſiæ nullum aliud fieret sacrificium, nisi sacrificium immaculati Agni Sanctisſimi Mesſiæ per sacrificium cruentum semel, & per incruentum in Eucharistia semper vsq; ad consummationem sæculi; quod Christus ipse significauit, in illis verbis: *Quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*: &: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Quod prædixerat Propheta Malachias cap.2.verſ.11. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus*. Et hoc videmus nunc in Ecclesia in omni loco, dum sacrificium, & oblatio munda, id est, sine effuso animalium sanguine altaria quondam fædante, sed incruento modo æterno Patri offertur. Quare post Christi aduentum solùm hoc sacrificium debebat fieri secundùm prophetiam; alia verò sacrificia fieri non debebant, nec fient in æternum.

19. Ex quibus manet satisfactum Hebræorum dubio de celebratione festi azymorum, & de alijs festis Iudæorum. Ratio est: quia, cùm sint præcepta cæremonialia; & hæc solùm poterant obseruari ante aduentum Mesſiæ in terra possessa à Iudæis; id est, in Iudæa; iam hodie obseruari non debent; aliter iretur contra legem ipsam. Et hoc ipsum clarisſimè demonstratur: quia festum Paschæ azymorum celebrabatur in memoriam exitus de Ægypto: hoc enim Paschæ nomen significat transitum; & sic per festum illud fiebat memoria illius transitus de terra Ægypti in terram promisſionis in actionem gratiarum ob tantum beneficium à Deo illis factum: sed post aduentum Mesſiæ non debebat iam fieri memoria illius transitus: ergo non debet iam celebrari festum illud. Quòd verò post aduentum Mesſiæ non debuisset fieri commemoratio illius exitus, constat expresſè Ieremiæ c. 23. verſ. 7. *Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non dicent vltra: viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de Terra Ægypti: sed viuit Dominus, qui edu-*

eduxit, & adduxit semen Domus Israel de Terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc; & habitabunt in terra sua. Id est; non amplius celebrabitur festum Paschæ azymorum pro exitu de Ægypto; sed festum Paschæ Resurrectionis Christi, eiusque Passionis; per quam omnes gentes in cunctis terris fuerunt redemptæ de captiuitate peccati, & de Idololatria, vt habitent in terra sua, vt semen Abraham spirituale per propagationem fidei de vero Deo Israel. Hoc idem dixerat idem Propheta c.16.v.14. per eadem formalia verba: & adiungit mox: *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos*; in quo indicat conuersionem gentium per Apostolos, qui erant piscatores piscium, & postea hominum, iuxta illud: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*. Sic intelligunt hos textus ipsi etiam Rabbini: nam in lib. Melchita in Exod. 13. in vers. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum, &c.* Sic dicitur, facta fideli translatione de Hebraico in Latinum: *Dixit illis filius Zomæ, veniet tempus, in quo Israel commemorationem non faciet de exitu Ægypti in sæculo futuro*, id est, *in tempore aduentus Messiæ, sicut scriptum est* in Ierem.cap.16. & hoc significauit etiam Salomon Ecclesiastes cap. 1. vers. 11. *Non est priorum memoria, nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo*. Quæ verba sic exponuntur in lib. Midras coheleth: *Quot signa, & miracula facta sunt in Israel, antequam egrederentur ex Ægypto cum illis, quæ postea facta sunt, quando egressi sunt ex Ægypto*, de his loquitur Salomon, quando dicit: *Non est priorum memoria, &c.* id est, *non fiet memoria de primis miraculis factis ante egressum Ægypti, nec de illis factis post egressum*. Et mox interrogat: *De quibus ergo miraculis fiet memoria?* Et respondet: *Fiet memoria de illis, quæ fient tempore Messiæ, sicut scriptum est* in Ierem. cap. 16. Huic expositioni adhæret Targum Ierosolymitanum explicando illa verba: *Cum illis, quæ facta sunt*, id est, *cum illis, quæ fient, in diebus Regis Messiæ*.

20. Idem

20. Idem dicit Isaias cap. 43. vers. 2. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua, & nunc orientur: vtique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, & in inuio flumina, &c.* quæ verba exponens Rabbi Salomon dicit sic: *Non memineritis priorum*, id est, *priorum miraculorum, quæ ego feci in Ægypto, quia in tempore Messiæ vestrum exercitium erit totum in laudibus, & confessionibus erga Messiam Sanctissimum propter illius multò mirabiliora prodigia.* Vnde ex prędictis textibus, & expositionibus Rabbinorum clarè constat post aduentum Mesiæ non esse iam celebranda Iudæorum festa ob prodigia illa facta à Deo tam ante, quàm post egressum ex Ægypto; sed solùm faciendam esse commemorationem eorum mirabilium, quæ Mesias facturus erat; vt nos nunc facimus, celebrando illius mirabilem Incarnationem, Natiuitatem, Epiphaniam, Transfigurationem, prædicationem miraculis plenam, Sanctissimam Pasionem, gloriosam Resurrectionem, mirabilem Ascensionem, Pentecosten, seu Spiritum Sanctum in linguis flammeis super Apostolos, & discipulos descendentem. Et ratio horum omnium est: quia Mesias Sanctissimus debuerat facere nouam aliam legem, nouum pactum, & testamentum, sicut etiam à Sanctis Prophetis diuino afflatis numine prædictum erat, vt constat ex Ieremia cap. 31. vers. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam Domui Israel, & Domui Iuda fædus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt: & ego Dominus sum eorum, dicit Dominus.* Et infra: *Dabo legem nouam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.*

21. Notandum hîc pactum nouum, & legem nouam pro eodem haberi; vt mox idem Propheta subiungit: *Dabo legem nouam.* Et constat ex cap. 34. Exodi vers. 29. *Et scripsit in tabulis verba fæderis decem.* Vbi decem præcepta vocat pactum. Quare pactum nouum idem est, atque

lex

lex noua: quæ lex debebat multò perfectior esse, quàm fuit illa, quam Deus illis dedit post exitum de Ægypto, vt bene habetur in lib. Midras coheleth, vbi sic dicitur: *Lex illa, quam homo accepit in hoc sæculo*, id est, *ante aduentum Messiæ, est nihil respectu legis Messiæ*. Ex quibus verbis manifestè patet legem nouam, nimirum Euangelicam, multò esse perfectiorem Mosaicâ; vtpote data immediatè à Messia, qui non est solùm homo, vt erat Moyses, sed ipsemet Deus, qui illam laturus erat; vt fatentur ipsi etiam Rabbini in lib. Rabboth, exponendo versiculum Genes. cap. 46. vbi dicit sic: *Dixit ei Deus Sanctus, & benedictus: tu docuisti filios tuos legem in hoc sæculo: sed in sæculo futuro*, id est, *in aduentu Messiæ, ego ipse in gloria mea vos legem edocebo*; *sicut scriptum est* in Isaiæ cap. 54. vers. 13. *Vniuersos filios tuos doctos à Domino*. Ex quibus verbis constat alteram legem dandam esse à Deo diuersam à prima data per Moysen; quæ ratione legislatoris melioris, vtpote Dei illam immediatè ferentis multò perfectior futura erat; & id fecit Christus; qui legem hanc nouam, scil. Euangelium docuit verbo, & exemplo. Et hanc legem Euangelicam, vt prædixit Ierem. cit. cap. 31. impressit Deus ipse Messias, non in tabulis lapideis, vt Mosaicam, sed in cordibus suorum fidelium. Quod etiam prædixit Ezechiel. cap. 11. vers. 19. *Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum; & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea; & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum*. Id est, fideles mei Christiani meam legem Euangelicam secuti habebunt cor vnum, iuxta illud: *Cor vnum, & anima vna*; non erunt duræ ceruicis, vt Hebræi, sed dociles, & nouum spiritum habentes. Et hoc etiam prędixit Isaias cap. 24. loquendo de supplicio infligendo in vltimo iudicio violantibus vtramque legem; Mosaicam, quando vigebat, & postea fuit reuocata; & Euangelicam, quæ nunquam reuocanda erat. Vbi vers. 5. sic ait; *Quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt*

runt fœdus sempiternum propter hoc maledictio vorabit terram. Vbi nota, non dici: Transgreſsi sunt legem, sed leges in plurali: quia in die iudicij de vtraque lege reddituri sunt rationem, de prima, quando obligabat; de secunda etiam à tempore Meſsiæ obligante in perpetuum, & ideo istam secundam appellat Propheta fœdus sempiternum. Et ita consentiunt Rabbini in lib. Ialcut in expoſitione Iſa. cap.26.& in lib. Rabboth exponendo Leuiticum cap. 11. & in lib. Mechilta in expoſitione Leuitici cap.24. in quibus locis aſſeritur ferendam eſſe à Meſsia nouam legem, & pactum sempiternum.

22. Obmutescant igitur Iudæi, & erubescant; nec incuſent Christianos, quòd illa cæremonialia Moſaica omnino abhorreant; nam lex illa cæremonialis non solùm est mortua, sed mortifera, id est, non solùm est omnino abrogata, sed peccant mortaliter, qui illam obseruant: & hoc ipſum prædixit Iſaias Propheta cap.1. per totum; vbi dicit clariſsimis verbis, poſtquam Meſsiam non acceptarunt, nec recognouerunt: eorum sacrificia, oblationes, festiuitates Deo eſſe execrabiles. Sic enim ait Propheta in loco citato verſ. 2. *Filios enutriui, & exaltaui. Ipſi autem spreuerunt me*. Id est, Hebræos educaui, vt filios per filiationem adoptiuam gratiæ, hanc præ reliquis Nationem exaltaui aſſumendo ex illis humanitatem; sed ipſi spreuerunt me, non me recipiendo Meſsiam suum; nec mihi recens nato locum adhuc in communi omnibus diuerſorio dedere, iuxta illud: *Non erat ei locus in diuerſorio*; sed compulſus fui naſci in stabulo in Bethlehem; expoſitus in vili præſepio. Sed ibi me cognouit bos, & aſinus: *Cognouit bos poſſeſſorem suum, & aſinus præſepe Domini sui: Iſrael autem me non cognouit*: irrationalia bruta habuerunt rationem, vt me cognoſcerent: *Iſrael*, id est, videns Deum, me suum Deum non vidit: animalia, bos, & iumentum inſipiens, me cognouerunt; vel illi, qui in illis brutis animantibus figurabantur, scil. Gentiles in me crediderunt. Populus meus antea fidelis, in me non credidit: neque scripturas

de me locutas intellexit: *Populus meus non intellexit*. Sed quia me dereliquerunt, & blaſphemarunt me Sanctum Iſrael Meſsiam ſuum: *Reliquerunt Dominum, blaſphemarunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum*; elegerunt Cæſarem vt Regem ſuum; & me Regem ſuum Cæſari poſtpoſuerunt, dicentes: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*; ideo Cæſar Titus eos deſtruxit: *Terra veſtra deſerta, Ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni; regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili, &c.* & ideò iam non volo veſtra ſacrificia; erunt enim fruſtranea, & mihi abominatio: *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra; incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cætus veſtri; Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea: & cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine pleuæ ſunt.* Id eſt, adhuc habetis manus noxias, & gaudetis fuiſſe me occiſum à Patribus veſtris, & affectu me ſemper occiditis: deponite veſtram obſtinationem; credite in lucem, vt filij lucis ſitis: *Lauamini*, id eſt, ſuſcipite baptiſmum, *& mundi eſtote*, id eſt, ſolùm per hunc ſanctum baptiſmum eritis mundi à peccatis veſtris; ſin minùs, moriemini in peccatis veſtris; & in æternum condemnabimini: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. O miſeri Hebræi, cur non aperitis oculos veritati? En clariſsimis verbis Propheta vobis oſtendit veſtras cæremonias, Sabbathi ſolemnitatem, reliquaſue feſtiuitates Deo eſſe execrabiles; iniquas veſtras Synagogas; & nullum vobis iam eſſe remedium, niſi baptiſmum, vt mundi, & ſalui ſitis.

CA-

CAPVT QVINTVM.

Proponitur, & dissoluitur quintum Hebræorum dubium, quòd Christiani non obseruent Sabbatum, tempus Expiationis, obseruent tamen Dominicam.

23. QVintum dubium Hebræorum, seu argumentum contra Christianos, est, quòd Deus præcepit, vt Sabbatum, diesque Expiationum in æternum solemniter obseruentur. Ita habetur in Exod.cap.31.vers.16. *Custodiant filij Israel Sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me, & filios Israel, signumque perpetuum.* Similiter de die expiationis ita habetur Leuitici cap.23. vers.21. *Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum; omne opus seruile non facietis in eo, legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris.* Si igitur vnum, & alterum præceptum est obseruandum in perpetuum, vt æterna salus obtineatur; Christiani, qui illa præcepta non obseruant; imò respuunt, & contemnunt, non sunt in statu salutis; consequenterque Christus, qui præcipit, vt ea præcepta non obseruentur à suis Christianis, non est Messias à Prophetis prædictus; nam hic venturus est ad saluandum populum; vt omnes Prophetæ clamant.

24. Resp. Vanam intelligentiam, quam Hebræi Sacræ exhibent Scripturæ, illis quidem erroris occasionem esse, & suæ perpetuæ damnationis. Legant igitur attentè, & seriò scripturas perscrutentur; & intelligent, si Christus ea præcepta non abrogasset, non futurum fuisse verum Messiam; & ipsam scripturam sibi contrariam fore. Vt hoc clarissimè, & euidentissimè videas, aduerte nomen *æternum*, in *æternum*, significatum per vocem Hebraicam holam, duobus modis in Sacra Scriptura vsurpari. 1. modo, vt

significet perpetuitatem, sine vllo vnquam termino. 2. vt significet perpetuitatem, id est, *semper*, vsque ad terminum tamen certum, & designatum à Sacra Scriptura. Aduerte etiam, quoties scriptura vtitur illo termino, *in æternum*, *in perpetuum*, *in sempiternum*; & non ponit in alio loco certum, & determinatum limitem, semper intelligi, vt res illa nullum habeat finem, sed absolutè sit perpetua. v.gr. quando scriptura dicit de reprobis: *Ibunt in ignem æternum, in combustionem æternam. Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* Et quando loquitur de gloria electorum: *Fulgebunt iusti in perpetuas æternitates*; cùm aliunde alius Sacræ Scripturæ locus non ponat certum limitem, & terminum; semper intelligendum est de pœna æterna reprobis, & de præmio æterno electis; & dicere pœnam illam, & præmium illud non esse perpetuò duratura, est aperta heresis; & ratio est; quia Sacra Scriptura semper intelligi debet, prout verba sonant, nisi inde sequatur aliqua implicatio contra ipsam Sacram Scripturam, aliter nunquam haberemus certam formam credendi, si à propria vocis, & scripturę significato pro libito nostro dilaberemur; quod optimè considerauit Trid. sess. 4. in decreto de editione, & vsu librorum.

25. Quoties verò scriptura vtitur terminis; *In æternum, in perpetuum*; & in alio Scripturæ Sacræ loco ponitur illius rei terminus, tunc solùm intelligitur durare semper, vsque ad illum tamen terminum, & limitem statutum; & tunc dicere rem illam esse perpetuò duraturam, absque vllo vnquam fine, est apertè hæresis contra ipsam scripturam: ratio est: quia cùm scriptura ponat terminum, & limitem, ad quem vsque res illa sit duratura; si quis contendat vltra illum limitem rem esse duraturam, iam negat scripturam, & committit hæresim. De hoc dantur multa exempla in Sacra Scriptura. 1. ex Exod. 21. de quo supra diximus lib. 2. cap. 3. seruus dicitur in perpetuum: & tamen veniente anno Iubilæi, liber euadebat: vnde illud *in perpetuum* intelligitur, vsque ad tempus Iubi-

Iubilæi; aliter ſcriptura ſibi contradiceret. 2. in textu Hebraico Samuel. cap.1. Vbi Anna dicit ſe facturam, vt filius ſuus ſeruiat Deo in templo in æternum: & tamen Rabbi Salomon explicat, illud *in æternum* intelligi debere vſque ad ſæculum Leuitici, id eſt, per 50. annos; vt dicitur Numeri cap.8. verſ.25. *Cumque quinquageſimum ætatis annum impleuerint, ſeruire ceſſabunt*. Tertiò in cap. 48. Geneſis promiſit Deus illis Sanctis PP. daturum terram promiſſionis, id eſt, Iudæam poſſidendam in æternum verſ.4. *Dabo tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te in poſſeſſionem ſempiternam*. Et tamen id ſolùm intelligendum eſt: vt illam poſſiderent vſque ad ſæculum aduentus Meſſiæ: quia Hebræi iam illam terram Iudææ non poſſident ab annis 1600. & vltra, nec ampliùs poſſidebunt: igitur eodem modo intelligendum eſt, quando dicitur Sabbatum, & illas cæremonias in æternum obſeruandas, id fieri debere vſque ad tempus Meſſiæ: quia illa omnia cæremonialia in diebus aduentus Meſſiæ ceſſatura erant, vt prædictum fuerat à Prophetis Ieremia, & Iſaia, prout vidimus in capite præcedenti. Ex quibus manifeſtè apparet errare Hebræos, dum dicunt Sabbatum obſeruandum eſſe in æternum etiam poſt aduentum Meſſiæ: ſiquidem, vt demonſtratum eſt, illud *in æternum*, intelligi debet, vſque ad tempus Meſſiæ; aliter ſcriptura ſibi eſſet contraria, & Deus foret mendax; quod dicere eſt manifeſta blaſphemia. Vnde ſi Hebræi perſiſtant in obſeruatione Sabbati, & in alijs cæremonijs poſt aduentum Meſſiæ, peccant mortaliter; & aduerſantur Sacræ Scripturæ; ſuntque in ſtatu æternæ damnationis.

26. Replicant adhuc perfidi, & obſtinati Iudæi. Saltem Sabbatum obſeruandum eſt etiam poſt aduentum Meſſiæ: ſiquidem præceptum Sabbati eſt morale, & continetur in 10. præceptis decalogi; quæ etiam ſecundùm nos perſeuerant poſt aduentum Meſſiæ. Hæc etiam Hebræorum obiectio manifeſtè oſtendit ſummam illorum ignorantiam in percipiendo Sacræ Scripturæ ſenſum. Vt illum ſenſum verum, & germanum percipias, aduerte præ-

ceptum

ceptum Sabbati partim esse morale, & partim cæremoniale; est morale, in quantum continet memoriam Creatoris Dei, qui creauit cœlum, & terram in spatio sex dierum, & postea cessauit ab omni opere, quod patrauerat; & septimo die requieuit: prout habetur in Genesi. 1. Est cæremoniale, in quantum celebrabatur in memoriam exitus ex Ægypto. Has duas differentias istius præcepti insinuat Sacra Scriptura: nam, in Exodo cap. 31. cùm Deus præcepisset ea, quæ ad Arcam, & altare, ad oleum, & vnctionem Sacerdotis pertinebant, quæ quidem ad cæremonialia spectant; subiungit circa Sabbatum vers. 15. *Sex diebus facietis opus: in die septimo Sabbatum est, requies Sancta Domino: omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur.* Vbi vides præceptum Sabbati inter cæremonialia præcepta connumerari: & idcirco, quia cæremoniale etiam est, aliquoties ex diuina voluntate obseruatum non fuit; vt accidit tempore Iosue: quando Deus præcepit, vt Vrbem Ierico per septem dies girarent ad illam expugnandam, & certum est intra illos septem dies Sabbatum esse. Constat id Iosue cap. 6. vers. 14. *Circuieruntque Ciuitatem secundo die semel, & reuersi sunt in castra: sic fecerunt sex diebus: die autem septimo diluculo consurgentes circuierunt vrbem, sicut dispositum erat, septies.* Imò ipsa vrbs die Sabbati capta fuit, vt habetur in lib. Beresuh Rabba; in expositione cap. 17. Genes. & idem dicit in expos. cap. 4. Numer. idem etiam dicitur in lib. Sederholam. Et in lib. Sifre in expositione cap. 9. Numeri, dicitur in 40. annis in deserto vnum tantum Sabbatum fuisse ab Hebræis obseruatum. Et postquam ingressi sunt in terram promissionis, dum iam erant in tranquillitate, & in gratia Dei, non semper obseruabant Sabbatum: siquidem per spatium duorum mensium, nimirum mense Martio, & Septembri, vt possent sibi necessaria quærere, Sabbatum non obseruabant: vt habetur in Thalmud tract. caput anni. Ex quibus colligitur præceptum Sabbati esse cæremoniale; quia, Deo etiam volente; aliquando non obseruabatur; quod ita non

foret,

foret, si esset præceptum morale; quod nunquam sine graui offensa Dei violatur.

27. Vnde Moyses bis facit mentionem de præcepto Sabbati prima vice in c.20. Ex.11. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eum. Honora patrem tuum, & matrem tuam &c.* Et tunc ponit hoc Sabbati præceptum inter moralia, de quibus loquitur in eo capite 20. Et solùm requirit ibi Deus, vt recordentur illius diei ob memoriam Dei Creatoris ibid.vers.8. *Memento, vt diem Sabbati sanctifices*. Et non ponitur ibi, vt recordentur de liberatione ab Ægypto. Secunda vice in Deuteronom.cap.5.vers.15. *Memento, quòd & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento; idcirco præcepit tibi, vt obseruares diem Sabbati*. Vbi vides obseruationem Sabbati præcipi propter duas causas. Primam: ob memoriam creationis mundi; & hîc solùm requirit, vt recordemur illius diei, vt sit in nobis viva semper memoria nostri Creatoris; & hoc faciunt semper Christiani, dum in Symbolo Fidei dicunt, credo in Deum Patrem Creatorem cœli, & terræ. Secundam, vt recordentur diei, quo egressi sunt de Ægypto: & ibi præcipitur vacare ab opere seruili: cùm verò Deus dixerit per Ieremiam Prophetam, vt post aduentum Messiæ non fiat memoria exitus de Ægypto, in supra citato cap. 23. prout supra in cap.4. vidimus; restat, vt sit peccatum obseruare eo modo Sabbatum: ne inde inferatur nondum venisse Messiam: & ideo Ecclesia Sancto Spiritu illuminata sumpsit diem Dominicam, in qua abstinendo ab opere seruili Deo vacemus, & recordemur tum creationis mundi, tum Sanctissimæ Resurrectionis Christi, vt intelligatur iam venisse Messiam: Diabolus verò instigat Hebræos, vt obseruent Sabbatum cæremoniâ Mosaicâ; Circumcisionem, & alias cæremonias; vt illos inducat ad non credendum Messiam iam venisse, & in æternum damnentur.

28. Hoc

28. Hoc facit Diabolus decipiendo miseros Hebræos; Deus autem è contrario voluit, vt post aduentum Messiæ Sabbatum eo cæremoniali modo minimè obseruaretur: vt habet Isaias cap. 1. vers. 13. dicens. *Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram; iniqui sunt cætus vestri, &c.* Sed Hebræi potiùs diabolo volunt credere, vt in æternum damnentur, quàm Deo vera, & salutaria dicenti, vt salutem æternam consequantur.

29. Ex dictis facilè est respondere Hebræorum argumento contra nos facto, quòd Dominicam obseruemus, & non Sabbatum: nam quòd non liceat Sabbatum, eo modo, quo ipsi obseruant, obseruare, iam patet ex dictis; quòd verò sit conueniens obseruare Dominicam, patebit ex dicendis. Primo: quia præceptum Sabbati, vt dictum est, partim est morale, in quantum requiritur, quòd vnam diem Deo consecremus, quæcunque illa sit, & sic Ecclesia Christiana, in qualibet septimana Dominicam diem Deo solemniter deuouet; partim est cæremoniale, in quantum est memoria egressionis ex Ægypto; & hoc modo illud obseruare est post aduentum Messiæ prohibitum à lege, vt iam probatum est. Secundò: quia sicut populus Iudaicus fuit in Ægypto peregrinus, & manu Dei eductus ad terram promissionis, vt à laboribus duræ captiuitatis requiesceret: sic Messias peregrinus fuit in hoc mundo, & ab illo in die Resurrectionis manu Dei forti eductus fuit in veram terram promissionis, scilicet, patriam cælestem, iuxta illud. *Ego exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*; Et vt etiam à laboribus, acerbissimisque huius exilij molestijs requiesceret, iuxta illud: *Surge Domine in requiem tuam*. Vnde sicut Sabbatum Domino sanctificabatur, in memoriam, quòd & Deus ab opere creationis cessauerat, & ipsi ab opere seruili in Ægypto requieuerant, & ab illa captiuitate emerserant: ita Dominica debet Domino sanctificari, (& ideo dies Dominica appellatur) quia in illa Christus resurgens cessauit ab opere Redemptoris, à laboribus molestissimæ, & acerbissimæ seruitu-

uitutis pro nobis vltro susceptæ; si Sabbatum, in quo perfecit Dominus opus creationis, Domino debetur; Dominica, in qua perfecit multò excellentius opus Redemptionis, cur Domino non debeatur? Lex vetus cum Sabbato sepulta est; lex noua, Christo in Dominica resurgente, surrexit, & dies ista fuit, quam sibi fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea: & Hebræi, si nolint in tenebris delitescere, & cum sepulchrali Sabbato tumulari; surgant ad clarissimam Ecclesiæ Auroram, vt solem iustitiæ Christum intueantur; æternæque damnationis mortem feliciter deuitabunt: sin minùs, in peccato suo morientur.

30. Ex tota hac doctrina colliguntur tres veritates. Prima: præcepta omnia cæremonialia per legem nouam esse reuocata; & non solùm legem cæremonialem mortuam esse, sed mortiferam, idest, est peccatum illam obseruare. Secunda: quando dicitur in scriptura, quòd leges illæ cæremoniales obseruentur in æternum; vocem, *in æternum*, semper intelligi, vsque ad tempus Messiæ; in quo secundùm Prophetas illæ reuocandæ erant: sicut quando à Rege lex aliqua statuitur perpetua, semper intelligitur, vsque ad tempus; in quo illa reuocanda sit. Tertia: Sabbatum modo Mosaico celebrari, esse peccatum mortale; & loco Sabbati, Dominicam esse celebrandam; tum ne per cæremonias Sabbati insinuetur nondum venisse Messiam: dum secundùm Prophetas non erant obseruandæ post aduentum Messiæ: tum vt per Dominicam recordemur illum iam venisse, & Redemptionem consummasse.

CAPVT SEXTVM.

Proponitur sextum dubium, & dissoluitur.

31. ARguunt Hebræi; quando venerit Messias, Magnus Rex Gog, & Magog, id est, gentes sequẽtes Gog, surgent cum innumerabili exercitu hominum, qui nascentur, & erunt staturæ vnius tantùm cubiti; bel-

tamque inferet acerbissimum Hierosolymæ: Messias verò istum Regem Gog interficiet vel vno oris flatu, & in tempore isto restituet 10. tribus Israel, quæ disiunctæ fuerant à duabus tribubus Iudæ, & Beniamin; & hoc colligunt ex Propheta Ezechiel cap.38. Sed quando venit Christus Iesus nullum in terris,& maximè in Ierusalem erat bellum: nec Christus Regem Gog interfecit: ergo Messias nondum venit; sed veniet, quando hæc Prophetia fuerit impleta.

32. Hoc argumentum Iudæorum vanissimum quidem est. Et in primis falsissimum est, quòd de nouo nascatur gens illa hominum staturæ tam paruæ, vt non excedat mensuram vnius cubiti: hoc enim illorum somnium inter cæteras fabulas, quas ipsi quidem fingunt, ridiculas connumerari potest; maximè, quia constat, etiam ex illorum Rabbinis, qualis sit gens illa, & ex quibus Regionibus, & Nationibus congreganda sit. Dico igitur gentem illam appellatam Magog, non esse incognitam, & quæ de nouo sit nascitura: ob id, quod in Sacra Scriptura reperitur in cap. 10. Geneseos: vbi dicitur Magog secundum fuisse filium Iapheth filij Noë: ex quo Magog descendit gens illa ex patris nomine sic appellata, quæ hodie dicuntur esse Scythæ; & Dauid Rabbi Chimchim in hunc text. Ezechiel. cap.38. dicit hunc Regem Gog esse Regem illius gentis Magog; & futurum etiam Regem duarum aliarum nationum Mesileph, & Tubal, vt dicit idem Propheta; quæ nationes hodie sunt Moscouitæ, & Tiberi, non Iberi Hispani, sed illi, ex quibus aliqui in Hispaniæ partem deuenerunt, ex suoque nomine Hiberiam appellarunt; & verè Tiberi illi sunt prope Moscouiam. Docet item prædictus Rabbinus huic Regi Gog aggregandas esse alias nationes, de quibus hic Propheta facit mentionem, scilicet, Paras, idest, Persianos, Cus, idest, Æthyopes, Put, idest, Gotos, Gomer, idest, Galatas, Togarma, idest, Turcas, & cum his venient Tarsis, idest, Africa, Sceba, & Dedan gens intra Æthyopiam, vel secundùm aliorum opinionem, gens Arabiæ felicis: omnes

hæ

hæ nationes sunt notæ, & corporis staturæ ordinariæ: ergo ratione etiam suorum Rabbinorum, falsum, & ridiculum dicunt illi Hebræi, illam gentem futuram esse incognitam, & illius ridiculæ staturæ.

33. Vt hoc meliùs intelligas, aduerte omnem illam gentem secuturam Regem Gog, originem trahere à Noë, vt constat ex cit.cap. 10.Genes. Nam Magog post diluuium filius fuit secundus Iapheth: Tubal eiusdem fuit filius quintus: Cus fuit filius primus Cham; Gomer fuit filius primus Iapheth. Togarma fuit filius tertius Gomer. Tarsis fuit filius Iauan filij quarti Iapheth. Dedan fuit filius secundus Ragma filij Cus filij primi Cham. Soba fuit primus filius Ragma. Igitur secundùm etiam ipsos Rabbinos, iste Rex Gog congregabit ad se has vndecim nationes à prædictis filijs Noë originem trahentes, scilicet, Moscouitas, Tiberos, Persas, Æthyopes, Gotos, Galatas, Turcas, Africanos, Idumæos, Tarsenses, Arabas; cum his nationibus sequacibus istius potentissimi Regis Gog inferet ipse fortissimum, & crudelissimum bellum toti orbi terrarum. Sed vt manifestè videas illud supra positum Hebræorum argumentum deductum ex Prophetia Ezechielis esse prorsus vanum, & nullius momenti; in duplici sensu potest illa prophetia sumi: primus sensus est mysticus; Secundus literalis. In primo sensu loquitur de nationibus infidelibus, quæ persequebantur nouā Ierusalem, id est, Ecclesiam Christianam, Diabolo duce, eosque instigante: illos verò Infideles, Gentiles, spiritualiter, vt sic dicam, Christus interfecit spiritu oris sui, id est, per suos Apostolos, qui sunt os Domini, iuxta illud: *non estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: atque vt sic populus gentilis fuit destructus, dum fuit ad fidem conuersus; & vt fieret ista conuersio, sæpiùs Deus eos puniuit, peste, fulminibus, morte, & clade multorum, destructione Ciuitatum, vt Romæ, & aliarum: huic sensui possunt applicari omnes prophetiæ, quæ de gentium conuersione loquuntur; vt supra vidimus. Quòd verò Sacra Scriptura sæpiùs intelligatur in sensu

mystico, res est omnino certa; & ipsi etiam Rabbini docent; vt cum communi suorum Rabbinorum asserit Rabbi Moyses de Ægypto in libro dicto *More*; qui author est apud Hebræos in maxima authoritate.

34. In hoc sensu mystico impleta est iam hodie prophetia: quia iam hæ gentes sunt ad fidem conuersæ, & gentilitas, seu idololatria certo quodammodo occisa spiritu oris Christi, seu per Apostolos in vniuersum Orbem missos; iuxta illud: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ &c.* Nec obstat primò, quòd Propheta dicat id euenturũ in nouissimis diebus: nam intelligitur in vltimis diebus in ordine ad primum Messiæ aduentum; prout alibi explicatum est ex ijsdem Prophetis. Nec obstat secundò, quòd Prophetæ alij dicant in primo aduentu Messiæ pacem tunc in toto orbe futuram, & nullo modo bellum illud cruentum, de quo hîc loquitur Ezechiel: nam sumptâ Prophetiâ in sensu mystico, etiam bellum illud sumendum est in sensu mystico, id est, bellum spirituale, quod & Diabolus fecit excitando persecutiones contra Ecclesiam, & Dominus illas repressit, fidem in gentes mirabiliter introducendo: & hoc bellum spirituale faciendum erat tempore primi aduentus, iuxta illud Christi Domini: *non veni pacem mittere, sed gladium*; quod totum potuit esse, & verè fuit, cum eo, quòd tunc in illo primo aduentu nulla materialia bella gererentur. Ergo ex illa prophetia in sensu mystico sumpta, malè inferunt Hebræi, non venisse iam Christum, cùm potiùs ex illa in sensu mystico sumpta constet verissimè iam venisse.

35. In sensu literali sumptâ prædictâ prophetiâ, per illum Regem Gog, & Magog intelligitur Antichristus: in hoc concordant nostri DD. Theologi, vt videre est apud Card. Bellarminum de summo Pontifice, & Corneliũ à Lapide in Ezechiel cap. 38. cum ipsis Rabbinis doctioribus. Ita Rabbi de Pomis Dauid nuncupatus in Dictionario Zemach Dauid; in quo exponit vocabula Hebraica, & alterius linguæ extraneæ, & ibid. verb. *Armillos*, dicit hunc Regem

Gog

Gog esse Armillos, & esse illum, qui à Christianis Antichristus appellatur. Adducet ergo Rex iste Gog Armillos, seu alio nomine Antichristus secum prædictas 11. nationes trahentes originem à prædictis filijs Noë; & licèt hodie habeat diuersa nomina, vt etiam diuersum nomen sit habiturus Rex ille; at satis fuit Prophetæ declarare nomen ab origine deductum, quamuis taceret ab arbitrio impositum, vt verificetur eius prophetia: sicut si quædã esset prophetia dicens quendã Regem Lusitanum missurũ esse Sacerdotes ad conuertendum Indos: dum postea Rex Emmanuel misit Sacerdotes in Indiam ad conuertendos illos Indos, verè intelligeretur impleta prophetia in Rege Emmanuele Lusitano; licèt Propheta solùm dixisset nomen originis, non impositionis. Præter illas 11. nationes Hebræi, sicut in alijs occasionibus, decepti hunc Regem tanquam suum Messiam sequentur; & ex varijs terrarum orbis partibus, vbi fuerint dispersi, ad illum hominem peccati adorandum alacriter concurrent, quasi iam ad optatum suæ vanissimæ Spei finem, vt falsò putabunt, feliciter obtinendum, & cum Cane suo canes contra Christianos adlatrabunt: ficta illius miracula tanquam vera alijs narrabunt, & vt suum Messiam indubitatè recipient: quod Christus Dominus prædixit Ioan. 5. vers. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Et deploranda lacrymis est istorum Hebræorum cæcitas; quòd miraculis credent fictis, qui non crediderant veris; recipient hominem peccatorem; qui non receperant iustum; adorabunt crudelem, quibus adorare noluerunt mitem: placebit iniquitas, quibus displicuerat sanctitas: non aduertendo Messiam prædici à Prophetis sanctum, iustum, Agnum innocentem, misericordem; & amplectentur iniquum, iniustum, immanem feram, crudelem bestiam, & hominem omnibus vitijs, & sceleribus coopertum.

36. Nunc ad argumentum ab Hebræis factum facillimè dissoluendum procedamus. Concedimus igitur in primo aduentu Messiæ non fuisse factum illud bellum atrocissi-

cissimum, nec tunc mundum turbatum bello fuisse, nec Regem Gog tunc fuisse à Messia occisum, si prophetia sumatur sensu literali. Imò si hoc eueniret in primo aduentu Messiæ, verè ille, qui tunc venisset, non esset verus Messias: quia Propheta Isaias cap.2. quod expresse est de Messia, vt ipsi Rabbini fatentur, dicit vers.4. quando primò venerit Messias, eo tempore in terris nullum gerendum esse bellum. *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur vltra ad prælium*. Si ergo illa prophetia Ezechielis intelligitur de primo aduentu Messiæ; vel opponitur contradictoriè prophetiæ Isaiæ; vel si primò venisset, quando bellum gereretur toto orbe atrocissimum, ille, qui tunc venisset, non esset verus Messias: igitur vt vtraque prophetia sit vera, debet prophetia Isaiæ intelligi de primo aduentu; & prophetia Ezechielis de secundo: constat autem, quando Christus apparuit in terris, nullum tunc esse bellum, nec fuit, nisi 40. annos post mortem, & sanctissimam passionem Christi Domini; & in secundo Christi aduentu constat ex scripturis priùs venturum esse Antichristum, & totum orbem prælijs disturbaturum, consequenterque non possunt negare Iudæi iam Christum venisse in primo aduentu; & venturum adhuc esse in aduentu secundo; sin minùs, duæ illæ prophetiæ apertè essent falsæ, & implicatoriæ.

37. Præterea Messias non prædicitur venturus in diebus Regis Gog; sed verè dies aduentus Messiæ erunt in vno tempore; & dies aduentus Regis Gog erunt in alio: quod fatentur etiam Rabbini in libro Berescith rabba, in expositione maiori Genesis, exponendo illum versiculum capitis 40. qui incipit num.11. *Calicemque Pharaonis in manu mea*, vbi allegat Psalmum 115. vers.13. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, & ait sic: *non est scriptum, Calicem salutaris* in numero singulari, *sed Calicem salutarium, in numero plurali; ad denotandum vnam esse salutem in diebus Messiæ, & alteram esse in diebus Regis Gog*,

ex

ex quibus verbis euincitur aliud esse tempus dierum Messiæ, & aliud diuersum dierum Regis Gog, nimirum tempus Gog erit certè in fine mundi, quod ipse Ezechiel expressit cap.38. vers.16. *Et ascendes super populum meum Israel quasi nubes, vt operias terram. In nouissimis diebus eris, & adducam te super terram meam, vt sciant gentes me, cùm sanctificatus fuero in te in oculis eorum, ò Gog*, id est, super Ecclesiam meam iniquè, & superbè dominari audebis, ò Gog; exercitus tuus terram operiet sicut nubes; in fine mundi venies; permittamque te venire in Iudæam terram meam, quam ego pedibus peragraui, & in qua vt homo meum habui natalitium: vt gentes tandem omnes credant in me, cùm in te occiso virtute mea me sanctum, & te deceptorem impium, & vanum diiudicabunt. Si igitur concedunt ipsi Rabbini Messiam venire debere in vno tempore, & Regem Gog in alio diuerso, stultum est Hebræorum argumentum: Christus Iesus non venit in tempore Regis Gog: ergo Christus Iesus non est ille verus Messias, qui fuit per Prophetas prædictus: potiùs sequitur oppositum sic. Verus Messias non veniet in tempore Regis Gog, vt dicunt scripturæ, & etiam vestri Rabbini: vos Hebræi speratis vestrum Messiam venturum in tempore Gog: ergo ille Messias, quem speratis, non est verus Messias: hæc argumentatio est vera; vestra prima argumentatio est apertè falsa, & optimæ rationi dissona; sed qui non habetis fidem, quasi iam vsum rationis non habetis.

38. Restat modò ostendere falsissimum illud esse, quòd dicunt decem tribus à Iudæa ob suam rebellionem olim eiectas, tempore illo Messiæ aduentûs, esse reducendas. Hoc illorum dictum manifestè est contra Sacram Scripturam; & contra ipsos etiam doctiores Rabbinos: nam tum Scriptura Sacra, tum Rabbini dicunt eas 10. Tribus non esse iterum reuocandas. Sic enim ait Propheta Oseas cap.1. vers.6. *Voca nomen eius absque misericordia: quia non addam vltra misereri domui Israel; sed obliuione obliuiscar eorum, & Domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo.*

suo: & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. Duo dicit Propheta. Primum: domum Israel, id est, omnes, qui erant 10. illæ Tribus, quæ à Domino defecerunt, & sunt etiam omnes illi Hebræi, qui Christum non acceptarunt, & adhuc in hac obstinatione contumaciter perseuerant, non esse ampliùs misericordiam consecuturos: Secundum: domum Iudæ, (quæ sunt illæ duæ Tribus Iudæ, & Beniamin, quæ à Domino non defecerat; & sunt etiam omnes, qui Messiam acceptarunt, & ex quibus Christiana conflata est Ecclesia) consecuturam esse à Deo misericordiam, id est, solùm in Ecclesia Christiana æternam salutem esse consequendam; vnde omnes, qui Christo non adhæserint, ad illas 10. Tribus reprobatas pertinebunt; omnes autem, qui adhæserint Christianæ Religioni, ad illas duas electorum tribus spectabunt, & præcepta Christi seruando, sine dubio saluabuntur. Ista est vera intelligentia huius prophetiæ apud nostros Theologos, vt videre est apud Cornelium in expositione huius prophetiæ, & etiam apud Hebræorum Rabbinos, vt mox videbimus: vnde iuxta hanc interpretationem, reduci Tribus Israel, est conuerti ad Dominum: si illi verò Hebræi significati per 10. Tribus reprobatas, vsque ad finem mundi non conuertentur, vsque ad finem mundi non reducentur: atque adeò erunt ipsi absque misericordia, & verificatur in eis prophetia: *Voca nomen eius, absque misericordia; quia non addam vltra misereri Domui Israel.* Et ita 10. illas Tribus non redituras dicunt Rabbini in libro Ialcut in Deuteron. cap. 29. exponendo versic. 28. *Et eiecit eos de terra sua, in ira, & in furore.* Vbi sic dicitur: *Illæ 10. Tribus non sunt rediture vltra, vt dictum est, & eiecit eos de terra sua. Sicut enim hic dies istius anni, qui præterijt, non iterum redibit; ita illæ Tribus non ampliùs redibunt;* & in Thalmud in tractatu Sanhedrin cap. Chelec sic legitur: *Illæ 10. Tribus,* non ampliùs sunt rediture in Ierusalem, vt scriptum est in Deuteronomij cap. 29. Dixerunt nostri Rabbini. *Decem Tribus partem non habebunt in sæculo futuro,*

dum

dum dixit. Eiecit eos de terra sua; vult dicere, ex hoc mundo. Et dum dixit: Proieci eos in terram alienam; vult dicere, ex sæculo futuro. Hactenus hi Rabbini; ex quibus patet eas 10. Tribus non solùm non esse redituras in Hierusalem; sed neque in Paradiso partem esse habituras: quod sanè intelligendum est, dum ad fidem Christi Saluatoris nostri non conuertentur.

39. Procedit vlteriùs prophetia vers.7. *Et Domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo*: id est, duæ illæ Tribus, scil. duæ illæ partes, quæ Domino adhæserunt, meam consequentur misericordiam, id est, gratiam efficacem ad credendum in Messiam; & salutem æternæ gloriæ, quam illis dabo, & eos saluabo: *In Domino Deo suo*, id est, per merita Christi; quem Dominum Deum suum agnouere: vnde patet 10. Tribus Israel, quæ reprobatæ sunt, suâ culpâ, & rebellione, esse illos, qui in Christum non credunt; quæ quidem, nisi priùs credant, non sunt rediture: & cùm semper persistent in sua incredulitate vsque ad finem mundi, meritò dicuntur non esse rediture, nisi in fine mundi, quando apertis iam oculis, Christum recognoscent suum Redemptorem: duæ verò Tribus, scil. Iudæ, & Beniamin sunt omnes illi, qui Domum Iudæ sunt sequuti; id est, qui Christum Messiam sanctum, & benedictum ex Tribu Iuda secundùm carnem prognatum fide, & charitate sequuti sunt.

40. Sed dicent Hebræi hanc prophetiam loqui de 10. Tribubus nõ probari: nam solùm loquitur de domo Israel, non nominando Tribus. Resp. verum quidem esse, non nominari ibi expressè 10. Tribus; sed dum discernitur inter domum Israel, & inter domum Iudæ, per domum Israel intelliguntur 10. Tribus, reprobatæ; & per domum Iudæ intelliguntur duæ aliæ Tribus Iudæ, & Beniamin electæ. Vt hoc planè intelligas, aduerte ad id, quod legitur in lib. 3. Regum cap. 12. Vbi dicitur in tempore Roboam Salomonis filio Regni diuisionem fuisse factam; & Regi Roboam adhæsisse Tribum Iudæ, & Beniamin; & reliquæ 10.

Tribus, ſe à domo Dauid per rebellionem ſeparando, Ieroboam Nebat filium conſtituerunt Regem; & exinde 10. Tribus domus Iſrael fuerunt appellatæ; aliæ verò duæ Tribus dictæ ſunt nomine Iudæ. Conſtat ex cit.cap. verſ.20. *Cùm audiſſet omnis Iſrael, quòd reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt, & vocauerunt eum congregato cætu, & conſtituerunt eum Regem ſuper omnem Iſrael; nec ſequutus eſt quiſquam domum Dauid præter Tribum Iuda ſolam. Venit autem Roboam Ieruſalem, & congregauit vniuerſam domum Iuda, & Tribum Beniamin centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, vt pugnarent contra domum Iſrael.* Ex quo manifeſtum eſt: quòd ex eo tempore ſub nomine Iſrael intelligebantur 10. Tribus rebelles domui Dauid; & ſub nomine Iuda, intelligebantur duæ Tribus Iudæ, & Beniamin. Igitur, quando Propheta Hoſeas in cit.cap.1. verſ. 6. dixit: *Non addam vltra miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum; & domui Dauid miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo*: per domum Iſrael intellexit 10. Tribus; & per domum Dauid intellexit alias duas Tribus, ſcil. Iudæ, & Beniamin.

41. Ex his manent manifeſtè probatæ tres falſitates in propoſito dubio Hebræorum. 1. falſitas, qua dicebant Meſſiam debere venire eo tempore, quo Rex Gog, & Magog atrocia bella gererent in terris; cùm tamen, ſi prophetia ſumatur in ſenſu myſtico, intelligenda ſit de bello cum Diabolo inſtigante Reges terræ contra Meſſiam, ſuoſque fideles Chriſtianos; quæ prophetia vt ſic iam eſt impleta: ſi verò ſumatur prophetia in ſenſu literali, intelligenda ſit de ſecundo aduentu, & non de primo; & vt ſic per Gog intelligendus ſit Antichriſtus, qui in vltimis diebus mundi ſurget bellator atrociſſimus; & poſtea virtute Dei occidetur in Iudæa; & cognoſcetur, vt deceptor, & Pſeudo-Chriſtus ab omnibus, & Chriſtus IESVS cognoſcetur etiam à Iudæis, vt verus Meſſias; qui poſt aliquod tempus. 2. veniet ad iudicandum, qui primò venerat ad ſaluandum. 2. falſitas, qua dicebant gentes Regem Gog ſe-

quen-

quentes fore gentes incognitas, ſtaturæ illius ridiculæ vnius cubiti; cùm ex ſcriptura, & ex ipſis Rabbinis probatum maneat gentes illas futuras eſſe cognitas, ideſt, vndecim illas Nationes à filijs Noe originem trahentes. 3. falſitas, qua dicebant 10. Tribus Iſrael fore redituras in Ieruſalem; miſericordiamque conſecuturas; cùm tamen iam ſit oſtenſum tum ex Sacra Scriptura, tum ex Rabbinis, Tribus illas non eſſe iterum reuerſuras, niſi in fine mundi, quando apertis ipſorum oculis credent in Chriſtum IESVM filium Beatiſſimæ Virginis MARIÆ; quamdiu verò fidem Chriſti non amplectentur, erunt ſemper in ſtatu æternæ damnationis.

CAPVT SEPTIMVM.

Proponitur tertium dubium, ſeu argumentum Hebræorum contra Chriſtianos deductum ex Ierem. cap. 23.

42. ARguunt deinde Iudæi ex Propheta Ierem. cap. 23. verſ. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex,* & *Sapiens erit; & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra: in diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter; & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Vbi dicit Propheta, quando venerit Meſſias, ſaluandum eſſe omnem Iſrael: ſed quando venit Chriſtus IESVS Iudæi non fuerunt ſalui; imò fuerunt eiecti extra Iudæam; & vſque ad hoc tempus in perpetuo ſunt exilio ab illa Regione: ergo Chriſtus non eſt ille Meſſias, per Prophetas prædictus; & conſequenter nondum venit Meſſias; quia hæc prophetia nondum eſt verificata. Hoc argumentum nullius eſt momenti, & deinde ſatis oſtendit imperitiam Hebræorum in Sacris Scripturis: nam certiſſimum quidem eſt vnam prophetiam alteri prophetiæ contradictoriè non opponi: cùm enim ex duabus contradictorijs altera neceſſariò ſit falſa; iam Deus, qui loquitur per Pro-

phetas, falſum diceret; quod non poteſt de Deo ſine graui blaſphemia dici.

43. Quòd verò prophetia illa Ieremiæ intellecta, vt illam volunt intelligere Iudæi, ſit contradictoria alteri prophetiæ, conſtat manifeſtè ex Propheta Iſaia cap.6.v.10. vbi ſic ait: *Excæca cor populi huius, & aures illius aggraua; & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Et interroganti Prophetæ, vſquequo duratura eſſet illa Hebræorum obſtinatio? Reſpondit Dominus, vſq; ad finem mundi eſſe duraturam; vt conſtat ex eodem textu verſ.11. *& dixi: Vſquequo Domine? & dixit, donec deſolentur Ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta.* Erunt igitur obſtinati vſque ad finem mundi; ſed quamdiu fuerint obſtinati non ſaluabuntur: ergo ſi prophetia Ieremiæ intelligitur, quòd in primo aduentu Chriſti omnes Iudæi ſint ſaluandi; falsò dixit Iſaias Iudæos, vniuerſaliter loquendo, vſque ad finem mundi ſaluandos non eſſe: ergo cùm vtraque prophetia ſit veriſſima, neceſſariò dicendum eſt prophetiam Ieremię intelligi de ſecundo aduentu in fine mundi, quando omnes Hebræi ad fidem conuertentur; & prophetiam Iſaiæ intelligi de primo aduentu, in quo Hebræi vniuerſaliter non ſunt conuerſi, & fuerunt, & adhuc ſunt obſtinati; quod etiam conſtat ex ſacra hiſtoria Euangelica Matth.13. v.14. Marci 4. v. 12. Lucæ 8. v.10. Ioan.12. n.40. Actor. 28. v.16. ad Rom.12.n.8. In quibus locis hæc Hebræorum cæcitas, & obſtinatio declaratur. Et hoc ipſum docent ipſimet Rabbini in lib. Rabboth ad cap.5. Numeri, exponendo 4.verſ. *Feceruntque ita filij Iſrael, & eiecerunt eos extra caſtra.* Vbi ſic dicitur: *Ita fecerunt filij Iſrael: quia in fine mundi conuertentur, & erunt redempti, vt ſcriptum eſt in* Iſaia cap.30. num. 15. *Si reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis. Et ſicut lepram, & fluxum ſanguinis patiens, & immundæ animæ homo, non mundabitur in æternum, quouſque mundæ aquæ non veniant: ſic Deus benedictus, vt eos mundet,*

det, mundas aquas super illos asperget, *vt scriptum est in* Ezechiel.cap.36. v.24. *Congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram vestram: & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hactenus Rabbinorum verba de Hebraico in Latinum fideliter translata: ex quibus verbis constat Hebræos vniuersaliter conuertendos non esse, nisi in fine mundi; quando iam apertis oculis baptismi salutares aquas susceperint.

44. Prædictæ prophetiæ Isaiæ in cit. cap. 6. conformis est altera prophetia Amos cap.5.v.1. *Audite verbum illud: quod ego leuo super vos planctum. Domus Israel cecidit; & non adijciet, vt resurgat. Virgo Israel proiecta est in terram suam; non est, qui suscitet eam*. Ex quibus verbis clarè eruitur Domum Israel, idest, Synagogam, omnino cecidisse, sicut Domus, quæ ruinâ destructa est: *Et non adijciet, vt resurgat*; idest, non erit reædificanda: in illaque ruina semper iacebit. Virgo Israel, idest, illa, quæ virginitate, idest, fidei puritate relucebat, proiecta est in terram; idest, iam amisit fidem veram; *Et non est, qui suscitet eam*; idest, non illam suscitabit lex Mosaica, quia iam est abrogata; non lex gratiæ; quia illam suâ culpâ non admittit; & sic in sua cæcitate persistet. Et solùm in fine mundi vniuersaliter suscitabitur; quando Christiana fide suscepta sacro fonte baptismatis abluetur; nam iam tunc erit, qui illam suscitet, nimirum lex ipsa gratiæ; in qua solùm æternæ vitæ salus per Christi merita reperitur. Vnde his duabus prophetijs Ieremiæ 23. & Isaiæ 6. in vero sensu explanatis manifestè apparet futilitas argumenti, quod Hebræi contra Christianos opponunt. Distinguendum enim est, de primo, & secundo aduentu: vt scil. in primo aduentu erunt obstinati, vt nunc videmus, & prædixit Isaias; in secundo aduentu, erunt conuersi ad fidem, vt dixit Ieremias.

45. Alio etiam modo explicari optimè potest prophetia Ieremiæ cit.cap.23. vt etiam intelligatur de primo aduentu, & fiat sensus: *Saluabitur Iuda, & Israel, &c.* idest,

in

in tempore illo, in quo primo aduenerit Messias: *Saluabitur Iuda, & Israel*, si illum acceptent; sicut multi ex Hebræis acceptarunt, & saluati sunt, vt omnes Apostoli, & discipuli à Christo electi ad prędicandum sacrum Euangelium; qui quàm plurimos Christo peperere tam ex plebe Iudaica, quàm ex Ecclesiasticis, & nobilibus; cùm tamen Deus illos in suo libero reliquerit arbitrio, si liberè nolent ipsum cognoscere, & recipere, manebunt in sua obstinatione; & sic adimplebitur alia prophetia eiusdem Isaiæ cap. 1. v. 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, ideſt, participabitis gratiam Sacrę Communionis, aliorumque Sacramentorum nouæ legis; quę bona spiritualia, ideoq; bona terræ dicuntur: quia hęc Sacramenta non in cœlo Angelis, sed in terra fidelibus communicantur. Et subiungit: *Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos*, ideſt, si nolueritis in me credere; & per hanc vestram incredulitatem me ad iustam iram incitaueritis: gladius damnationis ęternę vos deuorabit; quia os Domini locutum est; ideſt, quia nec etiam, quando, non iam Prophetę, sed ipse Dominus Prophetarum Christus IESVS ore proprio vobis prędicauit, voluistis credere: & vt illi crederent, idcirco Propheta in eadem prophetia Ieremię cap. 23. v. 5. ab ijsdem Hebręis allegata, illos monet, aduertant Messiam esse Deum dignissimum, vt ei credatur: *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum; Dominus iustus noster*: pręuidebat enim multos non esse credituros; & de istis ait in eadem prophetia v. 20. *Non reuertetur furor Domini, vsque dum faciat, & vsque dum compleat cogitationem cordis sui: in nouissimis diebus intelligetis consilium eius*. Id est, iustum supplicium Domini durabit vsque ad finem mundi; in quo tandem cognoscent, credentque doctrinam, & Euangelica consilia Domini, & Saluatoris nostri IESV Christi. Et in fine prophetię, sic ait: *Derelinquam vos, & Ciuitatem, quam dedi vobis, & Patribus vestris à facie mea; & dabo vos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ*

nun-

nunquam obliuione delebitur. Quis non videat hoc acerbissimum supplicium à Iudæis post Christi aduentum vbique terrarum miserrimè tolerari? Quis ignoret eorum opprobrium, & ignominiam? Ab omnibus vilipendi, contemnique? Sed hoc patiuntur supplicium: quia Filium Dei ad eos in carne missum non receperunt; sed vitæ authori mortem intulerunt.

46. Igitur Propheta, quando dixit tempore Messiæ Hebræos saluandos esse, intelligitur, saluandos esse eos, qui in eum crediderint, & conuersi fuerint ad veram Christi religionem: de illis autem, qui in illum non crediderint, ait Propheta esse damnandos: malè ergo allegant Iudæi hanc prophetiam contra Christianos; cùm tota contra ipsos retorqueatur: siquidem omnes poterant, si voluissent, saluari; & dum noluerunt salutem, suâ culpâ derelicti sunt, suaque obstinatione damnati: vt bene Isaias prædixerat cap. 59. *Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat; neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat: sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret*: & rationem assignat Propheta: *Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine*, idest, Christi; quem occidistis; & adhuc affectu occiditis, dum à Patribus vestris occisum fuisse gaudetis: & ideo vobis non concedit misericordiam, & veniam, quia à culpa non receditis; solùm ij, qui superfuerint ex vobis in fine mundi salui erunt; quia in fine mundi credent in authorem salutis; vt Propheta Isaias prędixit cap. 10, v. 21. *Reliquiæ conuertentur, Reliquiæ inquam Iacob ad Deum fortem*, idest, ad Christum Messiam, quem paulò ante Propheta idem Deum fortem appellauerat c. 9. v. 6. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis &c. & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis*. Vnde si reliquiæ conuertentur in fine prope secundum aduentum; signum est manifestum, noluisse Prophetam dicere in prædicta prophetia fuisse omnes saluandos in primo.

47. Et

47. Et quod ad Messiam, quem reprobauerant, sint in fine mundi redituri, & illum quærent, agnoscentque Regem suum, & Dauidem suum; & ad illum pauebunt reuerentes, clarissimis verbis prædixit Propheta Oseas cap. 3. vers. 3. *Dies multos expectabis me: non fornicaberis*, idest, non adorabis idola: *Et non eris viro*; idest, Sponso Christo non adhærebis: *Sed & ego expectabo te*; idest, expectabo tuam conuersionem. Et subiungit: quasi explicando idem verbis clarioribus: *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine Teraphim: & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum: & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Quis non videt hanc prophetiam iam esse impletam: nam Hebræi adhuc expectant Messiam; non adorant Idola: & Messias, qui venit, estque in cœlo, expectat illorum conuersionem: ipsi non habent Pontificem summum, qui est sponsus: sunt sine Rege, & sine Principe, vt omnibus est manifestum; sunt sine sacrificio; quia illud extra Ierusalem celebrare illis à lege prohibitum est; vt supra iam diximus: tandem post hæc quærent in fine mundi Dominum Deum suum Christum IESVM; & si in terra quærent; iam ille venerat; nam non quæritur ille, qui nondum venit; pauebunt, idest, iam illum adorabunt, sed in nouissimo dierum. Idem dicit Ezechiel. 34. num. 23. & sequentibus.

48. Hebræi respondent, si Propheta diceret: quærent Deum suum, & Messiam suum; tunc nullam ipsi obiectionem opponerent, & se conuictos textu illo faterentur; at textus Sacer non dicit, Messiam, sed Regem Dauid: ergo prophetia, non loquitur de Messia, sed de Rege Dauid. Hæc tamen responsio friuola, & vana omnino est: 1. quia Propheta dicit Hebræos in fine mundi quæsituros esse Regem suum Dauid viuum, & qui eos regat, ac benedicat, & redimat; Dauid tot millibus annorum iam mortuus ab illis quæretur? & ipsi ab illo in puluerem conuerso regentur?

tur? Secundò, quia Propheta loquitur de Rege illorum omnium, & ipsius Dauid Redemptore, & saluatore mundi; qui etiam per Prophetas dicitur Dauid:& ipsi etiam Hebræorum Rabbini vocant Messiam, Dauid, vt videre est in libro, Midras Misle; vbi dicitur Messiam præter alia nomina, quibus ipse vocatur, vocari etiam Dauid; & ibi citantur loca Sacræ Scripturæ: quibus id optimè probant: ergo non est dubitandum loqui illic Prophetam de Messia: & consequenter Hebræos omnino esse deceptos, & in statu æternæ damnationis, si Christum Iesum verum Messiam non amplectantur: nec de sua obstinatione vllam excusationem habere posse.

CAPVT OCTAVVM.

Proponitur, ac dissoluitur octauum Hebræorum dubium contra Christianos.

49. ARgumentantur Hebræi 8. ex Psalmo 88. versic.30. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.* Et ex Isaia c.53. vers.10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* In quibus textibus dicitur Messiam habere debere plures filios; & debere viuere plurimos annos: sed Christus Iesus nullos habuit filios, nec per multum vixit tempus: nam quando occisus fuit habuerat solùm 33. ætatis suæ annos. Igitur ille Messias non est. Hoc argumentum ostendit Hebræos prorsus esse carnales, & minimè intelligere Prophetarum sensum: qui non de semine carnali, sed spirituali; non de carnalibus filijs, sed de spiritualibus loquuntur; quod manifestè ex ipsamet allegata scriptura liquidò constat. Nam supra demonstratum manet ex Prophetis Christum esse Deum; quod, vt ibi vidimus, doctiores Rabbini asserunt; Deus verò non generat carnaliter, vt ipsi etiam crassiores Hebræi non inficiantur: si verò sumatur Messias, vt etiam verè est homo; etiam ex eisdem prophetijs

conuincitur non habiturum filios carnales: nam Propheta dicit priùs esse moriturum Messiam pro peccatis hominum, & postea habiturum illos filios; *Si posuerit pro peccato animam suam*, id est, si morietur, *videbit semen longæuum*: potest ne homo post mortem carnales filios progignere? Quare verus sensus illius Sacræ Scripturæ est, quòd Messias habiturus esset plures filios spirituales, vt fuerunt primi Apostoli, & omnes alij Christiani; qui per Christum ex Sacro Baptismo spiritualiter generantur, & omnes per filiationem adoptiuam gratiæ iustificantur, ac à Deo generantur spiritualiter; vt bene sacer Euangelista Ioan.cap.1. declarauit. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Et ideo Isaias cap.54.num.3.dixit: *Et semen tuum gentes hæreditabit*, id est, filij tui, quales sunt Christiani multas quidem gentes, nationesque possidebunt, quas ipsi ad sanctam Christi Religionem conuertent: & subiungit idem Propheta num.13. *Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis*, id est, ò Ecclesia, filij tui vniversi docti erunt à Deo, id est, Christo, qui Deus est: & ipse primò docuit spirituales filios Apostolos, sanctamque Ecclesiam: imò omnes fideles Christi sunt filij, vt dicitur Deuteronomij cap.14. num.1. *Filij estote Domini Dei vestri*. Præterea Sacra Scriptura discipulos vocat filios, vt constat ex 4.Reg.cap.2. num.3. *Egressi sunt filij Prophetarum, qui erant in Bethel*. Vbi Rabbi Dauid Chimchim in lib.Radicum verborum in Radice Bana, vbi refert authoritatem suorum Doctorum, sic dicit: *Isti filij erant discipuli Prophetarum, qui suos discipulos tanquam filios habent: & sic dixerunt nostri Rabbini, quicunque proximum suum legem docet, Sacra Scriptura æstimat illius discipulum*, atque si ab illo magistro esset generatus. Igitur quod Prophetæ dicunt Messiam videre debere semen suum longæuum, per semen intelligunt discipulos Messiæ, & multitudinem gentium, quæ ad fidem erant conuertendæ; & non loquuntur de filijs per carnalem generationem, vt stultè Iudæi fabulantur.

tur. Hoc etiam confirmat Psal.86. vbi enim nostra vulgata dicit: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthyopum hi fuerunt illic*, textus Hebraicus habet: *Ecce Palæstina, Tyrus, & Æthyopia hic nati sunt*: Quasi vellet dicere omnes illos populos ab Ecclesia fuisse spiritualiter generatos, & à fortiori à Christo, qui caput est vniuersalis Ecclesiæ.

50. Hæc est vera intelligentia illorum textuum; illa verò, quam Hebræi prætendunt, stulta, fabulosa, ridicula, & alijs Sacræ Scripturæ textibus de Messia loquentibus omnino repugnans: nam quo ad prophetiam Dauid in dict.Psal.86.*In sæculum sæculi semen eius*, vel per semen in æternum durans intelligere volunt, quòd in Regno Israel ex illo Rege Messia continuatur semper temporalium Regum successio; & hoc est manifesta hæresis, contra apertam prophetiam Oseæ, aliorumque Prophetarum dicentium Israel post aduentum Messiæ futurum esse sine Rege, & sacrificio, vt manifestè ostensum est in capite præcedenti; & si contra hoc diceret Dauid; eius prophetia esset omnino falsa; quia nunc nostris oculis videmus à tempore Christi Domini, transactis iam plùs mille, & sexcentis annis nullam esse Iudæorum Regum successionem, nullum principatum. Vel tandem per semen illud intelligunt successionem fidelium descendentium à Christo in fide eius, & hæc successio continuabitur in sæculum sæculi; si hoc concedunt (vt necessariò debent concedere; quia non datur alia successio, quàm hæc duplex) iam consentiunt nobiscum, quia hoc modo semen est spirituale, & filij in hoc sensu spirituales sunt, non carnales, & solùm in hoc sensu debere intelligi Christi veri Messiæ filios, & semen illius longæuum, intellexere sacri illi Antistites Ecclesiæ Antesignani Apostoli: nam D.Petrus epist. 1 cap.2.num.23. ita ait: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.* Et Paulus ad Rom.9.num.8. *Non, qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.*

51. Quo ad prophetiam Isaiæ in dict.cap.53. *Si posuerit*

animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum. Si intelligitur de ſemine carnali, dicant Hebræi; vel intelligunt de ſemine carnali, & de filijs carnalibus ante mortem Meſſiæ habitis; vel habitis poſt mortem illius. Si primum, itur contra apertas ſcripturas, in quibus dicitur Meſſiæ filios, & Redemptos pro eodem haberi; Redemptio autem per mortem Chriſti operanda erat, vt dicunt prophetiæ ſupra adductæ, dum egimus de ſanctiſſima Chriſti paſſione ſecundùm ſcripturas: & deinde eſt contra ipſam prophetiam ab eiſdem Hebræis allegatam: *Si poſuerit animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, id eſt, poſt mortem ſuam erunt illi filij. Vel tandem de filijs habitis poſt mortem: & hoc vel ante reſurrectionem Meſſiæ, vel poſt reſurrectionem: non ante reſurrectionem, quia homo mortuus non generat carnaliter filios: non poſt reſurrectionem, per quam reſurgens ponitur in ſtatu glorioſo, vt ponendus erat Meſſias; vt dixit Propheta Iſaias cap. 11. *Et erit ſepulchrum eius glorioſum*; id eſt de ſepulchro reſurgens cum gloria; qui verò iam eſt in ſtatu glorioſo iam non generat carnaliter; vt ipſimet Hebræi confitentur: ergo Prophetæ in illis, & alijs prophetijs ſolùm loquebantur de ſemine ſpirituali per Verbum Dei, & de filijs ſpiritualibus ſanctiſſimi Meſſiæ; quos ipſe facit renaſci per Baptiſmum, & per gratiam ſanctificantem efficientem filiationem adoptiuam, per quam efficimur fideles filij Dei, & diuinæ conſortes naturæ. Taceant igitur fabuloſi Iudæi, & intelligant ſcripturas iuxta verum illarum ſenſum; credant, & ſaluabuntur; reddenturque filij Dei; ſin minùs, erunt filij perditionis; neque ab iſto infelici ſtatu emergent: nec ego ſpero, vt illi vniuerſaliter conuertantur, niſi ad finem mundi, prout Deus videns ab æterno multorum ex illis obſtinationem vſque ad finem mundi, id per ſuos Prophetas prædixit; vt ſupra demonſtratum eſt; ſed cùm etiam viderit multos eſſe conuertendos; velint potiùs in numero fidelium, quàm in numero illorum miſerabilium cæcorum infeliciter connumerari; animaſque ſuas propter

ſuam

ſuam cæcitatem, & obſtinationem perdere in æternis inferorum cruciatibus, cùm poſſent, ſalutari baptiſmo ſuſcepto, fructum Redemptionis adipiſci, æternaque frui felicitate.

CAPVT NONVM.

Proponitur, ac diſſoluitur nonum Hebræorum dubium.

52. ARguunt nonò Iudæi ex Propheta Zacharia cap.6.num.12. *Ecce vir Oriens nomen eius, & ſubter eum orietur, & ædificabit ſibi templum Domino: & ipſe extruet templum Domino, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo.* Hæc omnia prædicuntur de vero Meſſia, vt nullus dubitat: ſed hæc non ſunt verificata in Chriſto Ieſu; ſiquidem ille nullum templum ædificauit, nam primum templum à Salomone fuit ædificatum,& poſtea deſtructum: ſecundum templum reædificatum iam erat, quando Chriſtus Ieſus venit: deinde Chriſtus non ſedit in throno reali, nec in throno aliquo imperauit; imò fuit occiſus in patibulo; & per ludibrium fuit purpurâ ignominiosâ veſtitus, coronâ ſpineâ cruciatus; ſceptro arundineo illuſus, & cum opprobrio fictè adoratus, tanquam Rex ludibrij, & non verus: ergo Chriſtus Ieſus non eſt verus Meſſias: proindeque nondum venit Meſſias in mundum.

53. Hoc argumentum, ſi prophetia Zachariæ in vero ſenſu intelligatur, in ipſos Hebræos retorquetur, illoſque de ſua obſtinatione conuincit; nam in primis concedimus in hac prophetia ſermonem eſſe de Meſſia: negamus tamen, quòd non impleatur in Chriſto Ieſu: cùm illi competat omne id, quod Propheta dicit: quod probo euidentiſſimè. Chriſtus verè dicitur oriens; & ſubter eum oriens; per quod denotatur duas habere natiuitates; primâ,vt eſt Verbum Diuinum Patri conſubſtantiale; & oritur à Patre per actualem intellectionem, & ſic illi competit primum oriens,

oriens, iuxta illud Psal. *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Secundam, pro vt est homo; & est Filius Beatissimę Virginis Mariæ absque semine virili alicuius Patris creati; & ideo dicitur secundò oriens, *subter eum orietur*, id est, ex se, quia vt Deus ipse increatus cum Beatissima Virgine Maria se vt hominem produxit, & vt alij Prophetæ dicunt, sicut virgultum ex arbore, ita ille ex admirabili illa, & benedicta arbore Sanctissima Virgine Maria natus, iuxta illud: *De qua natus est Iesus*, & iuxta Symbolum Nycenũ: *Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est*. Vbi nota mirabilem reflexionem Prophetę bis ponentis oriens, prima vice: *Oriens nomen eius*; secunda, *subter eum orietur*. In prima posuit *oriens*, absolutè, præscindendo à temporis circunstantia; vt significaret ante omne tempus, ab æterno esse oriens, scil. ex Patre sine Matre, & Filium eiusdẽ numero naturæ cum Patre perfectissima generatione diuina, & consequenter idem Deus cum Patre; sicut suo modo homo generat hominem: in secunda posuit *oriens* iam sub circunstantia temporis, *orietur*; id est, oriens erit, scilicet nascetur.

56. Vt autem magis conuicti, confusique maneant Iudæi, & apertè videant templum illud, de quo loquitur Propheta, templum materiale esse non posse; illis ego hunc syllogismum indissolubilem appono: Deus dixit non futura esse in Ierusalem, nisi duo templa: sed si illud templum, quod isti Hebræi dicunt esse ædificandum, sic esset: certè foret tertium templum: ergo vel Deus mendax fuit; vel ipsi errant; Deus non potest esse mendax; quia est summa veritas; ergo ipsi vehementer errant. Tota plenè argumentatio est euidens, & irrefragabilis, si maior illa propositio comprobetur; scil. duo tantùm futura esse templa materialia, nimirum sub cultu Iudaico. Probatur igitur primò ex ipsismet Rabbinis, & in primis Rabbi Salomon sic exponit hanc prophetiam. *Oriens*, seu vt habet radix Hebraica, *germen est nomen eius*. Hoc tribuit Regi Messiæ. *Portabit gloriam*, id est, *dignitatem*, *inter duos*, scil. *Iudam*, *& Israel*;

& hoc

& hoc ædificium intelligi debet, de ædificio ſecundi templi. Supponebat ille Rabbinus ſolùm eſſe futurum ſecundum templum; & in hoc ſecundo venturum eſſe Meſſiam; vt verè Chriſtus venit tempore ſecundi templi. Hæc explicatio huius Rabbini partim attingit verum, & partim falſum: attingit verum; quia ſupponit duplex tantùm debere eſſe templum; & in templo ſecundo venturum eſſe Meſſiam, vt prędixit Propheta Malach.cap.3. *Dominus veniet ad templum ſanctum ſuum*. Et Chriſtus venit in hoc ſecundo templo. Dicit falſum, quia deceptus eſt, credendo hoc ſecundum templum debere ædificari ab ipſo Meſſia; contra id, quod alia dixit prophetia, nimirum, quòd Meſſias illud ſecundum templum inueniſſet iam ædificatum, id enim ſignificant verba; *Veniet ad ſanctum templum ſuum*. Quomodo enim primò veniret ad templum, ſi veniens non inueniſſet templum; ſed poſtea eſſet illud ædificandum?

57. Clariùs tamen probatur ſecundò non debere condi tertium templum, ex libro Berechith Rabba cap. 1. in Geneſ. vbi allegat Rabbi Chiia dixiſſe, primum templum ædificatum figurari in illis verbis; *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*: & per illa verba: *Terra autem erat inanis, & vacua*, figurari idem templum deſtructum, & ibi citat Ieremiam cap.4.num.23. *Aſpexit terram, & ecce vacua erat, & nihil*; id eſt, Ciuitatem Ieruſalem, & erat vaſtata, & in nihilum redacta; *& Cœlos, & non erat lux in eis*, id eſt, templum, & tabernacula, ſiue priuata oratoria, & iam non habebant decorem illum ſplendidum, imò omnia deuaſtata, & deſtructa; & per illa verba: *Dixit, fiat lux, & facta eſt lux*, figurari templum reædificatum, ſcil. in tempore Meſſiæ; & citat Iſaiam cap.60.num.1. *Surge, & illuminare Ieruſalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt*. Et ideo cæteri Prophetæ dicunt hoc ſecundum templum maiori luce illuſtrandum, non ædificij pompâ, ſed Meſſiæ aſſiſtentiâ; qui eſt & clariſſimum lumen, & incomparabilis gloria Ieruſalem. Ex quibus verbis duo tantùm templa eſſe colliguntur; primum, quod fuit deſtructum: ſecun-

ſecundum reædificatum, quod Meſſias ſanctiſſimus aduentu, & ſplendore luminis ſui decorauit. Idem legitur in eodem libro, in cap.27.Geneſ.exponendo verſiculum 27. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni*. Et in libro vocato Scimphoni exponendo verſiculum 17. Geneſis cap.28. *Quàm terribilis eſt locus iſte! non eſt hîc aliud, niſi domus Dei, & porta Cœli*. Dicitur figuratiuè intelligi templum vtrumque dicendo ſic: *per verba*: *Non eſt hîc aliud &c. vidit templum deſtructum; per verba: Domus Dei, & porta Cœli: cognouit templum reædificatum, & ornatum ad ſæculum futurum*, id eſt, *tempore Meſſiæ*. Ex quibus verbis declaratur ſolùm primum, & ſecundum templum eſſe debere, & non tertium; deinde in tempore ſecundi templi Meſſiam venire oportere; quod nos infra latiùs demonſtrabimus. Ergo neceſſariò inferendum eſt Meſſiam iam veniſſe, quia iam tranſactũ eſt ſecundum templum, in quo Meſſias eſſet venturus: & non eſt ædificandum tertium templum ſecundùm authoritatem etiam Rabbinorum; quorum ſententia pluris apud Hebræos æſtimatur.

58. Dicunt Hebræi primò illos Rabbinos illa colligere ex ſcriptura magis ſubtiliter, & figuratiuè, quàm literaliter, & verè. Quicquid tamen ſit de hac illorum ſubtilitate, & figuratiua, ſeu myſtica expoſitione; ſaltem negare non poſſunt Hebræi illos Rabbinos eſſe iſtius ſententiæ de duobus tantùm templis, & nullo modo de tertio ædificando. Sed, ne hoc etiam habeant effugium, aliam Rabbinorum authoritatem appono plùs literaliter loquentium, & qui plùs in veritate ſcripturæ innituntur: quæ authoritas veritatem hanc apertè demonſtrat. Igitur in libro Seder ghiolam, id eſt, Chronica mundi antiqui; libro certè antiquiſſimo, & ab Hebræis habito in ſumma authoritate, exponendo illum verſiculum 5.cap.30.Deuteronomij. *Aſſumet, atque introducet in terram, quam poſſederunt Patres tui, &c.* Sic dicitur: *Hæreditas prima*; id eſt, *Terra promiſſionis ab illis poſſidebitur*; item hæreditas ſecunda: *ſed tertiam hæreditatem non ampliùs poſſidebunt*. Vide quàm apertè dicat

non

non obtenturos tertiò Ierusalem, & consequenter non esse ædificandum tertium templum in illa.

59. Dicunt secundò: hoc tantùm probari authoritate Rabbinorum; se tamen non teneri authoribus, sed tantùm Sacræ Scripturæ credere. At neque hoc illis proderit effugium: nam multi sunt textus Sacræ Scripturæ hanc veritatem expressè probantes, quibus Hebræi credere tenentur Primus est Ieremi. cap.7. num.3. *Bonas facite vias vestras, & habitabo vobiscum in loco isto: Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Et postea num.11. subiungit. *Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.* Et paulò post: *Faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis, & Patribus vestris, sicut feci Silo, & proijciam vos à facie mea; sicut proieci omnes fratres vestros, vniuersum semen Ephraim: tu ergo noli orare pro populo hoc; nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.*

60. In hac prophetia plurima obserua. Primum id, quod Deus Hebræis ait, scil. *Si vias bonas faciant*; seu si præcepta diuina plenè obseruent, Messiamque recipiant, habitaturum Deum cum illis; vt nunc habitat cum fidelibus Christianis in Ecclesia. Secundum, vt non confidant, quòd futura sint tria templa: nam quòd ædificandum sit tertium templum, est manifestè falsum: solùm enim erunt duo; & cùm in secundo sit venturus Messias, est error, & mendacium, dicere, quòd nondum venit in secundo, sed expectandum esse, vt in tertio templo veniat. Tertium, quòd ideo videtur protulisse Propheta illa verba: *Nunquid ergo facta est domus mea spelunca latronum*, quia in spiritu vidit Dominum in templo, eijcientem Iudæos ex eodem templo, flagello ex funiculis aptato, dicentem: ego,

ego sum; *Domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum*: quod in Christo impletum est, quando Iudæos eiecit è templo, vt refert Ioan.2. num.15. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit è templo.* Et Matth.21.12. *Eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo; & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Idem affert Marc.11. num.17. & Luc.19. num.46. in quo facto ostendit Dominus, se reprobare Iudæos, illosque punire velle; illorum supplicium, & flagellum esse ipsa funicula, id est, peccata; quia non potest acerbius esse supplicium, quàm illos esse in perpetua suimet peccati, & infidelitatis obstinatione.

61. Quartum obserua: in eadem prophetia Deus illos monet, vt attendant ad Silo, in quo antea erat arca Dei; & propter peccata Arcam ex eo loco sustulit; & nunquam eidem loco illam restituit; vt constat ex Psal. 77. num. 60. *Et repulit tabernaculum Silo tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus*; sic etiam ipsum Deum eos esse priuaturum templo, & hæreditate terræ promissionis; vt non iterum templum sit reædificandum, nec ipsi iterum ad terram illam promissionis, id est, Iudæam vsque ad finem mundi sint redituri. Et similiter ait eiecturum se illos, sicut eiecit, 10. Tribus: vnde sicut ipsæ non redierunt, nec vnquam sunt redituræ: sic nec ipsi Iudæi, qui post secundum templum destructum sunt reiecti à Ierusalem, iterum Ierusalem sunt redituri: quomodo ergo erit tertium templum ædificandum Ierusalem; si nunquam iuxta hanc prophetiam sunt Ierusalem redituri? & ideo Pater Æternus dicit Filio suo in figura Prophetæ, ne oret efficaciter pro illis, quia non exaudietur: & sic Christus inefficaciter tantū rogauit in cruce pro illis, dicens: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*; si enim vellet efficaciter orare pro illis, obsisteret Patri; & ideo dixit, *ne obsistas mihi*. Et quasi nostris manibus palpamus, nostrisque oculis videmus tran-

factis iam plùs mille ſexcentis annis, à Ieruſalem *illos* eſſe eiectos. Igitur ex iſta prophetia Ierem. in d. cap. 7. manifeſtè patet non eſſe ampliùs tertium templum materiale reædificandum, ſub rituque Iudaico colendum.

62. Secundus textus eſt eiuſdem Ieremiæ cap. 3. nu. 16. *In diebus illis, ait Dominus: non dicent vltra: Arca teſtamenti Domini: neque aſcendet ſuper cor; neque recordabuntur illius, nec viſitabitur, nec fiet vltra.* In quibus dicitur poſt aduentum Meſſiæ ceſſaturas eſſe cæremonias omnes ſpectantes ad Arcam Teſtamenti, non eſſe de illa memoriam faciendam, nec ampliùs eam eſſe viſitandam; & optimè ſciunt Hebræi Arcam Teſtamenti rem eſſe templi præcipuam. Si non futura erat Arca fœderis ampliùs, nec vtique futurum erat ampliùs templum poſt aduentum Meſſiæ; dum enim tunc incipiendum erat per Meſſiam nouum fædus; erat Arca finienda fæderis antiqui; templumque ſub ritu Iudaico minimè condendum. Et ideo dixerat num. 14. *Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus, quia ego vir veſter.* Ideſt; ego non iam ſolùm ſponſus Deus; ſed ſponſus vir; iuxta illud: *Fœmina circumdabit virum*; ſponſus, inquam, veſter, vir per carnem aſſumptam, reuertentes à veſtra cæcitate conuertimini ad me Chriſtum, & Meſſiam veſtrum: *Aſſumam vos vnum de Ciuitate, & duos de cognatione; & introducam vos in Sion*; ideſt, paucos eligam efficaciter, & introducam in Eccleſiam nouam; ſicut in terram promiſſionis paucos introduxi. Et addit: *Et dabo vobis paſtores iuxta cor meum*, ideſt, Apoſtolos, & alios prædicatores: *Et paſcent vos in ſcientia, & doctrina*; ideſt, in doctrina fidei Chriſtianæ. Vnde manifeſtè patet poſt promulgatam Chriſti legem per Apoſtolos, nec iam Arcam, nec illud, in quo Arca erat, templum ſub ritu Iudaico reædificandum eſſe; & idcirco dicit Propheta: *In tempore illo vocabunt Ieruſalem ſolium Domini*, ideſt, Eccleſiam Chriſtianam: *Et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ieruſalem: & non ambulabunt poſt prauitatem cordis ſui peſſimi*, ideſt, poſt idololatriam.

triam. Et nota, dici de Iudæis vnum, aut duos, ideſt, paucos ad Chriſtum eſſe conuertendos: de Gentilibus autem omnes, vel ferè omnes; ſeu de omnibus gentibus plurimos ad Chriſtum conuertendos eſſe. Igitur clariſſimè loquitur Propheta in hac prophetia, quòd neque Arca, nec Iudaicum templum manſurum ſit poſt Chriſti aduentum: ſed in loco Arcæ, & Templi antiqui, nominanda ſit Eccleſia vt ſolium, & imperium Chriſti.

63. Tertius textus eſt Prophetæ Agæi. cap. 2. vbi loquendo de ſecundo templo, illud vocat vltimum; quod non diceret, ſi eſſet futurum aliud templum, quod eſſet tertium; ſed de hac prophetia inferiùs dicendum eſt copoſiùs; ideo hîc illam enucleatiùs non verſamus. Quartus textus eſt Iſaiæ cap. 25. n. 2. vbi loquens de ruina Ieruſalem, ita dicit: *Quia poſuiſti Ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non ſit Ciuitas; & in ſempiternum non ædificetur*. Ciuitatem, ideſt, Ieruſalem; deſtructam à Romanis poſt aduentum Chriſti, & in tumulum ſaxorum redactam, antea vrbem fortem; poſtea factam domum, ſiue palatium, aut habitaculum impiorum, ſeu infidelium, qui alieni ſunt à fide: itaut non ſit ampliùs ciuitas Iudæorum, nec in æternum ædificetur. Ecce expreſsè ait Deus non eſſe iterum ædificandam Ieruſalem, & conſequenter nec templum, quod iuxta Hebræos ſolùm in Ieruſalem poterat fundari: & iam eſt impleta hæc prophetia; quippe ſunt iam præteriti 1680. & plures anni, & non eſt ædificatum, nec in æternum ædificabitur, vt Deus per hunc Prophetam prædixit.

64. Ex his conſtat templum illud, quod ædificandum erat à Meſſia iuxta prophetiam Zachariæ in dict. cap. 6, contra nos ab Hebræis allegatam, non poſſe eſſe templum materiale; quia aliter eſſet tertium templum; quod, vt vidimus, repugnat Sacræ Scripturæ, & etiam ipſis Rabbinis: vnde ſolùm poteſt intelligi de Eccleſia, quam Chriſtus ædificauit ſupra firmam petram; ob quod non eſſet in perpetuum deſtruenda, iuxta illud: *Super hanc petram ædifica-*

bo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt aduersus eam: vel intelligi potest de omnibus templis in toto populo Christiano, quæ sunt veluti partes templi maioris, in Vrbe Roma Pontificia, & integrantes vnum fidelium vniuersale templum, vbi est Apostolica Sedes, verum in terris solium Christi; & ibi dicitur Messias Christus IESVS sedere per suos Vicarios, vt dixit Propheta: *Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit sibi templum Domino; & ipse extruet templum Domino; & ipse portabit gloriam; & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo*. Neque hoc templum à Messia ædificatum potest dici tertium templum eo modo, quo Hebræi falsò putabant, scilicet, ritu Mosaico, vt Sanctuarium Synagogæ; quia est sub ritu Christiano, & vt Sanctuarium Ecclesiæ Christianæ, quæ est noua, & cælestis Ierusalem, cuius illa terrestris erat tantùm figura, & vmbra; & sic oportebat euanescere, noua hac veniente Ecclesia; sicut adueniente luce, vmbra penitus euanescit.

65. Aliqui Hebræi videntes se his rationibus prorsus esse conuictos, si prædicta Zachariæ prophetia loquatur de Messia, vt verè loquitur, dicunt non loqui ibi Prophetam de Messia, sed de Zorobabel: vnde per Orientem accipiunt Zorobabelem, qui Babylone quasi mortuus; inde rediens, quasi oriri, & reflorescere cæpit, dum populi redeuntis factus est Princeps: vnde censent alteram coronam Zorobabeli à Zacharia fuisse impositam: sic ergo totum hunc versum ei applicant, & explicant: Zorobabel cum IESV Sacerdote, quasi nouum germen, nouusque populi Sol ædificabit templum Domino, & perficiet; alteramque coronam gestabit; quia ipse reget populum, quo ad res ciuiles; sicut IESV Sacerdos habebit coronam Pontificalem ad regendas res sacras: & inter hos duos, inquiunt hi Hebræi, puta inter Pontificem, & Principem erit consilium pacis, & summa concordia. Hæc tamen illorum explicatio vana, & prorsus falsa est: 1. quia Propheta hîc non facit vllam mentionem Zorobabelis, sed solùm de IESV Sa-

Sacerdote, vt antitypo, & figura IESV Christi summi, & ęterni Sacerdotis secundùm ordinem Melchisedech, coniungentis sceptrum Regis cum tiara Sacerdotis, iuxta illud Genes. 34. num. 18. *Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum: erat enim Sacerdos Dei Altissimi*. 2. quia vtraque corona, vel trina (iuxta vocem Hebraicam atarot, quæ significat numerum trium) imponebatur IESV Sacerdoti, vt typo Summi Pontificis Christi, & Vicarij illius Pontificis Romani, cui triplex imponitur corona. 3. quia nomen oriens in textu Hebraico scribitur per hoc nomen schemach, idest, germen, quod est nomen proprium Messiæ, vt alibi probatum est: & ideo textus Caldæus vertit: *Ecce vir, cuius nomen est Messias*: & sic intelligunt textum de Messia præter Rabbinos supra citatos, etiam alij plures apud Galatin. lib. 3. cap. 16. & nostri DD. Christiani apud Cornelium in hunc text. Zachar. c. 6. ex quibus etiam Lyranus, qui Hebræus fuit; & censet coronam illam duplicem, vel triplicem, vt aliqui explicant, à Zacharia IESV Sacerdoti figuratiuè imponi: *Quasi diceret. Hanc coronam impono tibi ò IESV fili Iodech, non propter te, sed propter Orientem*, idest, *Christum, vt scilicet eius typum geras, eiusque Sacerdotium, & Principatum repræsentes*. Non igitur loquebatur Propheta de Zorobabele, nec de tēplo secundo à Zorobabele fundato; nec de tertio sub ritu Mosaico; aliter esset falsa prophetia, vt iam probatum est: sed de templo Ecclesiæ à Messia fundando; vt vidimus fundatum esse super petram ipsius Messiæ Christi firmissimam, & super petram ipsius Vicarij Petri Apostoli. Vnde Caldæus vertit: *Oriens nomen eius; Christus nomen eius, qui reuelandus, & magnificandus, & ædificaturus templum Domini*.

66. Vnde non negamus, quando Zacharias illud diuinum oraculum protulit in capite illo 6. allusisse ad templum secundo reædificatum à Zorobabele, & à Sacerdote IESV filio Iodech, sed spiritus prophetiæ tendebat ad illum, cuius Sacerdos ille IESV, & Zorobabel erant typus, & figura: & ideo expressit in prophetia sua Sanctissimi Messiæ

siæ nomen, nimirum oriens, & germen; quasi præuidendo, quòd aliqui Hebræi erraturi essent sumendo vnum pro alio; ideoque omnes admonuit se de vero Messia loqui, qui simul est Rex, iuxta illud: *Ego autem constitutus sum Rex*; & Sacerdos æternus, iuxta illud: *Tu es Sacerdos in æternum*. Taceant ergo Iudæi, & veritati acquiescant, vt salutem æternam obtineant.

CAPVT DECIMVM.

Proponitur, & dissoluitur decimum Hebræorum dubium.

67. OPponunt Hebræi decimò. Quando venerit Messias, omnes Hebræi, qui sunt toto Orbe dispersi venient in Hierusalem, & habitabunt in Iudæa; sed quando Christus IESVS venit, non ita fuit, sed potiùs contrarium; siquidem post aduentum Christi omnes fuerunt expulsi ex Ierusalem, & ex Iudæa, & fuerunt dispersi per totum Orbem, vt nunc videmus: ergo Messias adhuc non venit; sed adhuc debet expectari, vt hæ prophetiæ impleantur: de his prophetijs non potest dubitari: nam ita ait Moyses Deuteronomij 30. num. 3. *Reducet Deus tuus captiuitatem tuam, & miserebitur: & rursum congregabit te de cunctis Populis, in quos te ante dispersit: si ad cardines cœli fueris dissipatus; inde te retrahet Dominus Deus tuus; & assumet, atque introducet in terram, quam possederunt Patres tui, & obtinebis eam, & benedicens tibi, maioris numeri te esse faciet, quàm fuerunt Patres tui.*

68. Non minùs clara est alia prophetia Ezechielis 39. num. 25. *Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israel: & assumam zelum pro nomine sancto meo: & portabunt confusionem suam, & omnem præuaricationem, qua præuaricati sunt in me, cùm habitauerint in terra sua confidenter neminem formidantes: & reduxero eos de populis, & congregauero de terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero*

fuero in eis in oculis gentium plurimarum: & scient, quia ego Dominus Deus eorum; eo, quòd transtulerim eos in Nationes, & non dereliquerim quenquam ex eis ibi; & non abscondam vltra faciem meam ab eis; eo quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israel; ait Dominus Deus.

69. Miserabiles Hebræi, obcæcati, & quasi iam sine intellectu! existimo, vel eos attentè non legere scripturas; vel de industria illas intelligere nolle. Vna, & altera prophetia manifestè loquitur de liberatione à captiuitate Babylonis; & minimè loquuntur de aduentu Messiæ; & vtraque prophetia impleta fuit, quando Deus eos reduxit à captiuitate illa in terram antea à Patribus suis possessam; quod euidenter tibi declaro. 1. quia Propheta Ezechiel hanc protulit prophetiam, quando erat ipse in ea captiuitate; & eam ad illos direxit, qui in eadem erant captiuitate: & in persona ipsius Dei dixit eisdem: *Nunc reducam captiuitatem, &c.* Quis adeò hebes erit, vt illud *Nunc* non intelligat de liberatione, quæ mox facta fuit; & illud velit detorquere ad liberationem, quam expectant, transactis iam plùs duobus millibus annorum, ex quo prolata fuit prophetia? Cui etiam mediocriter intelligenti non pateat Prophetam loqui de liberatione ab illa captiuitate, in qua ipsi tunc erant; & non de liberatione ab illa captiuitate, quam post quingentos annos habituri erant; & in qua miserè iacent, iam plùs mille sexcentis transactis annis? Quomodo poterat Propheta loqui de liberatione, quæ, vt ipsi dicunt, nondum venit post totum illud tempus duorum millium annorum, nec veniet; & non loqui de illa, quæ illis venit post aliquot annos paucos? Non erat magis verisimile intelligi illud *nunc reducam* de reductione proxima futura; quàm de liberatione, quam ipsi expectant à tám longo tempore, & serie sæculorum, & nondum venit? Quod solatium illis foret, si promissa liberatio non esset illis proxima, sed dilata post illam sæculorum seriem? Euidens ergo est prophetiam illam fuisse impletam, quando Hebræi à captiuitate Babylonis fuerunt liberati; & tunc

obti-

obtinuerunt secundam hereditatem illis promissam; prout dixerat Propheta Moyses in citata prophetia Deuteronomij 30. *Rursum congregabit te de cunctis populis*; & ita exponunt hunc locum Rabbini in lib. Sedernegholam. Quia omne illud, quod Deus illis promiserat, impletum est, quando à Babylone redierunt liberi in Ierusalem, vt narrat Esdra lib. 2. cap. 7. num. 6. *Isti filij prouinciæ, qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis, & reuersi sunt in Ierusalem, & in Iudæam, vnusquisque in ciuitatem suam.*

70. Replicant Hebræi. Prophetia suprapòsita ait nullum omnino Babylone mansisse; vt patet ex illis verbis: *Et non dereliquerim quenquam ex eis ibi.* Sed tempore Esdræ non ita fuerunt congregati omnes, vt non mansissent ibi aliqui ex Hebræis: ergo prophetia illa non fuit impleta in liberatione à captiuitate Babylonis; proindeque debet impleri alio tempore, quod certè erit tempus aduentus Messiæ: cùm verò tempore aduentus Christi IESV impleta non fuerit, vt patet; sequitur adhuc Messiam non venisse. Resp. Falsissimum esse, quòd tempore Esdræ mansissent aliqui ex Hebræis in captiuitate Babylonis: contrarium enim constat ex eodem libro Esdræ citato num. 73. *Habitauerunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, & ianitores, & cantores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israel in ciuitatibus suis*: proindeque tempore illo prædicta prophetia exactissimè fuit impleta. Similiter impleta fuit tunc alia prophetia Ieremiæ cap. 29. num. 10. quæ idem refert, quod refert Ezechiel supra; & ita ait cit. num. 10. *Cùm cæperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum.* Et infra: *Reducam captiuitatem vestram, & congregabo vos de vniuersis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, &c.*

71. Neque obstat, quòd non fuerint captiui in omnibus gentibus, & populis, locisque totius mundi: nam ideo dixit; de omnibus gentibus, populis, locis, ad quæ expu-

li vos: quaſi diceret,non ab omnibus populis, & locis totius mundi, ſed ab omnibus, ad quæ vos ego expuli. Vnde euidens eſt loqui Prophetas de captiuitate Babylonis; ſcil. per 70.annos, quibus fuerunt in illa captiuitate. Conſonat Propheta Iſaias cap.11.num.11.*Et erit in die illa, adijciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyrijs, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthyopia, & ab Ælam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab Inſulis maris.* Hanc prophetiam exiſtimant aliqui, vt Gaſpar Sanch.& alij fuiſſe impletam in liberatione à captiuitate Babylonis; quia Iſaias multò ante illam captiuitatem id prædixit; & ſi intelligeretur de alia liberatione poſteriore, non diceret ſecundò adijciet manum, ſed tertiò: quia, inquiunt, prima liberatio fuit tempore Pharaonis ab Ægypto: ſecunda, tempore Cyri à Babylone; ergo illa alia foret tertia, & non ſecunda. Deinde diceret, fore liberandos ex Romanis, qui Iudæos à Ieruſalem eiecerunt; & non ab Aſſyrijs, & alijs Regionibus à Propheta commemoratis; quæ omnes erant ſub poteſtate Cyri: videtur ergo loqui Propheta de liberatione à captiuitate Babylonis. Hæc interpretatio probabilis quidem eſt: & confirmat præfatam doctrinam. Verùm exiſtimo Prophetam hîc loqui de liberatione ſpirituali à captiuitate peccati per aduentum Meſſiæ, & dicitur ſecunda reſpectu liberationis materialis ab Ægypto, & à Babylone; licèt hæc poſſit etiam dici ſecunda reſpectu primæ materialis; & hæ duæ materiales integrant vnam totalem liberationem materialem; reſpectu cuius optimè dici poteſt ſecunda illa ſpiritualis liberatio; quæ fieri promittebatur tempore Meſsiæ. Ratio huius eſt, quia reuera Iſaias in hac prophetia cap. 11. expreſsiſsimè loquitur de Meſsia, vt legenti prophetiam illam patebit: quare videtur minùs conuenienter deſcendere ad liberationem imperfectam à captiuitate corporum, dum prima accipiebat diuinum oraculum de Redemptore, & liberatore animarum ex captiuitate peccati. Nec obſtat primò, quòd Propheta mentionem faciat Nationum, quæ Regi

Baby-

Babylonis erant ſubiectæ; nam etiam ibi memorat Inſulas maris, quæ non erant ei ſubiectæ: & certè hæ prouinciæ occidentales prædictæ inſulæ non erant ſubiectæ Regi Babylonis; in omnibus tamen illis Regionibus erat aliquod reſiduum Iudæorum, quibus Apoſtoli prædicarunt; multoſq; conuerterunt, vt patet ex Euangelica hiſtoria, Actor. & epiſt. D. Pauli, & Petri. Nec obſtat ſecundò, quòd Propheta Iſaias protulerit illam prophetiam multò ante captiuitatem Babylonis, & conſequenter videtur de illa loqui, & non de illa liberatione peccati poſtea per Meſsiam facienda: reſpondeo enim etiam fuiſſe prolatam multò plùs antequàm fieret hæc per Meſsiam liberatio; quæ certè maioris erat momenti, quàm prima, ideoque de hac præcipuè tractabat.

72. Quicquid tamen ſit de hac prophetia Iſaiæ; certè duæ aliæ priores de captiuitate Babylonis clariſsimè loquuntur; & iam fuerunt impletæ, vt probatum eſt: igitur argumentum Hebræorum nullius eſt momenti. Dices. Non videtur bene probari ſaltem primam illam prophetiam Deuteronomij loqui de captiuitate Babylonis; ergo loquitur de reductione Hebrȩorum facienda per Meſsiam; cùm verò, quando Chriſtus venit, Iudæi non fuerint reducti, ſed potiùs diſperſi; in qua diſperſione nunc ſunt: adhuc non eſt impleta, ſed implebitur, quando venerit Meſſias, & conſequenter adhuc non venit. Reſpondetur in hoc etiam hallucinari Iudæos: ſiquidem ex citato capite Eſdræ conſtat euidenter prophetiam Deuteronomij de captiuitate Babylonis intelligi: nam hic Propheta erat in Babylone captiuus cum cæteris Hebræis, Dominum deprecabatur, vt recordaretur ſuæ promiſſionis per Moyſen factȩ, vt ab ea captiuitate liberarentur ſecundùm ſuam promiſſionem; & Propheta fuit exauditus, quando mox populus Hebræus fuit ab illa captiuitate liberatus. Sic enim ait Eſdras in loco ſupra cit. lib.2.cap.1. num.8. *Memento verbi, quod mandaſti Moyſi ſeruo tuo, dicens: cùm tranſgreſſi fueritis, ego diſpergam vos in populos, & ſi reuerta-*

tamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea: etiamsi abducti fueritis, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi, vt habitaret nomen meum ibi. Ergo illa prophetia Deuteronomij loquebatur de hac captiuitate Babylonis; aliter & Esdras erraret sic orando; & Deus errori consentiret, sic petitionem illius adimplendo. Et non loquebatur de hac Hebræorum dispersione, in qua ipsi voluntariè sunt, verificando illam in seipsos iactatam maledictionem: *Sanguis eius super vos, & super filios nostros*.

73. Confirmatur hoc, quia Deus nunquam volebat populo suo supplicium aliquod graue infligere, nisi priùs illud alicui Prophetæ aperiendo, & durationem eius determinando, prout legitur apud Prophetam Amos cap. 3. nu. 7. *Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas*. Sic volens, vt populus in Ægypti seruitute per quadringentos maneret annos, id priùs Abrahæ Patriarchæ reuelauit, vt constat ex Genes. 15. & volens eundem ob peccata commissa in Babylonem relegare per 70. annorum spatium; id priùs Ieremiæ Prophetæ reuelauit, vt patet ex Ierem. cap. 25. Itaque semper Deus reuelabat, quanto tempore duraturum esset supplicium; quia præuidebat populi pœnitentiam: in hac verò dispersione Iudæorum non reuelauit Deus præfixum terminum; quia vniuersaliter omnes pœnitentiam non agent de peccato, quod commiserunt non acceptando suum Saluatorem, imò illum ignominiosè tractando, & crucifigendo; cùm verò solùm in fine mundi de hoc peccato acturi sint pœnitentiam; solùm in fine mundi misericordiam consequentur.

CAPVT VNDECIMVM.

Proponitur vndecimum argumentum Hebræorum, & dissoluitur.

74. ARguunt vndecimò Hebræi. Quando veniet Messias, Lupus cum Agno, Leopardus cum Hædo habitabunt: pascentur simul Bos cum Vrso, &c. vt constat ex Isaia cap.11.num.6. *Habitabit Lupus cum Agno, & Pardus cum Hædo accubabit: Vitulus, & Leo, & ouis simul morabuntur; & puer paruulus minabit eos: Vitulus, & Vrsus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & Leo quasi Bos comedet paleas.* Hæc prophetia adhuc non est impleta; siquidem hæc mutatio naturæ in terris visa nunquam fuit: ergo Messias nondum venit, sed veniet, quando hæc prophetia fuerit impleta. Resp. Hanc prophetiam iam fuisse impletam: quando gentes fuerunt conuersæ ad fidem: in qua conuersione Reges, & Imperatores, qui sua ferocitate fuerant quasi Leones, iam habitant cum mansuetis Agnis, qui sunt fideles: gentes ipsæ, quæ sine fide erant quasi feræ, brutaque animantia, feritate deposita, Christi mansuetudinem induerunt. Igitur prophetia non debet intelligi materialiter, vt illi materiales Hebræi volunt; sed per parabolam: quo pacto etiam ipsi Rabbini exponunt: nam in lib. Rabeno Moyse in fine, sic dicitur: *In aduentu Messiæ nulla naturæ mutatio fiet: vnde non tibi veniat in mentem, quòd in diebus Messiæ opera naturæ debeant variari: & id, quod dicit Isaias: Habitabit Lupus cum Agno, &c. parabola est, & ænigma: & significant fideles simul cum impijs, idest, cum Gentilibus tutò permansuros.*

75. Et hic est frequens, & visitatus modus loquendi Sacræ Scripturæ. Sic in cap.49. Genes. num.9. Iacob appellauit Iudam, Leonis filium: *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, &c.* Et nu.14. Issachar alterum filium vocat Asinum fortem. *Issa-*

ebar Asinus fortis accubans inter terminos. Et nu.27. Beniamin appellat Lupum rapacem. *Beniamin Lupus rapax mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia*. Atque ita Ieremias in hoc loco vocat populum Israel agnum dispersum: quemadmodum etiam ait cap. 50. num. 6. *Grex perditus factus est populus meus*. Et num. 17. *Grex dispersus Israel*. Et ibi Reges vocat Leones gregem discerpentes. *Leones eiecerunt eum*, scil. Regem Assyriæ, & Nabuchodonosor Regem Babylonis. Igitur sicut scriptura vocat Reges infideles Leones, & populum fidelem Agnum; sic Propheta in ea suprapoſita prophetia, per Lupos, & Leones intelligit infideles; & per Agnos fideles; & inter hos, & illos tempore Messiæ concordiam esse faciendam per conformitatem fidei in Christum Saluatorem omnium, ac Redemptorem.

76. Et in hoc certè conueniunt ipsimet Rabbini antiqui, doctioresque, vt videre est in Rabbi Moyse de Ægypto in lib. Morè in 1. lib. circa medium. Vbi sic ait: *Scias clauem intelligentiæ dictorum cuiusque Prophetæ in eo consistere, quòd eorum parabolas, metaphoras, ac similitudines bene intelligas: bene enim scitur Deum dixisse per Oseam Prophetam* cap. 12. num. 10. Se quibusdam per Prophetas explicandum esse similitudinibus, & ænigmatibus. *In manu Prophetarum assimilatus sum*. Et idem Rabbinus in sententijs suis ita ait: *Non existimes in aduentu Messiæ Deum rerum naturas mutare debere*: vnde aduerte illa verba Isaiæ dicentis: *Habitabit Lupus cum Agno, significare in sensu suo vero, quòd Israel confidenter habitabit cum impijs, qui similes quidem sunt Leonibus, Leopardis, Lupis, & Vrsis*, vt dictum etiam est per Ieremiam cap. 5. nu. 6. *Percussit eos Leo de sylua: Lupus ad vesperam vastauit eos, Pardus vigilans super Ciuitates eorum*. Igitur confundantur illi stulti Iudæi, & erubescant, intelligendo prophetiam Isaiæ tam materialiter; sed Doctoribus adhæreant potiùs Rabbinis suis, illam in vero sensu exponentibus: imò ex ipsomet textu clarè dignoscitur Prophetam per Leones, & Lupos gentes signi-

significare: vt mox subiunxit Isai.cap.11.num.9. *Non nocebunt, neque occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientiâ Domini*, idest, iam Reges illi antea Leones vniuersam Ecclesiam Sanctam non persequentur; quia omnes fidem Christi suscipient; terraque omnis scientiâ Domini repleta erit.

CAPVT DVODECIMVM.

Dissoluitur duodecimum dubium Hebræorum contra Christianos.

77. ARgumentantur Hebræi duodecimò. Secundùm scripturam, quando veniet Messias non ampliùs bella gerentur, sed summa erit in terris pax, & armorum cessatio: sed post Christi IESV aduentum non fuit ista pax, armorumque cessatio; sed potiùs plurima bella sunt gesta, vt nos nunc videmus; & ex historijs apertè constat, ac Chronicis cuiusque Regni, Nationumque. Igitur Christus nondum venit; sed veniet, quando hæc prophetia fuerit impleta, quam affert Isaias cap.2.num.4. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur vltra ad prælium.* Resp. Hanc prophetiam fuisse omnino impletam, quando Christus venit: quia toto tempore, quo Christus vixit in terris, nulla extitere prælia, summa fuit pax, & tranquillitas; sic enim conueniens erat, vt subditi in præsẽtia supremi sui Regis inter se non contenderent, quæ pax in terris post Christi resurrectionem annos 40. durauit, donec Hebræi sub falso suo Messia Bencusba appellato contra Imperium Romanum bella mouerunt: quos ideo Tito Imperatore regnante Romani captâ Ierusalem, & ferro ignique deuastatá expugnarunt, & à Iudæa in varias mundi plagas eiecerunt; vt narrant historiæ. Non negent ergo perfidi Iudæi hanc prophetiam fuisse impletam; imò illam

illam videndo impletam, credant in Christum IESVM Saluatorem, verumque Messiam.

78. Dicunt Hebræi verum quidem esse toto illo tempore fuisse pacem, ac bella cessasse; attamen hæc pax non durauit multùm; Propheta verò dixit post aduentum Messiæ pacem fore in æternum duraturam: ergo adhuc non fuit impleta hæc prophetia; proindeque Messias nondùm venit; sed veniet quando hæc fuerit impleta prophetia. Hæc obiectio satis indicat Hebræos nec scripturas legere, nec intelligere: siquidem deberent aduertere illam vocem *nghod*, positam in illa prophetia non semper significare in æternum; imò sæpius significare modicum tempus. Patet primò ex 1.Reg.cap.7.num.13. *Humiliati sunt Philistijm, nec apposuerunt vltra, vt venirent ad terminos Israël*: vbi vox *nghod* ibi posita non significat in æternum: siquidem in eodem lib. cap.13. legitur Philistæos tempore Saulis iterum in terminos Israel venisse: vnde sensus est, vt non venirent vltra tempore Samuelis Iudæam regentis: sic ergo intelligendum est; vt non esset bellum vltra tempore Messiæ in terra degentis. Secundò in cap.35. Genesis n.10. vbi legitur sic: *Non vocaberis vltra Iacob; sed Israel erit nomen tuum*, & ibi vox *nghod*, idest, non vltra; non potest significare, in æternum. Siquidem postea in eodem capite bis quatuor vicibus appellatur per nomen Iacob. Igitur illa vox *nghod*, idest, non vltra, aliquando non significat, nisi paruam temporis durationem: & hoc confirmant etiam ipsi Rabbini: nam Rabbi Dauid Chimchim in suo Dictionario appellato sciarascim exponendo dictam vocem *nghod*, idest, non vltra, dicit sic: *Vox ista* nghod, idest, *non vltra sæpe reperitur significare modicum tempus*; & allegat ibi lib. Prouerb. c.31. vbi vox *nghod*, idest, in æternum, seu non vltra; non significat nisi breue tempus. Tertiò in lib. 2. Reg. cap. 6. & lib.2. Samuelis cap. 1. Vbi in omnibus illis locis vox *non vltra*, seu *in æternum*, non significat, nisi breuem temporis durationem. Similiter ergo, quando Propheta dixit: *Non excercebuntur vltra ad bellum*;

bellum; vox illa *ngbod*, ſeu non vltra, non ſignificat, niſi durationem certam, id eſt, non vltra, videlicet tempore, quo vixerit in terris Meſſias, belli non exercebuntur: ſed in exercitio pacis, & agriculturæ, armis ferreis conuerſis in vomeres, & gladijs in falces ad metendum ſegetes: & ita euenit, dum Chriſtus in terra vixit, imò & 40. annis poſt Chriſti reſurrectionem, vt dictum eſt: ex quo patet, quàm debile ſit Hebræorum argumentum.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Proponitur, & ſoluitur decimum tertium Hebræorum dubium.

79. OPponunt 13. Iudæi. Meſſias venturus eſt in fine mundi, vt prædixit Iſaias cap.2. num.2. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas; & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex; & Verbum Domini de Ieruſalem.* Sed Chriſtus Ieſus non venit in fine mundi, imò à natiuitate ſua iam 1693. numerantur anni: ergo Chriſtus non eſt Meſſias à Prophetis prædictus, & nondum venit; ſed veniet, quando in fine mundi fuerit impleta hæc prophetia. Hoc argumentum, dubiumque Iudæi ſatis ineptè formant; quia cæca ſua obſtinatione non capiunt germanum, verumque iſtius oraculi ſenſum. Scire debuerant, quando Propheta dixit Meſſiam nouiſſimis diebus eſſe venturum, per nouiſſimos dies non intelligi finem mundi; aliter alijs prophetijs omnino contradiceret, quæ dicunt Meſſiam venturum tempore ſecundi templi: & iam hodie non eſt illud templum ſecundum: ſiquidem deſtructum fuit 40. annis poſt Chriſti Reſurrectionem, glorioſamque illius in Cœlum Aſcenſionem; vt iam nos ſupra oſtendimus, & in-

ſra in 4.libro magis oſtendemus:vnde neceſſariò intelligendum eſt, quòd dies illi nouiſſimi dicantur reſpectiuè ad Eccleſiam ſub ritu Moſaico duraturam; & vltimis diebus iſtius Synagogæ, ſeu Eccleſiæ ſub ritu Moſàico, venit Chriſtus: igitur ex hac prophetia potiùs inferre deberent Hebræi iam veniſſe Meſſiam, quàm ſtultè inferre nondum veniſſe.

80. Quòd verò in Scriptura Sacra, quando dicitur, *in nouiſſimis, vel in vltimis diebus*, non ſemper intelligatur in fine mundi; (niſi concurrant aliquæ circumſtantiæ, quibus non poſſit id intelligi, niſi pro fine mundi) probatur ex multis ſacræ paginæ locis. 1. ex Ieremia cap. 49. num. 39. *In nouiſſimis autem diebus reuerti faciam captiuitatem Ælam, dicit Dominus*; & tamen hæc prophetia diebus Cyri Perſarum Regis impleta fuit, vt narrat Eſdras lib. 1. cap. 1. num. 1. dicens: *In anno primo Cyri Regis Perſarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum*. Secundò ex Deuteronomij cap. 31. num. 29. vbi ſic dicit. *Et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis mala in conſpectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum veſtrarum*. Et tamen hæc mala illis euenere, quando à via Domini defecerunt: quod certè non fuit in fine mundi, ſed multò antea: nec poſſunt dicere, hæc mala illis in fine mundi euentura: quia ipſi in fine mundi non mala, ſed bona ſperant. Siquidem ipſi expectant Meſſiam in fine mundi venturum, & in aduentu Meſſiæ ſperant proſpera, non aduerſa: bona, & non mala: igitur illa Moyſis prophetia impleta fuit diebus aduentus Meſſiæ, quem noluerunt acceptare, & à via Domini diſceſſere; propter quod illis hæc mala, & infortunia perpetui exilij à Ieruſalem acciderunt. 3. ex Geneſi 49. num. 1. quando voluit Iacob filijs ſuis aduentum Meſſiæ ſignificare, illos ad ſe vocans ſic ait: *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis*. Et ſic num. 10. annuncians aduentum Meſſiæ, ait. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus*

eſt;

est; & ipse erit expectatio gentium. Et tamen dum dixit, *in nouissimis diebus*, non potest intelligi in fine mundi: siquidem ibi posuit signa, quæ concurrere deberent in aduentu Messiæ, scil. tunc primò defecturos Reges Iudæ; quod factum est in aduentu Christi. Ex his omnibus colligitur manifestè; quando in scriptura dicitur: *In nouissimis diebus, in extremo tempore*, non intelligi semper in fine mundi; sed terminum quendam dierum ad id tempus, in quo aliquid ex promissione diuina fieri expectatur; & ideo Sacra Scriptura ponit semper aliqua signa, quibus intelligatur, de quibus vltimis diebus loquatur; quæ signa si aduerterent Hebræi, à veritatis tramite non aberrarent.

81. Vt tamen hoc ipsis magis verificetur, non omittam hîc afferre autoritatẽ Rabbinorum. Rabbi Dauid Chimchi in expositione eiusdem prophetiæ ab Hebræis allegatæ sic ait: *Vbicunque reperitur in scriptura scriptum: In nouissimis diebus, intelligitur de diebus Messiæ*. Ergo quando Isaias dixit Messiam nouissimis diebus venire debere; de diebus Messiæ dixit, non de fine mundi: maximè, quia in illa prophetia ponuntur aliqua signa aduentus Messiæ, quæ pro fine mundi verificari minimè possunt; vt ex breui illius prophetiæ explicatione mox ponenda fiet manifestum. Nec Hebræi, qui tantùm authoritatis tribuunt Talmud suo, possunt dicere Messiam primò venturum in fine mundi: nam in Talmud tractatu Sanhedrin cap. Chelech dicitur mundum post aduentum Messiæ bis mille annos duraturum: quomodo ergo dicunt Messiam venturum in fine mundi, si dicunt mundum duraturum bis mille annos post aduentum Messiæ? quare nullius momenti est Hebræorum argumentum ex illa pro se, contra nos allata prophetia; quæ potiùs pro nobis contra ipsos debeat allegari.

82. Vnde prophetia illa sic breuiter explicatur. *In nouissimis diebus*, id est tempore legis gratiæ; quod est vltimum respectu Legis scriptæ, & naturæ: quia primum tempus est legis naturæ, secundum legis scriptæ; vltimum le-

gis gratiæ; quæ incepit ab aduentu Christi Legislatoris legis gratiæ. *Mons*, id est Ecclesia, & Christus primarium caput Ecclesiæ; *præparatus*, alij vertunt fundatus, quia scribitur per nomen Hebraicum Nachon, quod significat fundare: quia Ecclesia fundata fuit à Christo, iuxta illud: *Ædificabo Ecclesiam meam*, quod etiam patet ex Psal. 23. num. 3: *Super flumina præparauit eam* (terram) id est, fundauit, & firmauit, & iuxta Prouerb. 8. num. 27. *Quando præparabat Cælos*, id est, fundabat. Mons etiam significabat Beatissimam Virginem Mariam Matrem Dei: cuius Sanctissimæ Virginis sanctitas super omnes Sanctos, & Angelos effulsit, & instar altissimi montis eminuit: *ipsa enim*, ait D. Gregorius lib. 1. Reg. cap. 1. sub initium, *meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros vsque ad solium Deitatis erexit*. *In vertice montium*: quia Ecclesia est in vertice montium, primò, quia sua altitudine, dignitate, & gloria superat Iudæorum montes, scilicet, Sion, in qua erat Arx Dauid; Moria, in quo erat erectum templum: hi enim montes erant figura, & quædam vmbra corporis Ecclesiæ Christianæ; & quis negat vmbram subesse corpori? secundò, quia superat omnia templa, & sacra Iudæorum, & Gentilium per allusionem ad templa, quæ olim semper supra montes altiores fundabantur; & ideo appellabantur *excelsa*. Tertiò, quia montes dicuntur Apostoli, Prophetæ, & Patriarchæ; & super hos montes fundata est Ecclesia.

83. *Et fluent ad eum omnes gentes*. Fluent more fluminis spontè fluentis, quia gentes non armorum vi coactæ, sed voluntate sua conuertebantur: quia id Christus Dominus posuit in voluntate libera, dicens. *Si quis vult venire post me*; & ideo inermes, & quasi agnos inter lupos misit Apostolos: iuxta illud: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*. *Fluent*: quia non simul conuersio fuit facta; sed successiuè more fluminis successiuè fluentis. Primò Iudæi conuersi sunt ad fidem; postea gentes tractu quodam successiuo, & fluenti. *Et dicent: venite, & ascendamus ad montem Domini*, id est, ad Christum, & Ecclesiam, & ad do-

mum

mum Dei Iacob, id eſt, non iam ad Deos fictos; ſed ad Deum, qui eſt Deus verus, qualis eſt Deus Iacob. *Et docebit nos vias ſuas*, id eſt, diuinas, & ſalutaria documenta; quibus refertum eſt Chriſti Euangelium. *Quia ex Sion exibit lex*, id eſt, lex gratiæ, & non Moſaica, ſed lex viuificans data tam Iudæis, quàm gentibus; *& verbum Domini*, id eſt, Euangelium, de Ieruſalem: quando nimirum Apoſtoli, & diſcipuli accepto Spiritu Sancto in die Pentecoſtes ex Ieruſalem, & Iudæa exibunt, ſeque diuident, & diſpergent in omnes Regiones, vt impleant Chriſti præceptum. Matth.28. *Euntes docete omnes gentes*. *Et iudicabit gentes*, id eſt, iam fideles in foro Eccleſiaſtico per ſummum Pontificem ſui vicarium, & per Epiſcopos; in foro pœnitentiæ Sacramentali per Sacerdotes condemnando, & abſoluendo iudicium faciet. Iudicabit item inter probos, & improbos, probis præmia gratiæ, & gloriæ: improbis verò ſupplicia æternæ damnationis retribuet. Cætera omitto breuitatis cauſa: & ſatis hæc dicta, vt reddantur Hebræi conuicti ex hac prophetia, quam contra Chriſtianos afferebant: cùm potiùs illa videatur hiſtoria præteriti, quàm prophetia futuri: quare vel illos oportet negare prophetiam, vel credere Euangelium.

84. Incredibile dictu eſt, quanta cæcitate, ne dicam, dementia, mens Hebræorum obnubiletur: credunt aliqui eorum in ea prophetia Iſaiæ in dict. cap.2. & Michea cap.4. *Et erit in nouiſſimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis inter colles; & fluent ad eum populi &c.* Eleuari hunc montem ſuper alios montes, & colles, adhuc, non vidimus, inquiunt iſti Iudæi; quem tamen eleuari oportet in aduentu Meſſiæ, vt dicunt hi Prophetæ: ergo Meſſias adhuc non venit. Hæc eſt conſequentia iſtorum hominum, tam ſtulta, & fatua, vt reſponſione vlla indigna eſſe videatur. Videant illi an ipſorum ſenſus planè ineptiſſimus cum Prophetæ ſenſu cohæreat? Propheta dicit, quòd mons iſte docebit nos vias; an mons materialis docebit? loquitur ergo Propheta de Meſſia, qui

expli-

explicatur per nomen montis: & quòd Meſſias mons appelletur, primò probatur ex ipſiſmet Rabbinis in libro Bereſcith rabba in cap.28. Geneſis verſ.10. *Egreſſus Iacob de Barſabee.* Vbi ſunt hæc verba: *Leuabo oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*: hoc eſt, quod ſcriptum eſt in Zacharia cap.4. num.7. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? Mons iſte magnus eſt Rex Meſſias; & cur illum appellat montem magnum?* Et ibi reſpondet: *quia ille eſt maior Patribus antiquis; vt ſcriptum eſt in Iſaia* cap.52. num.13. *Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde: hic eſt Meſſias, qui exaltabitur pluſquam Abraham; pluſquam Moyſes, pluſquam Angeli cæleſtis miniſterij.* Ex quibus verbis conſtat Rabbinos per montem intelligere Meſſiam; & ſic interpretari Prophetam, dum illum appellat montem magnum. Secundò ex Daniele cap.2. vbi per montem explicat Meſſiam, quando dixit. *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam, &c. & factus eſt mons magnus &c.* In quem textum Rabbi Salomon per iſtum lapidem, qui factus eſt mons magnus, interpretatur Meſſiam. Igitur ſimiliter Iſaias, & Michæas non loquuntur de illo monte, ita vt ipſe debeat creſcere materialiter per augmentum terræ ſupra alios montes, ſed nomine montis explicant Sanctiſſimum Meſſiam; cuius ſanctitas, dignitas, & excellentia, inſtar altiſſimi montis ſuper omnes eminet, & ſublimatur.

85. Aliter etiam Rabbini ipſi interpretantur montem illum, quem dicunt eſſe montem Sion; vt nimirum ita excreſcat, ac exaltetur in dignitate, & veneratione, quia in illo Meſſias multa mirabilia operabitur, & illum ſuâ præſentiâ ſanctificabit, quod in Chriſto Domino impletum fuit; vt conſtat ex ſacro Euangelio: & ideo illum montem ſanctum ſuper omnes alios totius orbis montes fideles maximè venerantur; & ſumma pietate, ac deuotione viſitant. Igitur friuolum, & vanum eſt argumentum illorum rudium Iudæorum; & potiùs debuiſſent ſapientiores Rabbinos in hac parte ſectari.

CA-

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Dissoluitur decimumquartum argumentum Hebræorum contra Christianos.

85. ARguunt deinde Iudæi ex Propheta Isaia cap.2. vbi dicit, in aduentu Messiæ ad illum fluere debere omnes gentes; hoc est ad illum omnes esse conuertendos: sed de facto non sunt conuersi omnes: siquidem Turcæ, Hebræi, multique alij Infideles, Christi legem minimè sequuntur: ergo Christus verus Messias non est. R. Hoc Hebræorum argumentum prorsus esse vanum, nulliusque momenti, quod etiam ex ipsorum cordatioribus Rabbinis planè euincitur; nam vox illa Hebraica Col, non semper significat totum; sed sæpius magnam aliquam partem totius. Ita respondet Rabbi Dauid Chimchi, & plures alij in suo Dictionario in radice, Col; vbi explicando huius vocabuli significationem, sic dicunt: *vox ista Col aliquoties pro maiori parte totius, non verò pro toto sumitur*: vt in cap.41. Genesis num.57. *Omnes Prouinciæ veniebant in Ægyptum*, id est, magna pars omnium Prouinciarum terræ; non enim est credibile, quòd omnes omnino totius orbis Prouinciæ in Ægyptum commearent; & allegat ibi etiam cap.24. eiusdem libri, & lib.2. Reg. cap.8. & sunt infinita alia exempla in Sacra Scriptura; in quibus vocabulum Col non significat totum; sed magnam partem totius: igitur, quando dicitur in prophetia Isaiæ in cit. loco in aduentu Messiæ omnes esse conuertendos; non intelligitur, *omnes*, ita vt nullus omnino remaneat non conuersus; sed quòd maxima pars mundi ad Christi fidem conuerteretur: & sic impleta fuit in Christo Domino prædicta prophetia; nam videmus nunc in omnibus totius orbis partibus, in Europa, scil. Africa, Asia, America, Christi fidem propagatam; & omnem terram repletam scientiâ Domini, vt prædixit Propheta: prout supra vidimus.

87. Di-

87. Dicunt Hebræi fateri ſe in ſcripturis ſæpiſſimè vocem, Col, id eſt, totum, non ſignificare totum, ſed partem magnam totius: at in hoc loco ſignificare omnes omnino; conſequenterque non fuit impleta prophetia: ſiquidem non omnes omnino gentes ad Chriſtum conuerſæ fuerunt. Sed mihi dicant Hebræi; cur in hoc loco vox illa, Col, id eſt, totum, ſignificet totum omnino, & non magnam partem totius: in alijs verò locis, partem certè totius, & non totum ſignificet? Reſpondent ex adiunctis circumſtantijs id deprehendi: bene: ſed etiam multæ ſunt circunſtantiæ, cur particula, *omnes gentes*, ſignificet bonam partem gentium, & non omnes omnino; ergo hîc etiam dicendum eſt, vt non ſignificet omnes omnino gentes, ſed bonam, vel maiorem partem illarum, quod ego probo manifeſtè: nam ſcriptura dicit in multis locis Hebræos negaturos eſſe Chriſtum, iuxta illud Danielis: *& poſt hæc occidetur Chriſtus, quem populus negaturus eſt*, & conſequenter ſaltem Hebræos vniuerſaliter non eſſe conuertendos; deinde illos permanſuros in ſua obſtinatione vſque ad finem mundi, vt ſupra vidimus; præterea dicit ſcriptura multis in locis plurimos à gentilibus eſſe interficiendos, & martyrio cruciandos propter fidem Chriſti, vt conuincitur ex omnibus Prophetis; & præcipuè ex Pſalmis Dauid multis in locis; vt Hebræi ipſi non inficiantur; & conſequenter hi perſecutores ſupponuntur infideles, & ad Chriſtum minimè conuerſi: ergo ne ſcriptura ſibi contradicat, neceſſariò dicendum eſt; particulam, *omnes*, in illo verſiculo: *Fluent ad eum omnes gentes*: ſignificare non poſſe omnes omnino; ſed magnam partem gentium. Et idcirco Michæas, qui prædixit eandem rem, & eodem ſpiritu veritatis, quaſi interpretando prophetiam Iſaiæ, non poſuit omnes, ſed plures dicens: *Et fluent ad eum populi*, vt vidimus in fine capitis præcedentis. Erubeſcant igitur Iudæi ſimilia vana argumenta opponendo, ſeriò amplectantur Sacras Scripturas, Deumque, & Saluatorem ſuum agnoſcant; ſin minùs, ſine vlla excuſatione præcipites in Tartara detrudentur.

CA-

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Proponitur, ac dissoluitur decimumquintum Hebræorum argumentum.

88. DEcreueram quasi contemnere hoc argumentum certè ridiculum, quod Hebræi nobis opponunt; sed vt illorum stultitiæ, & ineptiæ pateant magis, illud refero; & est hoc. Isaias dicit, quando Messias venerit, gentes dicent: Ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: vt patet ex supra posita prophetia in capitulis præcedentibus: sed Christiani non dicunt: ascendamus, aut eamus ad templum, siue ad domum Dei Iacob; sed eamus ad S.Petrum, S.Andream, S.Paulum, &c. Ergo cum prophetiæ debeant adamussim, & in omnibus adimpleri; signum est adhuc Messiam non venisse. Quis non rideat has telas araneæ; quibus Hebræi quasi humanæ rationis expertes intendunt fidelium pedes fortissimos intricare? Non aduertunt, quo fine Christiani templa, sacraque oratoria visitent: certè fidelium intentio tota est verum Deum adorare, & illius sanctos, vt seruos Dei amore colere, & venerari: Deus autem verus, qualis est, nisi ille Deus, quem Iacob, & alij Sancti Patres adorauere? Imò Propheta ideo posuit, *ad domum Dei Iacob*; vt manifestaret gentes adoraturas non Deos falsos, & simulacra Dæmonum, sed illum Deum viuum, sanctum, & verum, quem Iacob credidit, adorauitque: quid verò aliud faciunt Christiani, nisi hunc Deum Iacob verum quærere, & adorare?

89. Vnde omnia templa in toto orbe ædificata sunt domus Dei Iacob, id est, Dei veri; & quando Pontifex consecrat aliquod templum, non illud alteri consecrat, quàm Deo; vt ex cæremonijs, quas exercet, manifestè patet; quamuis ibi etiam sanctos peculiari adoratione duliæ, id est, cultu propter sanctitatem illis datam à Deo colat, & veneretur Populus Christianus; non illos adorat, vt Deum,

sed vt seruos, & electos Dei: quare ipsa etiam Ecclesia Petri, Pauli, Ioannis, & aliorum Sanctorum, domus Dei dicitur: atque adeo, dum fideles quodlibet templum visitant, ad domum Dei Iacob, id est, veri supplices tendunt: prophetiaque Isaiæ optimè verificatur, & similiter impletur alia prophetia Malachiæ cap. 1. num. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis, vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Id est; ò Hebræi perfidi, & increduli, obstinati, & Deo vestro rebelles; vos non volo, quoniam vos me acceptare noluistis: oblationes vestras non suscipiam, vestras adorationes, & preces, ac orationes, dum me Messiam Dominum, & Deum vestrum negatis, non accepto; imò respuo: in omni loco mihi fit à fidelibus Sacerdotibus meis sacrificium, non ex effuso animalium sanguine fœdum; sed purum, mundumque ex pane, & vino secundùm ordinem Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit Deo; & certè in omni loco, etiam in medio Turcarum, aliorumque infidelium, vbi missæ peragitur sacrificium, hæc munda Deo Iacob, id est, vero Deo semper offertur oblatio. Igitur manifestè patet hanc nunc impleri prophetiam; proindeque nonnisi ab obstinatissimo quoque, & prorsus dementi negari potest Christum Iesum verum esse Messiam; ac Synagogam prorsus esse à Deo derelictam, ac reprobatam: & quamdiu in hac sua obstinatione persistent Hebræi; semper Deo maximè displicebunt, & certè damnabuntur, nisi suscepto salutari Baptismo credant in Christum.

90. Vnde argumentor modò contra istos infelices Hebræos: vel hæc prophetia Malachiæ est iam hodie impleta, vel non: si est impleta; ergo Christiani Deum Iacob, id est, verum, & non falsum adorant, verum sacrificium peragunt; & dum templa visitant, ad domum Dei ascendunt; quia hoc dicit prophetia, & si iam impleta est, ipsi Hebræi omnino errant hæc templa non visitando; & hunc Deum,

quem

quem Christiani adorant, non adorando, & hoc sacrificium Sanctissimæ Eucharistiæ, quod Christiani peragunt, non peragendo. Si non est impleta: ergo illa prophetia est falsa, nugatoria, & frustranea: siquidem duo dicit prophetia, primum, quòd, quando venerit Messias, populus Hebræus non sit facturus illa priora sacrificia, nec Deus iam sit suscepturus illa eorum priora munera, antiquasque eorundem oblationes; secundum, quòd tunc in omni loco ipsi Deo offerendum semper sit sacrificium purum, oblationesque Deo maximè placituræ sint; vnde, si Hebræi hodie in toto orbe dispersi facerent Deo acceptabile sacrificium: prophetia esset falsa; quæ dicit eorum sacrificia Deo esse execrabilia, & minimè accepta. *Non est mihi voluntas in vobis; munus non suscipiam de manu vestra*. Si iam non faciunt sacrificia, vt verè non faciunt, nec facere possunt secundùm legem extra Ierusalem, extra quam nunc sunt, & erunt vsque ad finem mundi, sicut dicunt expresè prophetiæ, vt supra vidimus; iam Deus in terris est sine vllo sacrificio; nam est sine Hebræorum, vt patet; & est sine nostro, vt falsò ipsi contendunt, & sic iam prophetia est falsa; quæ dicit in omni loco semper esse faciendum Deo sacrificium. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Sed prophetia non potest esse falsa; quia aliter Deus loquens per Prophetas esset mendax, & consequenter non esset Deus: quia Deus mendax non est Deus verus: Deus enim verus est essentialiter verax; vt lumine naturæ patet: ergo Hebræi non credendo in Christum, in summo errore, & in æterna damnatione sunt, & eorum argumentum supra positum contra Christianos est prorsus vanum; & prophetia illa ab eis adducta, maleque ab eis intellecta in ipsos retorquetur: & illos de eorum perfidia, summaque obstinatione redarguit.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Proponitur, & dissoluitur 16. dubium, seu argumentum Iudæorum contra Christianos.

91. DEcimumsextum nobis opponunt argumentum obstinatissimi Hebræi; quod certè manifestat eorum contumaciam, cæcitatem, & incredibilem in hominibus rationis rectæ capacibus obstinationem. Sic illi argumentantur: Negari non potest post Christi Iesu aduentum in populo Hebræo etiam per vniuersas mundi nationes disperso reperiri Doctores Hebræos sapientissimos; in veteris Testamenti libris Hebraicè scriptis versatissimos: & qui plùs alienigenis Hebraicam vocabulorum radicem, eorumque proprium, ac germanum significatum meliùs capiunt, & intelligunt: & qui sæpe, ac sæpius versant diurna, nocturnaque manu nostrum Euangelium; rimantur omnia, maturèque considerant; quæ Christus effecerit, quæ prædicauerit, quæ docuerit Apostolos, ac discipulos suos; quæ ipsi quoque discipuli, & Apostoli, Euangelistæque toto orbe peregerint, ac scripta, traditaque reliquerint; qui ordo, quæ series rerum, quæ cæremoniæ, ritusque in Ecclesia Christiana seruentur: & nihilominus fidem Christi non amplectuntur; Euangelium reijciunt, leges Christianas contemnunt; & credibile non est velle ipsos damnari, & à cælesti Regno excludi; imò credunt alios damnari; se ad æternam salutem admitti, & rectâ pergere ad beatas illas Angelorum sedes Patribus suis sanctissimis à Deo promissas; incedere se per suorum sanctissimorum Antistitum vias; per suorum semitas Patriarcharum: à quibus, qui recedunt, rectâ pergere nullo modo possunt.

92. Huic argumento certè fallaci, debilique facillimè respondetur, interrogando Hebræos: an eorum Rabbini sint sapientiores Angelis malis, qui à Deo recessere, suumque principatum amisere? Respondebunt sanè plus sapien-

pientiæ, maioremque intelligentiæ lucem Apoſtatas Angelos habuiſſe; ſed eò ſuperbiæ deueniſſe, vt obliti luminis que ſui, æternæque ſalutis in eam ſempiternam calamitatem ſponte ſua ſe præcipites deturbarent: ſic ego vobis reſpondeo Rabbinos veſtros tantâ ſuperbiâ intumeſcere, vt cæteros elato ſupercilio, faſtuque dæmoniaco deſpiciant; captiuareque intellectum in obſequium fidei per ſummam tumidæ ſuæ mentis elationem recuſent: & ſic in præceps ruant, & in æternam damnationem miſerè detrudantur. Similiter ego ipſos interrogo; an ſui Rabbini Salomone ſint ſapientiores? Non eſſe reſpondebunt: & tamen ipſe in fine etiam contra veram religionem ea perpetrauit ſcelera, vt nobis de ſuæ ſalutis æternæ adoptione dubium planè vehementiſſimum reliquerit: cùm conſtet certò de culpa; de pœnitentia certò non conſtet: præſumendum igitur eſt de Angelis maiorem lucem habentibus, de Salomone plùs ſapienti, enormiter erraſſe; de Rabbinis autem minorem habentibus intellectum, minorique ſapientia locupletatis errare minimè præſumendum; maximè cùm ea loquantur, quæ Prophetis, ſacriſque alijs ſcripturis contradicunt?

93. Reſpondent Angelos, & Salomonem à via Domini deuiaſſe; illos deſiderãdo altiſſimo ſolium Deitatis adimere; hunc audendo idolis cultum Deitatis addere: at verò Hebræos nihil tale committere; ſed viam Patrum ſectari; & ipſum Deum adorare, quem ſui Patres adorauere; quem Moyſes, quem Abraham, quem Iſaac, & Iacob, quem Dauid, quem cæteri Prophetæ; eaſdemque, quas ipſi Sanctiſſimi Patres obſeruarunt leges, ipſos eorum quidem filios obſeruare velle. Sed huic argumento ſatis inter Hebræos antiquo Diuina Sapientia incarnata, dum in terris degebat, reſpondit, dicens non veniſſe ſe ſoluere legem, ſed implere. Itaque lex ipſa ſcripta, & Synagoga, quaſi in vtero grauida continebat Chriſtum, & legem gratiæ; ideoque Iudæi, qui Chriſtum, gratiæque legem negant, legem ipſam ſcriptam negant: & dum alienantur ab hac lege gra-

tiæ,

tiæ, & à Legislatore illius Christo, à lege ipsa scripta, quasi ab vtero errare dicuntur, quod prædixerat Dauid Psal. 57. num. 4. *Alienati sunt peccatores à vulua; errauerunt ab vtero; locuti sunt falsa.* Id est, dicentes Hebræi se suorum Patrum seruare legem, alienando se à Christo, locuti sunt falsa; nam qui non acceptat legem gratiæ, & Legislatorem eius Christum à lege scripta promissum; falsò dicit se Patrum legem seruare: siquidem lex antiqua, & scripta præcipiebat; vt, quando lex noua sanctissimi Messiæ fuisset promulgata, non iam obseruaretur antiqua cæremonialis; vt supra ex ipsamet ostendimus scriptura: quomodo ergo dicunt se legem Patrum suorum seruare, si, quod lex ipsa dicit, non obseruant? totum quod fecit Christus, dixerat lex scripta; deinde illum verum fore Messiam, qui fecerit, quæ Christus fecit, vt hactenus demonstratum est; & infra demonstrabitur: ergo qui negant Christum ea omnia facientem verum Messiam esse; negat quod lex scripta dixit: quomodo ergo dicit se legem scriptam seruare? Ex quo patet, quàm vanum sit hoc etiam Hebræorum argumentum.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Proponitur decimumseptimum Hebræorum dubium, ac dissoluitur.

94. OPponunt etiam hoc argumentum perfidi Iudæi. Deus in antiqua lege Sacerdotibus, ne mortuorum corpora tangerent, in temploue sepelirent, seuerè prohibuit, vt habetur Leuitici cap. 21. vers. 1. *Loquere ad Sacerdotes filios Aaron; & dices ad eos; Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium suorum.* Sed hæc lex violatur à Christianis, dum in templis Sacerdotum ministerio mortuorum corpora tumulantur; nec lex ista diuina per Euangelium fuit abrogata: imò per textum in L. Mortuorum, Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum, præ-


præcipitur mortuorum corpora extra Ciuitatem sepeliri; & in iure Canonico extra Ecclesiam corpora mortuorum humanda esse innuitur cap.vbicunque.13.quæst.2.& id manifestè statuitur, cap. Præcipiendum, & cap. Nullus, cap. Grauia 13 quæst.2.vbi habetur nullum esse in Ecclesia sepeliendum; sed solùm in atrio, porticu, vel exedris, id est, in fornicibus ad exterioris partis parietem Ecclesiæ positis, vt explicat glossa in dict.cap.Præcipiendum.Ergo Christianorum Religio, quæ iuri diuino, ciuili, & etiam Canonico aduersatur, vera esse non potest. Hoc argumentum quidam Iudæus homini Christiano, qui illum ad fidem Christi hortabatur, opposuit. Sed Christianus illum hac ratione conuicit; dicendo legem illam Leuitici cæremonialem esse, consequenterque per Sacrum Euangelium abrogatam: siquidem, vt Iudæus ille (erat enim aliqualiter in lege, & Prophetis peritus) fatebatur, omnes cæremoniales per aduentum Messiæ cessare debebant; vt iam ex capitibus præcedentibus constat: quare lex illa Leuitici contra Christianos inutiliter allegatur; quia est iam mortua, & mortifera.

95. Accedit optima congruentia, videlicet; quòd tempore legis antiquæ cœlum animabus etiam iustis clausum erat, & indecens videbatur aperiri portas templi terreni corporibus, quorum spiritibus templi cœlestis portæ claudebantur: idcirco etiam in lege gratiæ decedentes absque Baptismo infantes, Pagani, & in peccato mortali notoriè morientes in templo minimè tumulantur. Imò adhuc in ea Leuitici lege non omnes mortui in templo sepeliri vetabantur: non enim comprehendebat lex illa Patrem, Matrem, filium, filiam, fratrem, sororem, virginem, id est, non nuptam viro; vt expressè habet textus: fortasse, vt viui consanguinei templum ingredientes, videntes ibi sepultos consanguineos, monerentur, & ad vitam suam corrigendam, & ad animas suis suffragijs adiuuandas; & ideo sepulchra dicuntur monumenta, quasi moneant mentem. Ad leg. illam Codicis R. id tunc prohiberi propter fœto-

rem,

rem, quæ ratio iam hodie cessat: cùm subter fossis valde profundis corpora tumulentur. Ad citatos iuris Canonici textus R. ad rem non venire: nam ibi expresè text.in cap. Nullus, solos infideles in templo tumulari prohibet: ita enim ait textus: *Nullus mortuus intra Ecclesias sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici.* Et semper fuisse pium, fideliũ corpora intra Ecclesias tumulari, tradit D.Aug.in lib. de cura agenda pro mortuis, Sanct.Thom.Ricard.& omnes Theologi, qui agunt de Ecclesiastica sepultura. Verbo sepultura; ac docetur in Decretalibus in toto titulo de sepulturis, & in decreto 13. quæst.2. vbi multa Sanctorum Patrum testimonia proferuntur; estque totius Ecclesiæ ab Spiritu Sancto illuminatæ recepta praxis.

96. Igitur Iudæus vanè, friuolèque hoc contra Christianos vtitur argumento; cùm nec iuri illi diuino cæremoniali per eundem Deum iuxta Prophetarum Oraculum abrogato: nec iuri humano ciuili, nec Canonico aduersetur; sed Religioni, Christianæque pietati valde conforme sit, non claudi portas templi terreni eis corporibus mortuorum; quorum animabus cœlestis templi fores aperiuntur; quod à Deo fuit concessum post Christi Ascensionem, vt Prophetæ ante prædixerant: *Attollite portas Principes vestras &c.*



LIBER

LIBER QVARTVS.

De Hebræo Conuicto.

Continet rationes euidentes, quibus contra Iudæos demonstratur Messiam à Prophetis promissum iam venisse; & esse Christum IESVM Saluatorem nostrum Sanctissimum, Beatissimæ Virginis MARIAE Dominæ nostræ Filium. Licèt autem hæc veritas ex præcedentibus tribus libris manifestè constet, & sufficientissimè quidem ad Iudæorum perfidiam compescendam, lapideamque illorum cordis duritiem emolliendam: sequentes tamen probationes eo fine erunt expediendæ, vt neque vllam excusationem opponere; neque hinc, ac inde tergiuersari vllo modo possint. Quia verò passim Prophetæ varia tractant de Messia, quæ possint intellectui minùs instructo difficultatem ingerere: modò enim illum prædicunt summa cum paupertate venturum; modò cum summa pompa, & maiestate; modò cum mansuetudine agni, modò cum seueritate Leonis; distinguere oportet duos aduentus Messiæ, diuersaque tempora, diuersasque functiones: atque sic distinguendo tempora, cernes optimè iura concordari. Sit igitur.

CAPVT PRIMVM.

Demonstratur duos esse Sanctissimi Messiæ Aduentus.

1. IDES Catholica docet Sanctissimi Messiæ duos esse aduentus. Id non solùm nos Christiani credimus, sed ipsi etiam Iudæi credere tenentur: siquidem veritas hæc in scripturis veteris testamenti expressè reperitur; quod Hebræi ipsi negare non possunt, si nolint à lege discedere. Primus aduentus debuerat esse cum paupertate, humiliatione, & cum proprij sanguinis effusione: quia primò veniebat ad duos fines: primus fuit virtutes docere verbo, & exemplo: vnde necesse fuit pauperem venire, vt paupertatem edoceret: pati, & humiliari, vt patientiam, humiliationem, cæterasque alias virtutes efficaciùs intimaret. Secundus finis fuit satisfacere pro peccatis nostris, & sic necessarium fuit pro nobis proprium sanguinem effundere; quia ex diuina dispositione sine sanguinis effusione non fieret remissio. Secundus aduentus debet esse cum pompa, & maiestate, cum splendore, & magnificentia; quia secundò veniet ob duos fines. Primus est condemnare sceleratos. Secundus præmia iustis redonare: & sic necesse est, vt cum maiestate Iudicis, & cum magnificentia Remuneratoris veniat.

2. De primo aduentu cum paupertate, & sanguinis effusione expressè loquitur Zacharias in cap. 9. vt iam supra vidimus cap. 4. lib. 3. & hîc ad intentum nostrum breuiter expendemus. Sic enim ait Propheta vers. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ: & disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem: & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem gentibus; & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ: tu*

quoque

quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. In hac prophetia multa dicuntur. 1. Messiam venturum Regem: *Ecce Rex tuus veniet.* 2. futurum iustum, & Saluatorem: *Iustus, & Saluator.* 3. venturum pauperem: *Ipse pauper.* 4. ingressurum super asinam, & successiuè super pullum asinæ: *Ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* 5. in eo primo aduentu belli strepitum, armorumque exercitium omnino auferendum: *Disperdam quadrigam, & equum. Dissipabitur arcus belli. Loquetur pacem.* 6. Messiæ dominium extendendum à mari Mediterraneo vsque ad Oceanum: quia omnibus gentibus dominabitur, quas hæc duo maria complectuntur; & à mari rubro vsque ad mare Palæstinæ; id est, in tota dominabitur Iudæa, quæ illis duobus maribus terminatur. Et à fluminibus, id est, Tigri, & Euphrate, alijsque vsque ad extremos terræ limites, prout etiam dixerat Dauid Psal. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare; & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum.* 7. postquam ingressus sit Messias vrbem cum illo paupere triumpho, effusurum esse sanguinem testamenti, idest, crucifigendum, eiusque pretiosissimum sanguinem futurum esse pretium nostræ redemptionis secundùm pactum, & testamentum diuinum, iuxta illud: *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum,* idest, fideles in perpetuum: *Tu quoque in sanguine testamenti, &c.* 8. Post mortem illius animam descensuram ad inferos ad liberandas animas Patrum ibi vinctas in lacu, in quo aqua non est; idest, iuxta terræ centrum: *In sanguine testamenti emisisti vinctos tuos?* Ex tua natione Patres.

3. Hæc prophetia clarissimè impleta est in Christo IESV Filio Beatissimæ semper Virginis MARIÆ Dominæ nostræ. Constat 1. ex D. Matth. cap. 21. vbi postquàm narrauit Christum ingressum fuisse Ierusalem super asinam, dicit: *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi, &c. Sedens super asinam.* Secundò

tum, deſcenſurum ad liberandas in Inferno vinctas animas Patrum per illum ſanguinem pacti; quod ipſæ ibi detentæ expectabant: totum verò hoc eſt impletum, quando aſcendens in cœlum liberas illas ſecum duxit: vt loquens de hac diuina, & glorioſa Aſcenſione prædixerat Dauid; vt ſupra manet demonſtratum. Denique dicit Propheta dominaturum vniuerſo mundo: & hoc ipſis noſtris videmus oculis regnum, ſeu imperium Chriſti, id eſt, Sanctam Eccleſiam extendi à mari vſque ad mare; à fluminibus vſque ad terminos Orbis terrarum: ergo cùm in hoc primo aduentu hæc omnia ſint impleta in Chriſto IESV, concluditur manifeſtè Chriſtum iam veniſſe in primo aduentu: & ſi adhuc Hebræi non credunt, manifeſtæ veritati opponuntur; & legem, ac Prophetas negant: in æternumque damnabuntur, niſi ad Chriſtianam religionem conuertantur.

5. Eundem aduentum primum ſine pompa, armis, vel exercitu ſignificauit idem Zacharias cap. 4. ſub perſona Zorobabelis ædificantis ſecundum templum, vt typo, figuraque Meſſiæ ædificaturi in primo aduentu templum Dei, ideſt, Eccleſiam. Vbi num. 6. ſic dicit: *Hoc eſt verbum Domini ad Zorobabel, dicens:* Non in *exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus exercituum*. Ideſt, Meſſias Sanctiſſimus figuratus in Zorobabel, quando primò venerit, Eccleſiam fundabit, ideſt, fidelium Congregationem; non armis, & bello, ſed in Spiritu Sancto. Ex his duabus prophetijs, & ex multis alijs ſupra adductis, & infra adducendis conſtat Chriſtum in primo aduentu venire debuiſſe pauperem, manſuetum, humilem ſine externa regalis pompæ maieſtate: quod etiam cum cæteris Rabbinis fatetur Rabbi Salomon in expoſ. huius prophetiæ: prout vidimus ſupra lib. 2. cap. 4. In ſecundo autem aduentu veniet Meſſias, non iam pauper, humilis, manſuetus, ſed terribilis, formidabilis, cum pompa, & maieſtate; cum exercitu militiæ cæleſtis. Ita prædixit Daniel. cap. 7. nu. 13. *Aſpiciebam in viſione noctis; & ecce cum nubibus Cœli quaſi*

filius

filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur, &c. Conferamus modò hanc prophetiam Danielis cum illis duabus prophetijs Zachariæ cap.4.& 9. In illis duabus dicitur Messiam pauperem, ac sine vlla pompa, & sine exercitu venire debere: Daniel autem dicit venturum cum pompa, maiestate, & potestate magna: ergo vel dicendum est prophetias has esse contradictorias, quarum vna necessariò erit falsa; vel dicendum est, eas loqui de diuersis aduentibus; itaut in primo adueniat sine exercitu, & sine pompa; in secundo cum pompa, & maiestate. Ex quo infallibiliter demonstratur duos esse eiusdem Messię aduentus. Primum fuisse iam peractum; secundum verò in fine mundi peragendum, vt prophetiæ, quæ quidem sunt infallibilis veritatis, inter se amico fædere concilientur.

6. Dicunt Hebræi se non hos credere duos aduentus, sed duos Messias; & vnumquemque suo destinato tempore venturum. Et vnum esse filium Dauid, alterum verò filium Ephraim. Resp. id illos dicere, sed illud nec probare; nec vnquam probare posse: siquidem ex Sacris Scripturis vnus tantùm probatur Messias, bis tamen venturus, semel ad saluandum, & redimendum; & iterum in fine mundi ad iudicandum; vt iam satis supra manet probatum, ac explicatum iuxta verum sensum Prophetarum. Et hoc ipsum probatur ex ipsis Rabbinis, qui aliquando vocant Messiam filium Dauid, aliquando autem filium Ephraim; semper tamen dicunt esse vnum tantùm Messiam, & non duos. Et ideo asserunt Messiam filium Ephraim discessurum à filijs Israel; & iterum rediturum, & se illis manifestaturum: vt constat ex libro Tanchuma in expositione Psalmi 125. qui incipit: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, &c.* Vbi sic dicunt Rabbini: *Hoc, quod dicit Propheta, verificabitur in bello Messiæ filij Ephraim: quia quan-*

do ille desinet opem ferre filijs Israel, tuti erunt sicut somniantes, non dormient, non euigilabunt: quando autem redibit ad manifestandum se; exultabunt, & lætabuntur omnes; & tunc agnoscetur vt verus primus eius aduentus, &c. Ex quibus verbis constat Rabbinos tueri vnum tantùm esse Messiam in vtroque aduentu; licèt modò Dauid, modò Ephraim filius appelletur. Et in libro Ialcut in cap. 60. Messias modò vocatur Dauid, modò Ephraim, proindeque ex duobus his nominibus malè inferunt esse duos Messias.

7. Hæc eadem veritas de duobus aduentibus vnius tantùm Messiæ Dei nostri probatur clarissimè ex Isai.c.8.n.13. *Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pauor vester; & ipse terror vester: & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & ruinam habitantibus in Ierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Et subiungitur: *Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam in domo Iacob; & præstolabor eum.* Quibus dicere voluit. O Hebræi, quando in terram vestram venerit Christus vobis promissus, qui verè Deus est exercituum, ipsum sanctificate, id est, cultu latriæ soli Deo debitæ illum adorate pauidi, & reuerentes; ille vos sanctificabit, id est, iustificabit, remittendo peccata vestra per baptismi Sacramentum; omnis enim vestra iustificatio, & sanctificatio ab illo fluit: sed vos vestra cæcitate, & superbia decepti illum tanquam lapidem offensionis, & petram scandali habebitis, minimèque recipietis; & propterea ruina vos, & Ciuitatem vestram Ierusalem miserè opprimet; & sic in vestro laqueo capiemini, in vestro rete intricabimini, dum illi inferetis mortem, moriemini; dispersi eritis; sine Rege, & Republica, sine Deo; & ipse Deus vester faciem suam à vobis abscondet, & auertet; vt eum non agnoscatis. Et mox Propheta sumens personam populi huius derelicti, & suâ culpâ reprobati, ita ait: expectabo Deum Messiam, qui faciem suam abscondit à domo Iacob; illum eundem, qui in primo aduentu

non

non fuit acceptatus, in secundo aduentu erit cognitus; & tunc scient illum ipsum, qui iam se ostendit in secundo aduentu, esse eundem, qui venerat in primo: omnes tunc summâ lætitiâ exultabunt, & illi, qui primo illum receperunt,& attigerant veritatem;& qui in secundo recipient, & suum agnouerint errorem. Hic est germanus prophetiæ sensus: ex quo manifestè apparet vnum tantùm esse Messiam; & credere duos esse apertè hæresim contra Sacram Scripturam, & Prophetas. Nos tamen hîc nolumus tractare de secundo illo aduentu; sed tantùm de primo, & in toto hoc 4. libro demonstrabimus Messiam iam venissè in primo aduentu; quod per capitula sequentia maiori, qua possim, breuitate, & claritate expediam.

CAPVT SECVNDVM.

Proponitur prima probatio contra Hebræos: qua ostenditur Messiam iam venisse.

8. PRima probatio desumìtur ex clarissima prophetia in cap. 49. Genes. n. 10. Vbi Sanctus Patriarcha Iacob cùm vellet significare filijs suis Redemptorem mundi sanctissimum Messiam venturum in fine dierum, vt authorem felicitatis hominum; eos ad se vocando sic prædixit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum; & ad vitem, ò fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam; & in sanguine vuæ pallium suum: pulchriores sunt oculi eius vino: & dentes eius lacte candidiores.* Hæc dixit Iacob filio suo Iudæ; à cuius Tribu Messias descensurus erat: alijs verò vndecim filijs suas particulares tribuit benedictiones; diuersosque euentus prædixit.

9. Itaque Iacob videndo Messiæ promissionem omnium, quas Deus fecerat, & erat facturus, maximam esse, illum esse nasciturum ex MARIA Virgine Sanctissima descen-

ſcendente à Iuda ipſius Iacob filio; cum quo tunc loquebatur; dedit illud ſignum clarum; ne fortè vnus pro alio falsò crederetur, dixitque tunc venturum; quando auferretur ſceptrum de Tribu Iudæ, id eſt, de deſcendentibus Iudæ; & ſceptrum illud non eſſe auferendum, donec veniret Meſſias; qui quidem futurus erat expectatio gentium, & deſiderium Collium æternorum. Hæc prophetia fuit pleniſſimè impleta in Chriſto IESV: nam ille eſt de Tribu Iuda; ſiquidem deſcendebat à Dauid, vt narrat hiſtoria Euangelica Matth. 1. *Liber generationis IESV Chriſti filij Dauid*, qui à Iuda deſcendebat: & hoc ne ipſi Hebræi inficiantur. Deinde, quando Chriſtus venit, ſceptrum Regni ablatum erat à Tribu Iudæ; & translatum ad Herodem alienigenam; vt fatentur Iudæi, & nos ſtatim videbimus: & nunc videmus Hebræos nec Regnum iam habere, nec Scribas; ergo iam veniſſe Meſſiam, & hunc eſſe IESVM Chriſtum negari nullo modo poteſt: ſin minùs, aſſignent Hebræi aliquem, in quo impleta fuit hæc prophetia; aſſignari non poteſt, niſi Chriſtus IESVS, qui eſt de Tribu Iuda, & venit eo tempore, quo defecit ſceptrum de Iuda; & in illo omnia alia, quæ de ipſo Prophetæ prædixerunt, verificantur; vt hucuſque manifeſtè probatum eſt, & inferiùs probabitur: credant ergo in Saluatorem, ſi deſiderant ſalutem.

10. Sed dicunt Hebræi prophetiam eſſe claram, ſi probetur vocem illam *ſceuet* in textu Hebraico poſitam ſignificare ſceptrum; & vocem illam *Mechochec* ſignificare Scribas. Reſp. Hoc facilè probari ex ipſis Rabbinis: nam in libro Rabbot fol. 62. diſtinct. 99. exponendo vocabulum, *ſceuet*, ſic dicitur: *Non auferetur ſceptrum, hoc eſt, ſolium Regni*: atque ita ſecundùm expoſitionem Rabbi Dauid Chimchi, *ſceuet* ſignificat regnum, & dominium; & *Mechochec* ſignificat Scribam; vt videri poterit in libro Radicum verborum in radice *ſceuet*; vbi exponendo ſic dicitur: *Rex, & Dominator dicitur* ſceuet, ideſt, *ſceptrum, quia Reges tenere in manu ſceptrum conſueſcunt*. Et citat locum allegatum:

& in radice Chacac afferendo multa exempla simul cum prædicto textu, dicit sic: *Omnia hæc vocabula significant Scribam: & sic exponendum versiculum, & dux, siue scriba de femore eius.*; idest, Scriba de pedibus eius: quia mos est Dominatores habere ad pedes suos, id est, apud se Scribas: & ita id exponit Targum, id est, Paraphrasis Caldæa. Erant autem Scribæ Doctores quidam appellati ab Hebræis Sanhedrin: quos prima vice elegit Moyses, vt & causas, litesque inter populum exortas diiudicarent, legemque explicarent, & res difficiles deciderent: qui Doctores non solùm habebant authoritatem regendi populum, viuente Rege; sed etiam rege non existente, illorum authoritas statuta, firmaque permanebat; & in vno templi loco residebant appellato Camera iudiciali; vbi iudicabant causas; nec poterant iudicare, nisi simul essent ibi congregati; prout legitur in Thalmud in tractatu Sanhedrin.

11. Igitur voluit etiam dicere Iacob non auferendam esse authoritatem, potestatemque ab istis Sanhedrin, seu Scribis, aut Doctoribus Regi assistentibus, quamdiu non venisset Messias: restat modò probare, hanc illis potestatem fuisse sublatam, quando Christus venit. Probatur facilè ex ipso Thalmud in tractatu Sanhedrin in cap. quod incipit: *Erant quærentes*, & similiter in tractatu Harcodazara in eo capite, quod incipit: *Ante illorum festa*. Vbi sunt hæc verba fideliter translata: *Quadraginta annis ante ruinam templi sublati fuerunt Sanhedrin ex Camera iudiciali*, scil. *ex loco illo, vbi congregabantur; quando iudicare volebant*. Igitur fuit sublatum prædictum tribunal, quando Christus venit, mundumque sua passione redemit: nam Christus crucifixus fuit 40. annis antè, quàm templum destrueretur. Hinc est, quòd quando dominium illud amisère, vestiti sacco effusas inter lacrymas hæc dicebant: *Væ nobis, quia defecit à Iuda sceptrum Regni, & Filius Dauid adhuc non comparet: nobis conuenit præ dolore sacco caput obtegere; vt impleatur dictum Prophetæ Amos* cap. 8. num. 9. & 10. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet*

Sol

Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis: & conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium. Cognoscebant ergo illud esse tempus, in quo venire deberet Messias, & in planctum soluebantur; quod non facerent, si adhuc tempus veniendi scirent non adesse. Sed obcæcati Iudæi cur non attendunt ad integram prophetiam Amos? Ecce Propheta dicit duo. Primum, Christi veri Solis iustitiæ occisionem *in meridie, & tenebras in vniuersa terra mox secutas*. *Occidet Sol in meridie: & tenebrescere faciam terram in die luminis*. Quod verificatum est in Christo crucifixo in meridie, & mox tenebræ sunt factæ in vniuersa terra, vt constat ex historia Euangelica. Secundum, quòd ipsi Hebræi obtecturi essent sacco caput suum præ dolore ablatæ potestatis ex Scribis, & Doctoribus tribunalis Sanhedrin, vt ipsi fatentur. Si ergo Propheta in eadem prophetia dicit hæc duo, scil. Christi aduentum, dum eum prædicit occisum; & tristitiæ saccum in Hebræis ob sublatam potestatem à Scribis; cur credunt hoc secundum, & non credunt primum? Igitur manifestè patet impletam fuisse tunc prophetiam tam Iacob, quàm Amos; dum in aduentu IESV Christi defecit sceptrum Regni, & potestas Sanhedrin, siue Scribarum.

12. Alio testimonio probat Iosephus Hebræus, & alij Authores tempore Christi IESV defecisse sceptrum Regni Iudæ, & potestatem Scribarum tribunalis Sanhedrin, dicentes Herodem Ascalonitam, qui genitus fuerat ex Patre Idumæo, & Matre Araba, ideoque alienigenam, occidisse omnes Machabæos, & Scribas Regi assistentes; vt Hebræis tolleret omnem spem recuperandi sceptrum Iudæ, & dominium scribarum Sanhedrin; relicta tantùm vna virgine ex illo sanguine regio pulchra nimis; intendendo illam ducere vxorem; quæ tandem se de vna fenestra præcipitauit; ne cum illo alienigena se commisceret; atque ita sceptrum Iudæ, & Scribarum dominium sublatum est. Ita le-

legitur in Thalmud in tractatu Baccabathra in capite illo, quod incipit. *Harei vittasin*, & in hoc tempore venit Christus, sicut fuerat prædictum à Patriarcha Iacob: ergo Iudæi hanc perfidè, stultèque negant veritatem; cùm ex hac clarissima prophetia iam venisse Messiam, & esse Christum IESVM liquidò constet, quod etiam reliqua prædictæ prophetiæ verba confirmant: *Ipse erit expectatio gentium*, idest, fidelium, qui ex gentilitate ad fidem conuersi sunt; & illum in secundo aduentu venturum expectant in fine mundi, iuxta illud: *Et iterum venturus est iudicare viuos, & mortuos*: & in illo sperant æternam gloriam in Cœlo possidendam. *Ligans ad uineam pullum*, idest, ad Ecclesiam, quæ dicitur vinea, iuxtà illud: *Ite & vos in vineam meam*. *Pullum suum*, idest, populum Gentilem; qui filius dicitur Synagogæ, quam per asinam significat; & ideo dicit; *Et ad vitem*, idest, Christum, qui vitis dicitur, iuxta illud: *Ego sum vitis, & vos palmites*. *Asinam suam*, idest, Synagogam; quia Ecclesia non solùm formata fuit ex gentibus conuersis ex Gentilismo, sed ex Hebræis conuersis ex Iudaismo: & idcirco, vt iam supra adnotauimus, Christus intrauit in Ierusalem Rex pauper, & mansuetus, sedens super asinam, & super pullum eius; quia per asinam, vt dictum est, significabatur Synagoga; ex qua per semen spirituale fidei genitus fuit populus gentilis in populum fidelem. *Lauabit in vino stolam suam; & in sanguine vuæ pallium*, idest, sanguine Eucharistico lauabit Ecclesiam, quæ dicitur vestis Christi. *Pulchriores sunt oculi eius vino*; oculi Christi vigiles sunt Apostoli, & Episcopi, quorum doctrina multò efficacior est vino. *Dentes eius lacte candidiores*. Dentes sunt prædicatores Euangelici, & Sacri Expositores quodammodo masticantes durum fidei cibum, vt cibum filijs spiritualibus in fide adhuc tenellis accommodent; pascanturque puritate doctrinæ multò candidioris lacte. Vides, quàm sit accommodata Christo prophetia Patriarchæ Iacob.

13. Hac prophetia conuicti Iudæi, ne veritati manife-

stæ

stę succumbant; prophetię illi adeò clarę de Christo aliquas falsissimas quidem, ac ridiculas exhibent solutiones: dicuntque prophetiam loqui de Rege Saule; in illoque fuisse impletam: & intelligendam esse prophetiam, in hunc sensum: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Saul vnctus in Silo*. Et tunc defecisse sceptrum de Tribu Iudæ, & fuisse translatum in Tribum Beniamin; de qua Tribu erat Saul: ergo prophetia non loquitur de Messia, sed de Saule; in illoque fuit impleta. Respondetur hanc Hebræorum expositionem esse prorsus vanam, & sine vllo fundamento excogitatam ad obnubilandam veritatis lucem, quæ seipsâ has nubeculas omnino discutit: nam textus non dicit: *Donec veniat vnctus in Silo*; sed *donec veniat Silo*; qui quidem est locus quidam immobilis: quomodo igitur potuisset dicere; donec veniret locus immobilis; qui eo ipso venire non potest: loquitur ergo de Messia, qui etiam ex ipsis Rabbinis appellatur Silo, vt infra videbimus. Deinde expositio illa Iudæorum manifestè apparet falsa: siquidem Saul non fuit vnctus in Silo: Arca enim tempore Saulis non erat in Silo, cùm antequam Saul esset electus Rex, & antequam vlla de Saule fieret mentio, Arca includens oleum ad vnctionem pro Regibus, & Sacerdotibus translata fuit in Chiriath Iegharim; & inde in Domum Abinadab in Gabaa, vt legitur in Samuel. lib. 1. cap. 7. *Venerunt ergo viri Chariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in Domum Abinadab in Gabaa*. Vbi stetit semper, donec Dauid fuit confirmatus Rex; qui illam de domo Abinadab transtulit in Ierusalem; vt constat ex lib. 2. Samuel. cap. 6. n. 3. *Et imposuerunt Arcam Dei super plaustrum nouum, tuleruntque eam de Domo Abinadab, &c.* Vnde sic conuincitur falsitas expositionis Rabbinorum illorum: non poterat Saul vngi nisi ex oleo seruato in Arca: Arca non fuit in Silo, quando Saul fuit Rex: ergo non fuit vnctus in Silo; & consequenter, quando Iacob prædixit: *Donec veniat Silo*, non potest intelligi hic sensus: *Donec veniat Saul vnctus in Silo*. Deinde

primus

primus Rex de Tribu Iuda fuit Dauid: Saul fuit priùs Rex, quàm Dauid, vt constat ex lib.Regum: quomodo ergo potuit dicere Iacob non auferendum esse Regnum de Tribu Iuda, antequam veniret Rex Saul; si primò datum fuit Regnum Tribui Iuda, postquam Saul fuit factus Rex?

14. Hebræi hac ratione conuicti, propter odium in Christum IESVM, ad aliam expositionem non minùs falsam confugiunt, & dicunt; debere intelligi prophetiam Iacob: *Donec veniat Silo*, idest donec veniat finis illius loci Silo appellati; & sic prophetiam Iacob impletam fuisse in Dauid: quia quando regnauit Dauid, finitus fuit ille locus Silo, vt constat ex Psal.77.num.60.*Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus.* Ita Dauid Rabbi Chimchi, cuius expositio si esset vera, oporteret, quòd tunc, quando finitus fuit ille locus, finiretur etiam sceptrum in Tribu Iuda; ille autem Dauid in eo Psalmo dicit; tunc incepisse Regnum Iudæ. Potuitne Regnum Iudæ eodem finiri tempore, quo incepit? Quis non videat hanc stultam, vanamque Rabbini illius explicationem, seu potiùs implicationem? Sed qui ex industria vult fugere veritatem, ex industria vult incidere in errorem: & tanto odio habent Saluatorem, vt malint perfidi Iudæi in errore comprehendi, quàm ad credenin illum veritati assentiri.

15. Alij Hebræi confugiunt ad aliam expositionem non minùs fatuam: dicuntque prophetiam loqui de Ieroboam; in illoque fuisse impletam: quia Regnum Iuda translatum fuit in Ieroboam, qui non fuit de Tribu Iuda, sed de Ephraim. Hæc tamen expositio est omnino falsa: quia tunc non fuit ablatum sceptrum à Tribu Iuda: siquidem quando 10. Tribus ad Ieroboam per rebellionem defecerunt, adhuc Regnum permansit in Tribu Iuda, scil.in Roboam filio Salomonis, & in Tribu Iudæ semper fuit vsque ad transmigrationem Babylonis; & Babylone erant illi Sanhedrin, idest, Assessores Scribæ, qui erant de Tribu Iudæ, & semper conseruabantur ibi descendentes à Regia

stirpe,

ſtirpe, à quibus Meſſias debebat naſci, & propterea Domus illa Iudæ ſemper fuit Deo maximè grata, & plùs fidelis: & poſt transmigrationem Babylonis vſque ad aduentum Chriſti IESV ſemper Regnum in Tribu Iudæ perſeuerauit: & ſolùm, quando Chriſtus venit, Regnum ablatum fuit à Tribu Iudæ: non ergo impleta fuit prophetia in Ieroboam: quomodo enim poſſunt dicere Ieroboam eſſe Silo, illumque fuiſſe deſideratum à cunctis gentibus, & illarum expectationem fore? Item congregatas ad illum fuiſſe omnes gentes, & populos? totum verò hoc fuit impletum in Chriſto, & minimè in Ieroboam: cur ergo detorquent Hebræi prophetiam ad ſenſum ridiculum, & prauum; & non potiùs ad verum, planum, & inconcuſſum?

CAPVT TERTIVM.

Aliæ falſæ expoſitiones Rabbinorum refelluntur.

16. ALiqui Hebræi aſſerunt prædictam prophetiam Patriarchæ Iacob intelligi debere de Rege Nabuchodonoſor, qui ſuſtulit Regnum à populo Hebræo, Regemque Sedechiam cum omnibus ſuis liberis occidit; qui Rex Sedechias erat de Tribu Iudæ: atque ita, inquiunt, ex tempore illo ad eos vſque dies nullus de Tribu Iuda regnauit in Iudæa: iſta expoſitio eſt omnino falſa, & homine rationis capace indigna. Primò, quia quo pacto accommodant Regi illi infideli, quòd ſit expectatio omnium Nationum, colliumque æternorum deſiderium; & quòd ad illum barbarum Regem omnes Nationes confluerent? Quis hoc legit de Nabuchodonoſor, & tamen hoc Patriarcha Iacob de illo Meſſia clarè prædixit. Secundò, quia, Sedechia Rege occiſo, eiuſque liberis; non ideo Scribarum dominium ſublatum eſt: hi quippe, Rege Nabuchodonoſor permittente, adhuc in captiuitate dominium illud exercebant; vt legitur in Thalmud in tractatu Sanhedrin cap. Iudicia dandi, & habendi. Vbi ſic exponunt prædictam

dictam prophetiam: *Non auferetur sceptrum, &c. Isti sunt capita illa captiuorum in Babylone;* quæ dominabantur Israeli cum sceptro; *Dux de femore eius, &c. isti sunt filij Hillel, qui legem ibi publicè docebant.* Quæ verba magis declarat Rabbi Salomon sic dicens: *Sceptrum significat dominationem: & hi dominantes potestatem habebant in publico tribunali causas liberè iudicandi. Dux, siue Scriba erat potestas inferior; & erant illi, qui regendi plebem à Rege Persarum licentiam obtinuerant. Filij filiorum Hillel Principes erant.* Hactenus Rabbi Salomon. Principes autem, quos ipse vocat capita in captiuitate, fuerunt Zorobabel, eiusque successores: & Princeps ille, qui fuit in Israel, fuit Matathias: Machabæi verò, filijque Hillel fuerunt Sanhedrin. Et hi, vt iam supra vidimus, dominium habuere vsque ad tempus Herodis Ascalonitæ, quo tempore venit Christus. Item Paraphrasis super Cantica in illo versiculo: *Dilectus meus descendit in hortum suum;* exponit illud; vt intelligatur Deum descendisse in Babylonem ad Scribas Sanhedrin, & populo suo solatium regiminis attulisse: ex quo liquet dominium Sanhedrin Babylone adhuc perseuerasse. Imò post transmigrationem Babylonis populus Hebræus ad Herodis vsque tempus semper fuit gubernatus à Principibus de Tribu Iudæ; siquidem Zorobabel, qui post transmigrationem clauum tenuit in Iudæa, fuit de Tribu Iudæ: quomodo ergo impleta fuit prophetia in Nabuchodonosor; si nec eius tempore, nec etiam multò post, non cessauit dominium Scribarum Sanhedrin de Tribu Iuda; & prophetia apertè dicit, tunc esse implendam, quando & sceptrum Regni, & dominium cessauerit Scribarum de Tribu Iudæ? imò si tempore Nabuchodonosor sceptrum illud, & Scribarum dominatio de Tribu Iudæ cessauisset; oporteret tunc venisse Messiam; sicut dicit Propheta: hoc autem nec ipsi perfidi Iudæi dicunt; siquidem adhuc illum sperant; nec apparet ex scripturis, nec ex aliquo facto, vllum tunc venisse, qui posset dici Messias, & cui, quæ de Messia Prophetæ dicunt, applicari possint.

17. Quod

17. Quòd autem Zorobabel, qui post transmigrationem regnauit in Iudæa, fuisset de Tribu Iudæ, constat ex Propheta Aggæo cap. 1. Vbi vocat Zorobabel filium Salatiel Principis Iudæ; soli autem de Tribu Iudæ descendentes poterant esse Principes Iudæ. Si ergo Regni sceptrum, & dominium Scribarum tempore Nabuchodonosor non fuit omnino sublatum de Tribu Iudæ, vt euidenter manet ostensum, sequitur euidenter in tempore Nabuchodonosor prophetiam illam non fuisse impletam. Alij ex Hebræis asserunt prophetiam prædictam intelligi de Dauid: quia, inquiunt, Silo significat vnctum, & Dauid fuit vnctus; alij verò loqui de Moyse, & nullo modo de Messia. Sed quàm vanè, & stultè sic exponant prophetiam, patet primò: quia si loqueretur de Dauid, aut de Moyse, oporteret, quòd tempore Dauid, & Moysis cessaret sceptrum Iudæ: quomodo autem potest dici tunc cessasse; si primò incepit Regnum Iudæ tempore Dauid, & nondum inceperat tempore Moysis? Igitur horum Hebræorum expositio prorsus vana est, & ridicula.

18. His reiectis expositionibus; quidam Rabbi Ioseph octo adducit expositiones in prophetiam Iacob non minùs friuolas, & ridiculas. Prima est: per sceptrum Iuda intelligi præcipua capita Iudæorum, seu Principes; qui adhuc Babylone viuunt; proindeque prophetiam nondum esse impletam; nec adhuc venisse Messiam, sed veniet, quando cessauerint illa prima capita, & Principes de Tribu Iuda, qui adhuc Babylone conseruantur. Si hæc expositio esset vera; ad quid tantùm desudarent alij Rabbini quærendo mille solutiones, & subterfugia pressi illius prophetiæ clarissima veritate? quia tamen iudicant illam prædicti Rabbini expositionem fatuam omnino esse; ideo quotidie varias accumulant solutiones, in quibus semper vacillare videntur. Deinde si iam non est Babylon, quomodo illi Principes gubernantes sunt Babylone? Quòd verò sit omnino destructa Babylon, constat ex Isai. 13. num. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in Regnis, sicut subuertit Domi-*

 nus

nus Sodomam, & Gomorrham, non habitabitur vsq; in finem, & non fundabitur vsque ad generationem, & generationem; nec ponet ibi tentoria Arabs; nec pastores requiescent ibi; sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus. Hæc prophetia ex multis sæculis est iam impleta, vt fatentur ipsi Doctores Hebræi antiquiores; & omnes historici dicunt, iam Babylonem illam antiquam esse omnino destructam: quomodo ergo sunt Babylone nunc, si nunc iam non est Babylon? imò si nunc essent Principes de Tribu Iudæ sceptrum, dominiumque tenentes, omnes Hebræi illuc confluerent. Præterea non videmus nunc impletam prophetiam Oseæ, de qua supra, dicentis populum Hebræum futurum esse multo tempore sine Rege, & Principe; quod impletum est, quando per Titum Ierusalem fuit deuastata, & expugnata Iudæa, Iudæique dispersi sine Rege, & Principe, sicut prædixerat Propheta? imò etiam ante hanc destructionem iam dominium Scribarum Sanhedrin fuerat sublatum; vt ipsi flentes confitebantur Hebræi, prout supra vidimus. Igitur vana est hæc prima expositio, siue responsio.

19. Secunda illius Rabbini expositio: *Non auferetur sceptrum, &c.* id est, inquit hîc Rabbinus: *Quamdiu hic populus habeat Regem; Rex iste semper erit de Tribu Iudæ; non vult autem dicere Propheta, venturum esse Messiam; quando hic populus non habeat sceptrum, aut dominium: vnde licèt nunc Populus hic iam non habeat sceptrum, & Regni dominium, non inde sequitur Messiam iam venisse. Solùm enim veniet, quando sceptrum transeat ad aliam Tribum.* Hæc expositio est falsissima, & ineptissima. 1. quia si esset vera, solùm posset impleri prophetia Iacob, & venire Messias, quando sceptrum transiret ad aliam Tribum diuersam: hoc autem est contra ipsos etiam Rabbinos, qui dicunt Messiam futurum Regem de Tribu Iudæ; & est manifestè contra ipsosmet Prophetas; qui dicunt Messiam futurum ex Domo Dauid. Sic Isaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, &c.* Et Ieremias cap. 33. num, 15. *In tempore:*

pore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Et omnes Hebræi, & Prophetæ dicunt Messiam regnaturum esse, non in regno ex hoc mundo; sed cùm sit Deus, eius regnum futurum esse æternnm, vt ait Daniel.cap.7. num.27. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi; cuius regnum, regnum sempiternum est; & omnes Reges seruient ei, & obedient.* Quomodo ergo, quando venerit Messias, qui erit de Tribu Iudæ iuxta scripturas, transferendum est regnum in aliam Tribum; si regnum est dandum Messiæ, non vt regnet per certum tempus, vt regnant Reges huius mundi, sed in perpetuum; vtpote qui non solùm est homo, sed Deus etiam? 2. Falsa est expositio, dum dicit, populum Hebræum, aut debere esse sine Rege; aut si habeat Regem; semper debere esse de Tribu Iuda: falsum, inquam, hoc est absolutè: nam Saul fuit Rex populi Hebræi, & tamen fuit de alia Tribu, scil. Beniamin, vt constat ex scriptura. Sensus igitur illius prophetiæ Iacob est: quando deficiet sceptrum Iudæ, & Scribarum dominium, tunc venturum esse Messiam: & sic iam venit Messias Christus IESVS; qui venit, quando Herodes Ascalonita Idumæus vsurpauit Regnum Israel; & Scribarum dominium omnino defecit, vt supra vidimus.

20. Tertia expositio prædicti Rabbini ita habet: *Non auferetur sceptrum de Tribu Iudæ, &c.* Vult, inquit, indicare: *Non florebit Imperium Iudæ, donec destruatur Tabernaculum Silo; & ideo, vbi primùm illud tabernaculum Silo fuit destructum; mox Samuel vnxit Dauid in Regem*; vt dictum est Psal.77. *Et repulit tabernaculum Silo.* Et subiunxit: *Et elegit Dauid seruum suum.* Vnde infert prophetiam impletam fuisse in Dauid; & non loqui de Messia. Non potuit excogitari plùs fabulosa, & ridicula expositio. 1. quia quòd non possit prophetia in Dauid impleri, supra iam manet ostensum. 2. quia, quæ subiungit Iacob in eadem prophetia, soli Christo, & non Dauid possunt applicari; siquidem de solo Messia potest dici, quòd sit gentium

expectatio, ac desiderium collium æternorum; quòd omnes gentes in illius obsequium congregabuntur; vt fiat vna Messianorum, id est, Christianorum congregatio; quæ est Ecclesia Christi illum sequens, & vt suum Regem adorans; quæ omnia de Dauid dici nullo modo possunt. 3. quia illa significatio, quam mendax ille, & falsus Rabbinus apponit, seu confingit verbo sacri textus, *diuidi*, *excidi*, *vel auferri*, in nullo dictionario Hebraico reperietur, vt significet florere: quare exemplum, quod ille portat ex Ierem.cap.2.num.10.non significat florere, sed ramos, qui à vite amputantur, ac diuiduntur: nam, vt bene ait Rabbi Dauid Chimchi, alijque Grammatici Hebræi in lib. significationum verborum in radice Sur; textus ab illo Rabbino adductus ex Ierem.d.c.2. non significat florem, sed ramum ex vite excisum, ablatum, seu amputatum. Deinde si sic intelligeretur textus: *Non florebit Imperium*, deberet dici, non florebit Imperium Iudæ in genitiuo; & non de Iuda in ablatiuo; dicitur autem de Tribu Iuda, seu de Iuda, & sic fit sensus rectus; *non excidetur, seu amputabitur, aut auferetur sceptrum de Tribu Iuda, donec, &c.* Quartò, quia illud vocabulum, quod in textu sumit ad significandum *destruere*; nunquam, & in nullo dictionario inuenitur pro ea falsa significatione; sed pro significatione aduentus; & ita bene à Sanctis Patribus ponitur; ad significandum: *Donec veniat, qui mittendus est*; nec Silo ibi sumitur pro loco; aliter ineptissimus fieret sensus Prophetæ: neque enim ille locus poterat esse expectatio, & desiderium gentium, neque ad illum congregarentur omnes populi: vnde relicta hac ridicula huius Rabbini explicatione, ad quartam transeamus expositionem.

21. Quarta expositio eiusdem Rabbini est, vt legendum sit: *Non perueniet sceptrum Iudæ, donec vastetur Silo: atque vt sic*, inquit hic Rabbinus, *iam fuit impleta prophetia illa in Dauid: nam post destructionem Silo, fuit Dauid de Tribu Iudæ descendens electus: vnctusque Rex Iudææ: & nullo modo prophetia loquitur de Messia: proindeque Christiani ex*

ista

ista prophetia nihil colligunt pro sua Religione tuenda. Hæc stultissima expositio tertiæ supra reiectæ valde affinis est; & ideo ijs rationibus, quibus tertia fuit reiecta, hæc quarta reijcienda est; non enim reperitur dictionarium, nec grammaticus vllus Hebræus, qui talem significationem sic oppositam illi textui adpropriet: vnde, si vnusquisque pro suo libito potest mutare verba scripturæ; illaque ad sensus sibi liberos detorquere; nihil certi haberemus in scriptura; sed quando illa affirmat, nos negare; & quando illa negat, nos affirmare possemus: vnde ex hac sola ratione, hæc monstrosa huius Rabbini expositio non solùm à codicibus, sed à cogitatu procul est ablegenda: & potiùs risu exsibilanda; quàm responsione vllá, aut argumento refellenda. Nihilominùs, dato quòd verba illa textus possent admittere illam significationem; quo pacto id cohærere posset cum cæteris, quæ apponit Propheta? nunquid Dauid fuit expectatio omnium gentium? ad illum fuerunt congregati omnes populi? Deinde facta ista enormi corruptione Sacræ Scripturæ per hunc audacissimum, & temerarium Rabbinum, nullo modo potest cohærere eius deprauatus sensus, quin apertè contradicatur alijs scripturis: nam falsum omnino est id, quod dicit, nimirum Dauidem fuisse admissum ad sceptrum Regni simul ac fuit Silo destructa; siquidem priùs regnauit Saul post destructam Silo; vt constat ex Samuel. cap. 4. 5. & 10. ex quibus manifestè patet, quàm falsa sit hæc quarta expositio.

12. Quinta eiusdem Rabbini expositio est; vt non debeat poni ea vox, *gbad*, quæ significat, *Donec*; sed ista: *bade bad*; quæ significat, in æternum. Et tunc debet legi sic: *Non auferetur sceptrum de Tribu Iuda in æternum; quia veniet Messias*. Vnde, inquit, licèt de facto Tribus Iudæ sine sceptro Regni sit; non semper, & in æternum erit sine sceptro; quia veniet Rex Messias, qui descendens de Tribu Iudæ sceptrum tenebit. Hic Rabbinus vtitur paraphrasi Caldæa, quæ sic habet: *Non auferetur sceptrum de Tribu Iudæ in æternum, nec Scribæ de filijs filiorum eius, donec*

veniat Messias, quæ versio verum continet; ille tamen mendax Rabbinus, vt textum ad sensum, quem vult ipse, detorqueat; tollit vocem *ghad*, id est donec; & tunc non fiet vllus sensus, nisi addat causalem, *quia*; & mutet tempus verbi, de *veniat*, in *veniet*. At sicut pro suo libito temerè, & audacter mutat sacrum textum, ita falsum sensum apponit: vnde talis expositio ipsâ suâ falsitate conuincitur, & refellitur. Ecce quales Doctores, seu potiùs Sacræ Scripturæ corruptores habent miseri Hebræi: vt relicta luce clara, tenebras quærant, vt tandem mittantur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium; & gentes, quæ luce Sacræ Scripturæ acceptâ Christum amplexę sunt, ad cęleste Regnum feliciter admittantur; prout Saluator noster dixit Matth. 8. de illis Hebræis ad suos discipulos loquens: *Dico autem vobis: quia multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iacob in Regno Cœlorum: filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium*. Ponamus tamen huic Rabbino, quòd legendum sit ita: *Non auferetur Regnum in æternum, quia veniet Messias*, prout legit Targum; certè clarissimè inde deducitur aduentum Messiæ causam fore, cur Regnum in Tribu Iudæ in æternum sit permansurum: sed iam à plùs mille sexcentis annis Tribus Iudæ absque Rege est: ergo si, quando Regnum fuit ablatum ex Tribu Iudæ, Christus IESVS, qui quidem de Tridæ est, non est ille à prophetia promissus Messias, prophetia vana fuit; & solùm vera erit in Christo IESV, qui homo est, & post resurrectionem iam immortalis, & est Deus æternus: proindeque solùm vt sic Regnum poterat esse æternum; si enim immortalis non esset, ac æternus, sed sicut alij Reges mortales, & non æterni; quomodo eius Regnum esset æternum? Deinde si Christus IESVS non est Messias in ea prophetia promissus, non potest etiam prophetia in altero verificari: quia iam hodie Tribus Iudæ cum alijs confusa est; itaut qualis sit Iudæ, & qualis non, ipsis etiam nunc fatentibus, prorsus nesciatur: quomodo

ergo

ergo sciri poterit Messiam ex Tribu Iudæ nasciturum, si iam qualis sit Tribus Iuda, nescitur? Christum autem esse de Tribu Iudæ, nec ipsi Iudæi negant. Igitur etiam sequendo versionem Targum: *Non auferetur sceptrum de Tribu Iudæ in æternum, &c. quia veniet Messias*; prophetia illa in Christo JESV, qui Deus æternus est, verificatur. Quomodo enim Regnum euadet æternum; quia veniet Messias, si Messias non esset Rex æternus? cognouit ergo Targum Messiam Deum esse æternum; & concordat cum Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, &c.* Præterea dicit Propheta Messiam fore de Tribu Iudæ: si verò iam hodie Tribus Iudæ cum aliis Tribubus ita est confusa, testibus ipsis Hebræis, vt iam cognosci, distinguiue nequeat: quomodo Messiam iam hodie sperare poterat de Tribu Iudæ nasciturum? Igitur vel credere debent Messiam iam venisse, & esse Christum IESVM; vel Messiæ spes omnis illis sublata est.

23. Sexta expositio eiusdem stulti, temerariique Rabbini ita est: vt vox *ghad*, quæ significat, *donec*, ponenda sit in significatione, quam habet hæc vox Caldæa *ghiddan*, quę significat tempus: & sit legendum sic: *Non auferetur sceptrum in tempore, quo veniet Messias*: ex quo infert; licèt nunc deficiat sceptrum; quando tamen Messias venerit, sceptrum Regni restituetur Tribui Iudæ. Hæc expositio falsa omnino est, & mera Sacræ Scripturæ corruptio, verique sensus deprauatio; & ideo penitus reijcienda. 1. quia apud Hebræos vox *ghad* nullo modo tempus significat. 2. quia si ibi tempus significare vellet, oporteret expungi illam dictionem, *Chi*, in textu positam; quæ iuncta cum dictione antecedente, *ghad*, fit donec, prout legitur in sacro textu, & tunc iam posset fieri sensus, quem falsò vult ignorantissimus expositor, seu potiùs impostor; quin sacer textus corrumpatur. 3. quia vanè, & stultè ait debere poni dictionem Caldæam *ghiddan* significatiuam temporis in textu Hebraico: quasi hoc foret propter inopiam linguæ Hebraicæ: nam si Sacra Scriptura tempus significare voluis-

luisset in sensu illius Rabbini, posset vti vocabulo Hebraico *zeman*, & *gheth*, quæ tempus significant; & non esset illi opus emendicare vocem alienam: deinde si vellet scriptura vti voce Caldæa, vteretur certè voce Caldæa propria *hiddan*, temporis significatiua; & minimè poneret vocem Hebræam loco Caldææ. Ex quibus manifestè patet falsitas illius sextæ expositionis, procedamus ad septimam.

24. Septima expositio illius Rabbini est, vt per sceptrum non intelligatur dominium Regni, sed intelligatur virga, id est, flagellum captiuitatis, & fiat hic sensus; *Non cessabit flagellum captiuitatis, donec veniat Messias*: ex quo infert perditissimus Nebulo adhuc Messiam non venisse; siquidem adhuc persistit flagellum captiuitatis, in qua sunt exules à patria, & per nationes alienas miserè dispersi: quando autem venerit Messias, in æternum cessabit flagellum. Quid inanius, & stultius, quàm hoc istius Rabbini deliramentum? Nam si ita foret, oporteret, quòd à puncto prolatæ prophetiæ non cessaret hoc captiuitatis flagellum, vsque ad tempus aduentus Messiæ: hoc autem est falsissimum: siquidem flagellum captiuitatis in Ægypto finem habuit: & postquam reuersi sunt in terram promissionis, vbi omnia huius vitæ bona possederunt, adhuc Messias non venit. Deinde fuerunt iterum flagellati in captiuitate Babylonis; in qua 70. annis seruierunt; & hoc finito tempore regressi sunt in Ierusalem liberi; & per multa sæcula cessauit captiuitatis flagellum; & tamen Messias non venit; igitur mendax est hæc Rabbini expositio. Nec potest dicere se loqui de omnimoda cessatione flagelli; itaut ampliùs non sit flagellum; at verò prima cessatio flagelli non fuit perfecta: quia iterum venit secunda flagellatio Babylonica: & hæc secunda non fuit perfecta; quia venit tertia flagellatio Romana, in qua nunc sunt ab annis 1600. & vltra per Titum, & Romanos eiecti à Iudæa, per omnes mundi Nationes dispersi, subiectique principibus alienis; & solùm veniente Messia, cessabit hæc persecutio, captiuitas, & flagellatio. Non potest, inquam, hoc dicere: nam

si ita

si ita foret, potiùs aduentus Messiæ esset signum cessationis flagelli; quàm cessatio flagelli signum aduentus Messię: hoc autem est manifestè contra sensum prophetiæ: nam sensus prophetiæ est, vt priùs auferatur sceptrum, vt ex ablatione sceptri cognoscatur tanquam ex signo certo, & infallibili venisse Messiam, & hoc signo directi Hebræi non deciperentur recipiendo Pseudo-Christum pro vero Christo, & Messia: ergo si sceptrum hîc intelligendum est pro flagello, necesse est, vt priùs auferatur flagellum, vt postea intelligatur venisse Messiam; hoc verò signum non fieret certum, & infallibile; nam supponamus, quòd his temporibus Iudæi restituerentur ad suam pristinam libertatem, & Rempublicam iam dominantem per Regem proprium, & Scribas, vt antea; adhuc liberatio à captiuitate, sublatioque flagelli non esset signum, quòd venerit Messias; quia possent dubitare, sicut in prima liberatione, & in secunda non venit Messias, sic etiam non venisse in tertia, & sic in infinitum: ergo nunquam haberent certum, & infallibile signum aduentus Messiæ; quod est contra intentum Patriarchæ Iacob volentis dare certum, & infallibile signum, ex quo infallibiliter cognosceretur aduentus Messiæ: ergo in hac prophetia ablatio sceptri non potest intelligi pro ablatione flagelli; & consequenter expositio istius Rabbini prorsus vana est;& sacro textui omnino aduersa.

25. Tandem quia sequentia verba prophetiæ, verbi gratia, *Dux*, seu Scriba; vel principes, & prima capita; de femore eius, id est, de filijs filiorum eius, verè intelliguntur de Scribis, & Principibus dominantibus; vt ipsi Hebræi, & etiam ipse, in hoc non stultus Rabbinus, intelligunt: ergo etiam sceptrum de vero sceptro Regni, & de Rege, & non de flagello intelligendum est; aliter vanus esset sensus prophetiæ: sic enim fieret sensus. Non cessabit flagellum, nec cessabunt Principes de Tribu Iudæ, donec veniat Messias: qui sensus est falsus, si huic interpretationi adhæreat: nam iam dominium Scribarum cessauit,

 sauit,

sauit, & Principes Iudæ non dominantur, vt omnes vident, & ipsi Hebræi plorant; & tamen dicunt Messiam adhuc non venisse: ergo vel prophetia fuit falsa; vel illa expositio omnino falsa est: prophetia non potest esse falsa; aliter Deus, qui est essentialiter verax, falsum loqueretur per suos Prophetas; quod dicere, est enormis blasphemia: ergo illa expositio vanissima, & falsissima est. Quòd si multò stultiùs velit exponere; vt per Principes dominantes intelligatur etiam flagellum, ac tribulatio captiuitatis, vt subsequentia verba prophetiæ antecedentibus cohæreant, sibi ipsi aduersatur iste egregius expositor: quia tunc fieret hic sensus: est tribulatio, quando cessat sceptrum; tribulatio est, quando non cessat sceptrum: quomodo autem potest sustineri, vt vera, hæc propositio; tribulatio captiuitatis est, quando Iudææ nullus est Princeps; tribulatio captiuitatis est, quando Iudææ aliquis est Princeps dominans, & regens, qualem dicit esse Scribam dominantem? Vides in quas angustias redigatur falsus ille Rabbinus falsa sua, & prorsus inepta, ridiculaque expositione!

26. Octaua, & vltima expositio istius Rabbini est ista: *Non deficiet dignitas, scil. hoc, quod est primum locum tenere in Tribu Iudæ, donec veniat Dauid; qui fuit principium Imperij Iacob: & ita verè fuit factum: quia quando Tribus castra mouebant, Tribus Iudæ, tanquam dignior, vexillum prima erigebat: & eadem semper ascendebat prima; & dicendo, non auferendum esse sceptrum, seu dignitatem, non est intentio Prophetæ dicere, quando venisset Silo, defecturam esse illam dignitatem; sed vt solet dici, non deficiet panis huic homini, donec habeat prædia multa.* Ecce vltima huius Rabbini expositio, tam aliena à mente Patriarchæ Iacob, quàm iste videtur à mente alienus.

27. Vnde falsa illius opinio refellitur facilè primò: quia vox *sceueth*; quam ille exponit per dignitatem, non significat dignitatem eo modo, quo ille dicit: nam secundùm sententiam omnium Rabbinorum tam antiquorum, quàm recentium significat virgam, & sceptrum; quod solent Re-

ges.

ges tenere in manu : ideoque communiter vſurpatur pro dominio Regni ; vt ait Rabbi Dauid Chimchi in libro radicis verborum . Significat item virgam flagelli , Tribum, progeniem , familiam ; & in nulla alia ſignificatione vſurpatur in Sacra Scriptura : quare illa ſignificatio in ſenſu illius Rabbini eſt omnino ab illo ſolo conficta . 2. eſt falſum id , quod dixit , ſemper Tribum Iuda caſtra mouere primò,vexillumque primò erigere, dum non venit Dauid: Siquidem moueri primò Tribum Iudę obſeruatum non fuit niſi tempore Moyſis ; quando omnes Tribus mouebantur de vno deſerto in aliud ; poſtea uerò non ita fuit obſeruatum , quando bellum inferebant alicui Regno , aut Ciuitati : ideoque in eis rebus geſtis, quæ fecit Ioſuè contra Iericho, aliaſque Ciuitates, & Regna,non legitur Tribum Iudæ illam præferentiam habuiſſe, vno ſolo excepto prælio contra Cananæum : poſtea verò multa prælia geſſerunt Hebræi : quin interueniſſet Tribus Iudæ ; vt in prælijs, quæ fecerunt Iudices, & Debora contra Barac ; quæ accepit decem millia hominum de Tribu Nepthali,& de Tribu Zabulon; vt irent aduerſus Siſara; & ſimiliter in prælio Gedeon, qui milites delegit de Tribu Aſer, de Tribu Zabulon , & Nepthali, vt contra Madianitas inſurgerent; prout legitur in lib.Iudicum cap.4.& 7. Vnde vides falſum eſſe , id quod dixit,Tribum Iudæ ſemper habuiſſe illam præeminentiam prius caſtra mouendi,donec veniret Dauid. 3.falſum etiam eſt Dauid fuiſſe principium Imperij Iacob: ſiquidem ex ſcriptura conſtat prius regnaſſe Saulem . 4. falſum eſt illius Rabbini dictum , nimirum textum per Silo intelligere Dauid ; quia , vt iam ſupra oſtenſum eſt , ad Dauid non ſunt congregatæ omnes Nationes , & populi : textus verò dicit expreſsè , quòd ad Silo omnes populi , & Nationes congregandæ eſſent . Ex quibus conſtat , quàm falſæ ſint omnes illæ expoſitiones , quibus ille textus Patriarchæ Iacob pro altero , quàm pro Meſſia perperam exponitur.

28. Vnde veriſſima eſt noſtra expoſitio à nobis facta pro Meſſia : & ita Silo exponitur ibi pro Meſſia per Targum,

gum, id est, per paraphrasim Caldæam ab illo falso Rabbino defraudatam: quæ ita dicit: *Non auferetur dominium de domo Iuda, & Scriba de filijs filiorum eius in æternum, donec veniat Messias: quia suum est Imperium; & illi seruient omnes populi*. Targum verò est tantæ authoritatis apud Hebræos, vt illi æquè fidem adhibeant, atque ipsi textui sacro. Eiusdem veræ sententiæ sunt alij Rabbini in libro Midras miske, & glossa in Prouerb. cap. 19. Vbi sic legitur: *Planta Imperij cognoscetur in Tribu Iudæ, donec florebit Rex Messias, sicut scriptum est. Non auferetur sceptrum de Tribu Iuda, &c. donec veniet Messias*. Idipsum asserit à veritate conuictus Rabbi Salomon, & sic exponit hunc textum, vt per Silo intelligatur Messias; & Ialcut liber maximæ authoritatis apud Hebræos signo 160. exponit hunc textum: *Non auferetur, &c.* vt intelligatur de Messia: *Iste est Messias filius Dauid*. Et in eodem libro exponendo Isaiæ c. 18. ita legitur: *Gentes mundi munera deferent Regi Messiæ; & ita est id, quod dicitur. Donec veniet Silo, id est, Rex Messias*. Item in Targum Ierosolymitano exponendo eundem textum: *Non auferetur, &c.* sic legitur: *Non deficient Reges ex Domo Iudæ, neque Scribæ, qui doceant legem filios eius, donec veniat Rex Messias*. Deinde in lib. Berescith rabba glossa maiori Genesis fol. 61. dist. 89. exponendo prædictum locum: *Non auferetur, &c.* sic legitur: *Donec veniet Silo; hic est Messias, & ad illum congregabuntur omnes populi, &c.* Denique in libro Echa Rabbathi glossa maiori Lamentation. Ieremiæ exponendo versiculum cap. 1. sic legitur: *Quod est nomen Messiæ? Illi ex Cathedra Rabbi schola dixerunt. Silo est nomen Messiæ; vt dictum est, Donec veniet Silo*.

29. Ex quibus omnibus clarissimè patet textum illum nec posse intelligi de Dauid, nec de Saule, nec de Moyse, nec de Nabuchodonosor, nec de Ieroboam, nec de vllo alio; nec minùs de loco illo appellato Silo; quia contra has opiniones sunt efficacissimæ rationes in contrarium; & quia intelligendo prædictam prophetiam de Sanctissimo Messia,

Messia, id non potest vlla ratione impugnari; vnde manifestè patet loqui de Messia. Nec de hoc potest dubitari; imò hoc apud omnes scholas Hebræorum communiter docetur. Igitur Patriarcha Iacob hoc dedit signum; vt cognosceretur aduentus veri Messiæ, quando scil. deficerent Reges, & Scribæ dominantes de Tribu Iudæ, & cùm tempore, quo Christus IESVS venit, defecerint Reges de Tribu Iudæ ad nostrum vsque tempus; in quo numerantur iam transacti plùs mille, & sexcenti anni, in quibus sunt sine Regno, Rege, & sceptro; necessariò dicendum est Messiam jam venisse, & esse Christum IESVM Redemptorem nostrum, cùm omnia omnino, quæ de Messia à Prophetis sunt prædicta, in illo verificentur, & non possit assignari alius, cui illa omnia competant; vt hactenus demonstratum est; & infra demonstrabitur. Aperiant ergo mentis oculos Iudæi; & si propter suam exorbitantem cæcitatem sunt incapaces videndi lucem adeò claram, & patentem, Deum humiliter orent; qui clementissimus, & summè misericors est, & illos faciet veritatem cognoscere.

CAPVT QVARTVM.

Proponitur secunda, & tertia probatio, quibus demonstratur contra perfidos Hebræos iam venisse Messiam, & esse Christum IESVM Dominum nostrum.

30. SEcunda probatio desumitur ex prophetia Isa. cap.8. quam adduximus supra lib. 1. cap.4. ad probandum Messiam esse verum Deum: nunc autem illâ vtimur, ad ostendendum hunc Messiam verum Deum incarnatum venisse iam in terram, esseque IESVM Christum Redemptorem, & Saluatorem totius mundi. Probatio sic formatur. Quando venerit Messias, sanctificabit, & iustificabit credentes in eum; & erit in scandalum, & in petram offensionis duabus domibus Israel, id est, Iudæ, & Israel: & ex eis plurimi non credent; verùm offendendo in

illum

illum lapidem cadent; & propterea erunt capti, destructi, in exilium pulsi, & Deus abscondet faciem suam ab eis; & populus ille eundem Christum Messiam, quasi nondum venerit, expectabit: hæc omnia euenerunt, quando Christus IESVS venit: ergo iam venit, & est verus Messias. Consequentia est euidens. Maior est expressa in citato loco Isaiæ vers. 13. *Et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem; & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Idem dicitur in Psal. 117. num. 22. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Id est, illa petra angularis, Christus, quem reprobauerunt Hebræi, qui debuerant cum illa ædificare Ecclesiam, esseque membra illius Ecclesiæ nouæ, sicut erant membra ædificantia, seu constituentia antiquam; illa, inquam, petra ab Hebræis reprobata, facta est primarium caput Ecclesiæ nouæ; à Domino facta est, id est Christus, non sicut alij homines generati à patre terreno; fuit mirabilis in oculis omnium, qui illum viderunt mortuos suscitare, surdis auditum, cæcis visum, mutis loquelam restituere, & alia mirabilia operari; hunc lapidem viuum, sanctum, firmum odio habuere Iudæi, & tanquam petram scandali, & offensionis existimarunt.

31. Probatur iam minor illa propositio; scilicet, quòd hæc omnia in Christo IESV sunt omnino verificata: Prophetia ait. *Erit vobis in sanctificationem*; quod non solùm ostendit; debere haberi ab omnibus, vt sanctum, & coli, vt Deum; quo pacto fuit, & est habitus, vt sanctissimus, & honoratus vt Deus ab omnibus fidelibus ex gentilitate conuersis, & à multis Hebræis, qui primò in illum crediderunt; & illum nobis prædicauerunt; sed significat etiam, quòd ipse sanctissimus Messias nos sanctificaret, & sanctos, & iustos, filiosque Dei per adoptionem redderet; quod fecit Christus peccatores ad veram sanctitatem reducendo,

vt

vt Mariam Magdalenam, Matthæum publicanum, Zachæum, & innumeros alios; instituendo Sacramenta operatiua gratiæ sanctificantis, vt Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, & alia Sacramenta; docendo veras virtutes, leges sanctissimas instituendo, dando salutaria consilia, quibus plenum est illius sacrum Euangelium. Quod quidem Hebræi non negant, nec possunt negare, nisi resistendo apertissimæ veritati; vnde verificata est in Christo pars illa prophetiæ: *Erit vobis in sanctificationem*; & ideo ab alijs Prophetis, sanctus, iustus, sanctificatio, nostra redemptio, & iustitia nostra passim appellatur. *In lapidem autem offensionis, &c.* Omnes perfidi Iudæi, qui illum sanctum lapidem reprobarunt, scandalum sumpsere, quòd homo crucifixus foret suus Messias; vt obseruauit Paulus Apostolus sanctissimus: *Iudæis quidem scandalum*; & hodie hæc genimina viperarum, quæ ab illis viperis peccato suo mortuis originem trahunt, adhuc etiam in hoc scandalizātur: sed hoc scandalum infidelitatis eorum est firmamentum nostræ fidei: si enim Christus non fuisset illis in scandalum, non esset ille, qui à Prophetis fuerat promissus, ac prædictus: idem scandalum, quod est effectus erroris ipsorum, est nostræ veritatis confirmatio. Prosequitur prophetia, quòd Messias futurus esset illorum ruina; quis ignoret ruinam Ierusalem post Christi mortem? Sed hæc infausta ipsis ruina ab illorum culpâ, diuina id poscente iustitia, promanauit, non accipiendo salutem priùs illis oblatam: parum foret ruina corporum, si cum illa non veniret damnum pariter animarum: *Erit in laqueum, & ruinam, &c.*

32. Dicant igitur Hebræi, si illis veniret vnus ab illis putatus suus Messias, qui non esset pauper, sed diues: non crucifixus, sed bello potens: superbus pompâ, spolijs onustus, plenus trophæis, militibus, & copijs armatus, scandalizarentur ipsi? Respondebunt, non se esse scandalizandos. En veniet in fine mundi vnus, qui se publicabit Christum, non pauper, sed diues, bello potens, trophæis su-

per-

perbus; illum ipsi recipient; & ipse non erit illis in scandalum, nec in petram offensionis; sed propterea non erit Christus, sed Antichristus, quia verus Christus secundùm prophetias futurus erat in scandalum Iudæis. Vnde vltimò concludo: vel Hebræi credunt scripturam illam, vel non credunt; si non credunt, cur sperant Christum ex Prophetis, negando veritatem prophetarum? Si credunt, debent sperare, & recipere illum, qui Hebræis futurus sit in scandalum. Si illum alterum recipient, qui illis sit in scandalum, vt impleatur prophetia; cur non istum, cui non solùm hoc, sed cætera omnia, quæ de Messia Prophetæ dicunt, omnimodè competunt? Dicunt aliqui Hebræi argumentum concludere, si Propheta hîc loquatur de Messia. Verùm, quòd Propheta hîc loquatur de Messia, non possunt negare Hebræi: nam loqui de Messia fatentur, & probant Rabbini ipsi, vt latè ostendimus in lib.1. cap.4. vbi id videre potes. Vel igitur neganda est hæc prophetia à Iudæis, & erunt hæretici contra Sacram Scripturam; vel non est ab illis negandum Christum iam venisse, vt sint fideles secundùm sacrum Euangelium, & prophetias.

33. Secunda probatio desumitur ex Propheta Osea cap.3.num.3. de qua prophetia iam supra fecimus mentionem: & ex illa euidentissimè colligitur Messiam iam venisse, & esse Christum IESVM. Sic enim habet Propheta: *Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me, non fornicaberis: & non eris viro: sed & ego expectabo te: quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim: & post hæc reuertentur filij Israel; & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Id est, tu ò Popule Hebræe, per multum tempus me Dominum tuum, & Messiam venturum *expectabis*. Et non fornicaberis, id est, non idola coles: nam in scriptura fornicari, & adulterari contra Deum est idola sectari: quia cùm Deus sit Ecclesiæ

spon-

ſponſus iuxta illud: *Sponſabo te mihi*; ſponſa, quæ alterum adorat, quàm ipſum verum Deum, contra Deum dicitur committere adulterium : & ideo ſubiungit, *&* *non eris viro*; id eſt, eris repudiata à Deo olim ſponſo tuo, & à Chriſto vero ſponſo: *Sed expectabo te*; id eſt, tu expectabis me, quaſi nondum venerim; & ego expectabo te, vt me agnoſcas, qui iam veni. Sequitur: *Per dies multos*, id eſt, per multum tempus, *ſedebunt filij Iſrael*, id eſt, non ſurgent ad veram cognitionem veri Meſſiæ ſui, ſed ſedebunt in ſua cæcitate, & ignorantia, ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio; & in hoc miſero ſtatu ſunt, poſtquam Chriſtus venit in terram ad noſtrum vſque tempus, iam annis tranſactis plùs mille, & ſexcentis; ſine altari, & ſine ephod, id eſt, ſine ſuperhumerali, primaria veſte Sacerdotali, & ſine theraphim, id eſt, ſine imaginibus, verbi gratiá, Seraphinorum, qui erant iuxta altare; id eſt, ſine Sacrificio, ſine illis rebus, quæ ad ſacrificium pertinebant: cùm enim non poſſint iuxta legem facere ſacrificium extra Ieruſalem, neceſſe eſt, vt toto hoc tempore, in quo ſunt expulſi à Ieruſalem, & erunt vſque ad finem mundi, ſint ſine ſacrificio. Et poſt hæc reuertentur filij Iſrael; omnes illi Iudæi, qui in Chriſtum non crediderunt, & ideo reprobati fuerunt à Deo; & hi omnes dici optimè poſſunt filij Iſrael, id eſt, 10. Tribus reprobatæ: quia illi, qui Chriſtum, qui eſt de Tribu Iudæ, amplexi fuerint, dici optimè poſſunt illæ duæ Tribus Iudæ à Deo electæ: omnes, inquam, Iudæi illi, qui antea non crediderant, fuerintque tunc viui, ad ſuum Meſſiam conuertentur: *Et quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum*; id eſt, ſuum Meſſiam filium Dauid, qui eſt ſimul Deus, & homo, & ideo ſecundùm humanitatem filius eſt Dauid, id eſt, de Tribu Iudæ, à Dauide deſcendens; *quærent*, inquam, qui iam eſt; non enim quæritur in terris, qui nondum eſt, ſed erit: *Et pauebunt ad Dominum*: id eſt, colent, & adorabunt: ac reuerebuntur: nam in ſcriptura pauor de Deo, ſumitur pro veneratione, & reue-

rentia; *& ad bonum eius*, id eſt, ad Euchariſtiæ Sacramentum; quod dicitur bonum eius iuxta illud Zachariæ 9. num.17. *Quod bonum eius, & quod pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Et ſic Hebræi iam admiſſi ad communionem fidelium, Euchariſtiæ Sacramentum, quod antea abominabantur obcæcati, & obſtinati, iam apertis oculis, & antiquo ſuo velamine ablato, ſumma veneratione colent, adorabunt, magnaque ſuorum cordium lætitia, & exultatione percipient: *In nouiſſimo dierum*. Sed hoc illis eueniet in fine mundi; implebiturque illud Chriſti ſeruatoris noſtri pronunciatum: *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*; id eſt, Gentiles, qui erant vltimi, primi ſunt conuerſi; & Hebræi, qui erant primi, generaliter erunt conuerſi vltimi. Et tunc vnus erit paſtor Chriſtus ab omnibus, gentibus ſimul, & Hebræis receptus, & vnum ouile; ex Hebræis ſimul, & gentibus conſtitutum.

34. Ex hac prophetia ſic iuxta verum ſenſum explicata manifeſtè colligitur, ſeu potiùs demonſtratur Meſſiam iam veniſſe, eſſeque Chriſtum IESVM Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Filium. Nam tria præcipuè dicit Propheta. 1. quòd Hebræi poſt primum Meſſiæ aduentum illi non credentes, vniuerſaliter loquendo, futuri ſint ſine Rege, & Principe, & ſine Sacrificio: & expectaturi adhuc Meſſiam, ac ſi adhuc non veniſſet: & quòd Meſſias venerit, nec ſit ab illis vniuerſaliter receptus, & expectaturus ſit illorum conuerſionem: *Filij Iſrael multos dies ſedebunt ſine Rege, ſine Principe, ſine Sacrificio, &c. Expectabitis me, & ego expectabo vos*. Secundum: illos quæſituros in fine dierum Dominum Deum ſuum, & Dauidem Regem ſuum, id eſt, Meſſiam, qui ſimul eſt Deus, & Rex qua Homo filius Dauid: *Quærent Dominum Deum ſuum, &c.* Tertium: admittendos tandem eſſe ad fidelium communionem: *Poſt hæc reuertentur, &c. Et pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius*, i. ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt bonum eius, vt dictum eſt. Vbi nota: ſi, poſtquam per multum tempus

per-

permanſerint ſine Rege, & Sacrificio, vt à tempore Christi vſque nunc permanent, tandem reuerſuri ſint ad ſuum Meſſiam: ergo ab illo, qui iam venerat, auerſi erant; ſi enim nondum veniſſet, quomodo ab illo recederent, & auerterentur? ergo vel prophetia eſt falſa: vel Chriſtus iam venit: prophetia non poteſt eſſe falſa: ergo Chriſtus iam venit. Nota ſecundò: illos expectaturos Chriſtum; & Chriſtum expectaturum ipſos. Si Chriſtus non veniſſet, expectaretur; & non expectaret: qui enim nondum venit non expectat, ſed expectatur. Conſiderabat Propheta duplicem ſpem, vnam ex parte Hebræorum: & hæc erat vana: quia ſperaturi erant, vt venturum, qui iam venerat; alteram ex parte Chriſti, & hæc erat vera: quia ſperaturus erat, vt crederent illi, qui nondum credebant, & in fine mundi credituri erant. Nota tertiò: Hebræos in fine mundi prædici credituros Sacramentum Communionis Corporis, & Sanguinis Domini: ſed hoc fuit inſtitutum tempore paſſionis Chriſti: ergo antequam Hebræi crederent in fine mundi, iam multò ante Chriſtus venerat: igitur hæc prophetia iam eſt impleta quo ad duas partes; ſcil. quòd Chriſtus iam venerit; & quòd Hebræi ſint abſque Rege, & Sacrificio: reſtat, vt impleatur tertia pars, quòd ipſi in fine mundi credant: vnde cùm iam certiſſimè ſint impletæ illæ duæ, ſic certiſſimè implebitur illa tertia.

35. Hebræi videntes ſe prorſus eſſe conuictos, ſi illa prophetia loquatur de Meſſia, ſine vllo fundamento, ſed ſumma temeritate dicũt non loqui de Meſſia, ſed de Deo, & de Rege Dauid. At hæc reſponſio de falſitate conuincitur tum ex Prophetis, tum etiam ex ſuiſmetRabbinis; & ex ipſa ratione. Probatur ex Prophetis 1. ex Ezech. 34. n. 23. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnũ, qui paſcat eos, ſeruum meum Dauid.* 2. ex Ierem. 30. n. 9. *Seruient Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.* In quibus locis per nomẽ Dauid intelligiturMeſſias etiam ſecundùm ipſos Rabbinos in expoſitione illorum textuum. Probatur ex authoritate Rabbinorum. 1. ex Thalmud in tractatu Sanhedrin cap. Chelech. Vbi Meſſias etiam ap-

pellatur Dauid. 2. in libro Midras misle in glos. super Prouerb. cap. 19. in versiculo 21. quod incipit: *Multæ cogitationes in corde viri*. Vbi sic legitur: *Octo nominibus Messias appellatur. Innon, Deus, Iustus noster, germen, siue oriens, Menachem*, id est, Consolator, *Dauid, Silo, Eliabu*; & citat ibi Sacræ Scripturæ loca, in quibus ea Regis Messiæ nomina describuntur. 3. ex Targum in expositione prædictæ prophetiæ Oseæ in d. cap. 3. vbi per Dauid exponitur Rex Messias. Et idem Targum in Ierem. cap. 30. per Dauid explicat Messiam: estque phrasis Hebraica, vt filij appellentur sæpe nomine patronimico. Et in libro Zobar. fol. 84 in expositione Leuitici cap. 19. Messias appellatur Dauid; & dicit Deum Patrem illum intueri, quando vult hominibus misereri, & ipsum illuminare omnem mundum, esseque dominum Angelorum. Probatur ex ratione: quia Propheta dicit Israelitas in nouissimo dierum quæsituros esse Dauid Regem suum: quis ergo credat, illos quæsituros esse Dauid Salomonis Patrem à tot millibus annorum sepultum? ergo nullum est dubium prophetiam loqui de Christo vero Messia: quòd verò ibi Messias vocetur Deus, hoc probat Messiam non solùm esse hominem, sed etiam Deum: & quidem Messiam esse Deum euidentissimè ex testamento veteri, quod credunt Hebræi, supra in primo loco demonstratum est.

36. Alij Rabbini dicunt hanc prophetiam loqui de captiuitate Babylonis duarum Tribuum vsque ad eius laxationem per Cyrum: proindeque non potest intelligi de hac captiuitate præsenti, in qua nunc sunt. Sed hæc responsio manifestè contradicit prophetiæ, quæ dicit Israelitas in hac sua captiuitate futuros esse sine Sacerdote, & Principe: in captiuitate autem Babylonica hæ Tribus Pontificem habuere, scil. Iosedech; item legem, & Iudices, vt patet ex Dan. 13. v. 5. *Et constituti sunt de populo duo senes Iudices in illo anno, de quibus locutus est Dominus, quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum*. Similiter in captiuitate Babylonica ha-

habuerunt Regem Ioacim, & Principes Zorobabel, & Salathiel; insuper altare, vt patet ex Baruch 1. num. 10. *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri.* Habebant item in captiuitate Babylonica Prophetas, vt Danielem, Ezechielem, &c. Sed Propheta Oseas loquitur de ea captiuitate, in qua omnia ista deficerent; ergo non loquitur de captiuitate Babylonica, sed de hac captiuitate, in qua Iudæi nunc sunt, & erunt vsque ad finem mundi, vt dicit Propheta; siquidem omnia ista per Prophetam dicta, scil. Rex, Princeps, Sacrificium, in hac præsenti captiuitate desunt.

37. Aliam expositionem fingit Rabbi Dauid, dicendo hanc prophetiam loqui de tempore Machabæorum: tunc enim subacti sunt Iudæi ab Antiocho Epiphane, eiusdemque posteris, qui sacra Iudæorum prophanarunt, & Pontificatum vendebant: & licèt tunc Machabæi Principes essent, non tamen erant legitimi, vtpote oriundi ex Tribu Leui, & non Iudæ, cui tantùm Deus sceptrum dedit; vt patet ex Genes. cap. 40. num. 10. Verùm errat omnino hic Rabbinus: quia eo tempore florebat Religio, virtus, & fortitudo Iudæorum, Principesque illi erant legitimi, vtpote à populo electi; licèt enim illi essent de Tribu Leui; quia ex illis assumebantur Sacerdotes; erant etiam de Tribu Iuda, ex latere fœminino, vt bene ostendit Cornel. à Lapide ad cit. locum Genes. quod sufficiebat, vt cùm fuisset principatus datus Machabæis, non posset dici rectè esse sine Rege, & sine Principe: ergo falsum est, quòd prophetia loquatur de tempore Machabæorum: non enim potest verè dici Iudæos esse sine Rege, & sine Principe, eo tempore, quo Machabæi dominabantur.

38. Concluditur igitur Messiam verum Christum IESVM iam venisse, Iudæosque esse in statu damnationis æternæ, si in illum non credant, Baptismumque suscipiant, vt ad Sanctam Christi Ecclesiam ingrediantur: nam Propheta dicit post Christi veri Messiæ aduentum Iudæos futu-

futuros esse sine Rege, sine Principe, sine Altari, sine Sacerdotio, sine sacrificio; & solùm in fine mundi esse ad Christum conuertendos, & ad fidelium communionem per Eucharistiæ Sacramentum admittendos: illi iam à tempore Christi IESV vsque ad hodiernam diem, transactis iam 1600. annis, & vltra, sunt sine Rege, Principe, Sacrificio: ergo vel prophetia fuit falsa; vel Christus iam venit: non audebunt dicere prophetiam esse falsam: ergo necessariò debent dicere Christum iam venisse; si iam venit; quis ille est, nisi IESVS Christus Beatissimæ semper Virginis MARIÆ Filius; cui cætera omnia, quæ de vero Messia Prophetæ prædixere, summâ concordiâ conueniunt; vt ex toto hoc opere manifestè constat; & vlteriùs etiam clarissimè constabit.

CAPVT QVINTVM.

Proponitur quarta probatio, qua probatur contra Hebræos Messiam iam venisse, esseque Christum IESVM Redemptorem Mundi ex prædicatione Apostolorum.

39. QVarta probatio desumitur ex Isaia cap. vlt. n. 19. vbi dixit, quando Messias venisset; gentes conuertendas esse per Apostolos ab eo missos: sed iam videmus nostris oculis gentes esse ad Deum conuersas per sanctos Apostolos à Christo IESV in hoc ministerium electos: ergo Messias iam venit; & est Christus IESVS. Hæc consequentia non potest negari, nisi velint Hebræi negare illius prophetiæ veritatem, & nisi velint Deum loquentem per suos sanctos Prophetas facere mendacem. Lege iam prophetiam attentè, & seriò; eiusque proprium, & germanum percipe sensum. Sic ait Propheta: *Et ponam in eis signum; & mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam; in Italiam, & Græciam, ad insulas longè; ad eos,*

eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam: & annunciabunt gloriam meam gentibus: & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus; quomodo si inferant filij Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus. Hæc prophetia est adeò clara, vt non multa indigeat explicatione.

40. *Ponam in eis signum*, id est, in eis gentibus conuersis ponam signum, scil. signum indelebile, siue caracterem Baptismi, per quod distinguentur à non fidelibus; sicut in lege scripta Circumcisio erat signum, per quod Iudæi ab infidelibus distinguebantur. Signum item, id est, Charismata Spiritus Sancti; vt fuerunt illæ cælestes linguæ in die Pentecostes; quibus signati Apostoli profecti sunt ad prædicandum Euangelium in Mare, Africam, Lydiam, Italiam, &c. vt hic dicit Propheta. *Signum*, scil. signum Sanctissimæ Crucis, quo signantur fideles Christiani. *Signum*, id est, Eucharistiæ Sacramentum; quod solùm baptizati communicare possunt. Signum enim etiam significat mysterium; & per hoc Sacrosanctum Sacræ Eucharistiæ mysterium fideles ab infidelibus discernuntur. *Signum*, id est, Deipara Sanctissima Virgo MARIA; quæ est *signum magnum apparens in cælo*; eiusque meritis, & intercessione confirmatur, conseruatur; protegitur, & augetur Ecclesia. *Signum*, id est, templa, & oratoria toto Orbe fundata; quæ omnia sunt signum, quo fideles in eis Deum verum Patrem Æternum, & filium suum IESVM Christum, & Spiritum Sanctum venerabundi adorant, & colunt; & per quod signum ab impijs, & infidelibus fideles Christiani distinguuntur.

41. *Qui saluati fuerint*, id est, mittam ex eis, qui primò saluati fuerint, id est, gratiam Saluatoris receperint, quales fuerunt Apostoli, & discipuli Saluatoris Domini nostri IESV Christi. *Tendentes sagittam*, id est, mittam

Apo-

Apoſtolos ad gentes ſagittandi peritas; puta, Afros, & Lydios, ſcil. inermes contra armatos: ſed faciam, vt eas non timeant, imò conuertant. *In Italiam*; & ſic D.Petrus, & D.Paulus, ac D. Ioannes Euangeliſta Romam venere, illamque ad Chriſtum conuertere. Textus Hebraicus loco Italiæ, habet Tubal; per quod, inquit D.Hieronymus, poteſt quoque accipi Hiſpania præcipuè in ea parte, quæ dicitur Luſitania. *Tubal enim* (inquit Cornelius à Lapide in hunc locum Iſaiæ verſ.19.litera C.) *filius Iaphet incoluit Hiſpaniam, & ab eo ferunt conditam, & denominatam Vrbem Setubal, quæ extat in Luſitania*. Hucuſque Cornelius à lapide: vt videas Prophetam ſpiritu prophetico multò ante præuidiſſe harum duarum Nationum conſimilem pietatem, & in Chriſti fide exactiſſimam obſeruantiam: quod circa templorum nitorem, maximam erga Matrem Dei MARIAM Virginem deuotionem, & amorem, ac zelum propagandi fidem in exteras Nationes, optimè cerni poteſt: imò apud Indos Orientis, in quibus (proh dolor) ab hęreticorum, illuc diabolo inſtigante, cõfluentium perfidia ſuperſeminata ſunt zizania; vt Chriſtiani ibi probent ſe eſſe Catholicos, ſatis eſt dicere ſe fidem Luſitanorum ſectari; ſicut inter Nationes infectas labe hæreſis, ſatis eſt dicere ſe ſequi fidem Romanam, vt intelligatur Catholicam ſequi.

42. *Ad eos, qui non audierunt de me; & non viderunt gloriam meam*. Id eſt, ad gentes, quæ de me Deo vero notitiam non habuerant, quia illis nullus de me prædicauerat; nec viderant gloriam meam, vt vos Hebræi vidiſtis, data vobis mea lege per Moyſen in Monte cum meæ aſſiſtentiæ maieſtate; vel alio modo, ad eos, qui non audierunt me prædicantem in Ieruſalem, & Iudæa, nec meam gloriam, ſcil. miracula, & prodigia à me facta, Reſurrectionem, Aſcenſionem viderunt; ideoque multo vobis feliciores; qui non viderunt, & crediderunt; quod etiam ipſe Dominus dixit Thomæ; *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt, & crediderunt*: creſcit enim fidei meritum, vbi deficit viſûs experimentum.

43. *Ad-*

43. *Adducent fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino*, id est, Apostoli illi missi à Christo Domino, ò Israelitæ, qui legem Christi accepistis, adducent ad vos ex gentibus multos, qui credent, & iam fratres vestri erunt, scil.ab eodem Patre Christo per baptismum regenerati; eiusdemque Patris spirituales filij; & se Domino, vt donum, & holocaustum offerent. *In equis, & quadrigis, &c.* nón solùm se se dedent Domino pauperes, hominesque priuati, sed potentes, & Reges, qui equis, quadrigis, lecticis, caruccis vehuntur: quod totum iam impletum est; dum Reges, & Imperatores, alijque Principes Christo se, donaque sua deferunt, *in vase mundo*, id est, iam mundati per sanctum Baptismum. *Et assumam ex eis Sacerdotes, & Leuitas*, id est, ex ipsis gentibus factis iam fidelibus per baptismum assumam Presbyteros, siue Sacerdotes, & Diaconos. Olim solùm ex Iudæis, & ex sola Tribu Leui Deus assumebat Sacerdotes, & Leuitas; at Christus, vt hîc prædicit Propheta; ex omnibus gentibus eos elegit: vnde errat Kemnitius, dum perfidè asserit omnes Christianos esse Sacerdotes: nam apertè scriptura dicit ex Christianis Sacerdotes eligi; & consequenter non eo ipso, quòd Christiani fiunt, Sacerdotes illico esse, nisi priùs assumantur, & ordinentur. Et postea prosequitur Propheta suam prophetiam, dicendo Deum facturum hanc nouam Ecclesiam multò perfectiorem, quàm Synagogam Ecclesiam antiquam, sicut post finem mundi perfectiorem terram, & cœlos nouos, perfectioresque facturus est. Deinde ipsos Christianos frequentiùs in templo Deum adoraturos; singulis mensibus, & singulis festis *coram facie Dei*, id est, Sacramento Eucharistiæ reuerenter astituros, quod totum nostris oculis impletum videmus. Dicant modo nobis Iudæi, quid clariùs poterat Propheta loqui? Et vbi eius prophetia poterat pleniùs impleri, quàm in omnibus his, quæ nos, & ipsi suis oculis intuentur?

44. Aliqui Hebræi, licèt his rationibus conuicti, adhuc tamen se velle dicunt aliquod miraculum de nouo suis

oculis inſpicere, & tunc ipſi conuertentur. Verùm illis reſponderi poteſt id, quod Abraham Epuloni diuiti in Inferno damnato reſpondit: habent legem, & Prophetas: ſi illis credere nolunt; neque etiam ſi quis à mortuis reſurgat, credent. Legant ipſi Prophetas, conſiderent legem, rimentur Pſalmos, Euangelium ſcrutentur, Chriſti, & Apoſtolorum facta perſpiciant; & ſi his non credant, noua certè ad credendum miracula fruſtra quærent.

45. Sed ab Hebræis inquiro, quod maius ſignum eſſe poteſt Chriſtum verum eſſe Meſſiam, verumque Deum; quàm ex ſola Apoſtolorum Prædicatione prædicantium veniſſe iam Meſſiam à ſanctis Prophetis promiſſum, illumque fuiſſe à Iudæis crucifixum, & occiſum; & poſt tres dies reſurrexiſſe; & poſt 40. dies, in quibus ſe præbuit ipſis viuum, cum illis comedentem, & bibentem, & ab ijſdem palpari ſe ſinentem; & omnia, quæ ipſe ante mortem prædixerat, verificantem, tandem cum maieſtate, & gloria triumphantem; ad cœlum ſpectantibus omnibus aſcendiſſe; & ſolùm ex horum teſtimonio gentes Chriſtum confeſſæ ſunt, falſoſque Deos dereliquere; adoraruntque, adorant, ſemperque adorabunt hunc Crucifixum, vt Deum ſuum, Saluatoremque, & Redemptorem; idque non vnus populus, non vna Ciuitas, non vnum Regnum, non vna Natio, ſed omnes Ciuitates, omnes populi, omnes Nationes; in quibus erant tot Reges potentiâ ſuperbi, tot ſapientes, ſcientiâ inflati; an hoc facere poterat humana potentia? Certè *à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*. Si lex iſta Chriſti ab Apoſtolis promulgata contineret libertatem carnis, armorumque requireret adiutorium, vt prorſus immunda, carnalis, & ſcelerata Maometis fatuitas, ac dementia; miraculum non foret illam ſectari plurimos, dum mortales ad illecebras carnis naturâ ipsâ proni labuntur; & amore vitæ bella refugiunt, armaque deteſtantur. At lex Chriſtiana illa eſt, quæ bellum indicit carni; vitia prohibet; humilitatem præcipit, labores, vigilias, ieiunia, aſperitates, vitæ contemptum pro

con-

conſeruatione virtutis; & nihilominùs legem hanc naturæ contrariam mundus ſequitur vniuerſus; & ipſi Apoſtoli, diſcipuli, alijque credentes pro hac religione ſeruanda, tuenda, defendendaque ſe vltro, & cum gaudio tormentis, cruciatibus, patibulo, igni, mortique offerebant; & ſæpe pro vno martyre occiſo mille, & ampliùs infideles ad fidem conuertebantur, videndo tot martyrum miracula, tot prodigia, tot monumenta virtutum, tantam in cruciatibus, & horribilibus tormentorum generibus lætitiam, & exultationem. Hocne potuit euenire, niſi ex diuina potentia, & ex efficaciſſima gratia Chriſti?

46. Præterea, ſi foret hæc Chriſti fides falſa, ſi foret hic Chriſtus noſter fabuloſus; quæ eſſet Æterni Dei Patris prouidentia in filios, videndo hominem, qui ſe publicat Dei Filium, Meſſiam promiſſum, Saluatorem mundi, & naſci in Bethlehem, de Tribu Iuda, pauperem, humilem, ſanctiſsimum, à Iudæis occiſum, reſurgentem, leges ſanctiſsimas ferentem, Apoſtolos in vniuerſum Orbem mittentem, & vniuerſum mundum conuerſum, adorantemque Deum ipſum, quem Iacob, Iſaac, Abraham, Dauid, alijque Patriarchæ adorarunt; (quæ omnia Deus prædixerat per Prophetas de vero Meſsia) quæ, inquam, foret Dei Patris prouidentia, ſi hic, cui hæc, quæ in ſcriptura ſunt prædicta, conueniunt, falſus foret Chriſtus; & non effeciſſet aliquod ingens miraculum, ad demonſtrandum hunc falſum eſſe Chriſtum? Verùm è contrario hanc Chriſti Religionem tot confirmauit ſemper miraculis ſtupendis, quibus hiſtoriæ plenæ ſunt, & ad noſtrum vſque tempus continuat in ſanctiſsimis hominibus, & fœminis pietate feruentibus, tot ſanctiſsimorum Religioſorum Conuentibus, tot Monachorum, Eremitarumque Cænobijs ſpectabili ſanctitate fulgentibus? Certè ſi hanc Chriſti fidem ſequentes, decepti nos fuiſſemus, Deus ipſe nos deciperet, iniuſtuſque foret; ſi ſequentes hanc Religionem adeò ſanctam, rationabilem, puram, rationi, ſacriſque ſcripturis conformem damnaret, puniretque.

47. Igitur, ò infelices, miserabilesque Hebræi, & certè pro vestra cæcitate commiseratione, planctuque deplorandi, ad hoc tantùm respicite signum; hoc enim vobis Deus præcipuè signum ponit: *Et ponam in eis signum*, non aliud quæratis signum; signate vos signo Crucis, in quo est posita vestra salus. Sin autem alia signa desideratis: tria vobis appono ex vestris etiam Rabbinis, qui in libro Bereſcith rabba exponunt cap. vlt. Genes. in versiculo 23. *Locutus est fratribus suis*: Vbi sic legitur: *Filius fratris Rabbi Ioseph dixit: Tria signa dedit senex Ioseph fratribus suis. 1. Patebit in modo loquendi, quo ostendatur ipse Deus esse, dicendo: Ego sum. 2. Si Sacerdotes ex vobis consecrauerit. 3. Si dixerit vobis, visitans visitabo vos: Iste erit Redemptor, nimirum Messias*. Ecce signa, quæ Rabbini proponunt ad cognoscendum Messiam Redemptorem. Omnia hæc signa in Christo IESV sunt verificata. 1. quia Christus Saluator noster, sæpiùs vsus fuit modo illo loquendi, dicendo: *Ego sum*: vt quando dixit Samaritanæ: *Ego sum, qui loquor tecum*. Et discipulis: *Ego sum, nolite timere*. Et capientibus illum in horto Gethsemani: *Ego sum*. Et Pontifici: *Ego sum*. Et sæpe in alijs locis sacri Euangelij: in quo ostendit se Deum esse, iuxta id, quod ipse dixerat Moysi: *Ego sum, qui sum*. Verificatum est in Christo secundum signum: siquidem ordinauit Sacerdotes Apostolos, illosque misit prædicare in vniuersum mundum. Verificatumque est tertium signum: quando promisit se suos visitaturum esse; dicens, quando ab illis discedebat ad Patrem: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Ecce hæc tria signa, ò Hebræi, quæ vobis assignant Rabbini vestri ad cognoscendum Redemptorem Messiam in Christo IESV verificata: quid expectatis? Cur non creditis? Quid ampliùs desideratis? Cur decor ille speciosissimus vestros non capit oculos? Vestras non allicit voluntates?

48. Hoc etiam signum vobis ostendo, ad quod si vestræ mentis aciem dirigatis, vestrum non potestis nõ agnoscere Redemptorem. A 1692. Christiana durat Religio: Deus

illam locupletat Sanctissimis Doctoribus, illustrat sanctissimis Prælatis, ornat sanctissimis hominibus, confirmat miraculis; protegit Regibus, & Imperatoribus, condecorat templis, adeò sumptuosis, & magnificis, ornatis, & illustribus, vt nullibi præterquàm in hac Christi Domini Sacrosancta Ecclesia tantus vnquam templorum splendor illuxerit. Si hæc Deo displicerent; quomodo durarent transactis iam sexdecem sæculis, & vltra; quin vllâ possint humanâ, diabolicaue potentiá labefactari? Hoc certè signum est euidentissimum diuinam esse fabricam, contra quam non potest vlla potestas Inferi præualere; prout Christus seruator noster, dum in terris vixerat, ante prædixit. Imò licèt multi Reges, & Imperatores, alijq; Principes infideles, Diabolo instigante, totis animi viribus, & conatibus procurarunt Ecclesiam Christi funditus euertere, non potuerunt: imò quot óccidebant martyres fortissimos, tot cædebant lapides firmissimos ad hanc sublimem Ecclesiæ fabricam construendam: ex ipsa clade vires, augmentumque desumebant: ex ipsa ruina ædificium, & moles altiùs erigebatur. Si res foret humana, superbâ hominum potentiâ periret; dum igitur nec diabolica, nec humana corruit potestate; rem esse diuinam clariùs innotescit. Idcirco Gamaliel, in quodam concilio Iudæorum in Ierusalem pro Christiana Religione extirpanda; (videbant enim Iudæi Christianorum numerum in dies crescere; & Mosaicam legem paulatim minui) hoc prudens dedit consilium: vel hæc res ex Deo est, vel ex veritate hominum; si hoc secundum: non durabit, sed in seipsa euanescet; si ex Deo, nullâ humanâ potentiâ poterit impediri. Constat hoc ex actibus Apostolorum: vnde, cùm iam suis oculis videant Hebræi sanctam hanc Christi Religionem à tot annorum sæculis, quâuis in contrarium se opponente potentiâ, semper immotam persistere, & inconcussam manere, in eaque Religionem, sanctimoniam, & pietatem florere, ex Deo esse dubitare minimè debent.

49. Hebræi opponunt: Deum permittere à tot annorum

rum sæculis perstare Mahumethis sectam; quam tamen nos dicimus esse falsam; cur ergo non potuit Deus ipse permittere vestram diu persistere, falsa licèt foret? Vana quidem obiectio Iudæorum. Non negamus Deum multa mala permittere, multosque errores sæpe non impedire ob altissimos suos fines, & incomprehensibile, inscrutabileque iudicium suum; nunquam tamen errores illos, falsamque aliquam superstitionem miraculis comprobauit; at nostram Religionem ab exordio nascentis Ecclesiæ ad nostros vsque dies stupendis miraculis, prodigijsque humanam naturam; & diabolicam superantibus comprobauit, confirmauitque, nunquam verò Ethnicorum idololatriam, Mahumethanorum spurcitiam, Iudæorum perfidiam, & exorbitantem obstinationem, quas superstitiones, & deliramenta diu permittit, aliquo miraculo comprobauit; imò cũ Religio Catholica doceat Sectas omnes sibi contrarias esse falsas, quot miracula confirmant Catholicam Religionem, hoc ipso simul aliarum falsitatem manifestant. Neq; aliȩ falsæ superstitiones vllis distinctis egent miraculis, vt à Deo reprobatæ esse censeantur: cùm per seipsas illæ appareant impiæ, iniquæ, & sceleratæ: idololatria enim iuri ipsi naturali, rectæque rationi repugnat; Turcarum, Maurorumque spurcitia, & carnis immunditia, impuritasque seipsam condemnat. Hebræorum vesana, execrabilisque dementia legi, ac Prophetis repugnat; si enim ipsi perfidi Iudæi velint seriò legem, Prophetasque legere; seduloque rimari, apertè videbunt legem gratiæ, Christumque Redemptorem in Scripruris Sacris, sanctissimisque prophetijs clarissimè contineri: vnde omnes illi perfidi falsarum superstitionum Sectatores nullam excusationem habent; & nisi Christianam Religionem susceperint, perpetuò damnabuntur; & atrociùs Hebræi punientur; dum ad illos primùm verbum Dei est missum; quibus primùm fuerat promissum.

50. Præterea primi Christianæ Militiæ duces Iudæi fuerunt, à Deoque illustrati, & à Diuina, incarnataque Sapien-

Sapientia immediatè edocti; prout etiam Prophetæ prædixerant, vt supra ostensum est; & tot, tantaque miracula patrauerunt; vt Hebræi ipsi obstupescerent, multiq; quotidie conuerterentur; fructusque istius conuersionis vbique videbatur in omnibus fidelibus, nimirum charitas, castitas, humilitas, misericordia, modestia, benignitas, diuitiarum contemptus, timor Domini sanctus, pietas, pax, & aliæ virtutes, donaque Spiritus Sancti; in multis donum prophetiæ, donum linguarum, sacrasque scripturas rectè interpretandi diuina quædam facilitas, spirituum discretio: quæ omnia non nisi à Sancto Spiritu profluere poterant. Hoc est manifestissimum nostræ Religionis Christianæ signum, & irrefragabile argumentum; ad quod debent Hebræi, si salui esse desiderant, oculos mentis dirigere; ac nullum aliud de nouo signum quærere; & hoc signum in hac supradicta prophetia posuit Propheta, dicens: *Et ponam in eis signum, &c.*

CAPVT SEXTVM.

Proponuntur quinta, & sexta probatio, quibus contra Iudæos probatur iam venisse Messiam, qui est Christus IESVS.

51. QVinta probatio sic efformatur. De Messia prædictum est per Prophetam, quòd subiugaturus esset Romam: sed nunc videmus Romam Christo esse subiugatam: ergo iam venit Messias, & est Christus IESVS, quem nos Christiani colimus, vnicè diligimus, & adoramus. Hæc consequentia non potest à Iudæis negari, nisi dementes sint. Minor illis est adeò certa, vt ab ijsdem experta Romæ, in qua ipsi subduntur Christo in suo Vicario, non tanquam filij, sed vt mancipia, & miserabiles serui, multò quidem miserabiliores: quia cùm liberi esse possint, & filij, sponte sua in seruitute vili iacent sordidi, quia persistunt surdi: sed ideo Christus sum-

summâ clementiâ eos ibi tolerat, vt sanctæ Ecclesiæ clamoribus excitati, à graui suæ obstinationis lethargo resurgant; quod sæpe multis euenit, qui, diuina inspirante gratia, sacro baptismi fonte lustrantur; & ad filiorum libertatem excusso diabolicæ seruitutis iugo feliciter adducuntur. Itaque minor, & consequentia syllogismi nostri ab Hebræis non negantur. Probatur iam maior, quòd, scil. per Prophetas prædictum fuerit Messiam subiugaturum esse Romam illam nobile caput mundi. Id clarissimè constat ex Isaia cap.26.num.1. *In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda. Vrbs fortitudinis Sion, Saluator: ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iusta custodiens veritatem. Vetus error abijt: seruabis pacem; pacem: quia in te sperauimus. Sperastis*, Hebraicus habet: *Sperate in Domino in sæculis æternis: in Domino Deo forti in perpetuum: quia incuruabit habitantes in excelso, Ciuitatem sublimem humiliabit: humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes: pedes pauperis, gressus egenorum.* Id est, in die aduentûs Messiæ, *in terra Iuda*, id est, in Regno Christi, quod est Ecclesia, terra, & hæreditas Christi de Tribu Iudæ; illius enim hæreditas desumpta est ex gentibus, iuxta illud: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Cantabitur*; id est, celebrabitur cantu Ecclesiastico, vt fit modò in Ecclesiâ, dum cantatur fortitudo Ecclesiæ Christianæ, in templorum dedicatione, decantatis illis Hymnis: *Cœlestis Vrbs Ierusalem*, & alijs, præcipuè in illa Matrice Romana omnium Ecclesiarum sub solemnitate Saluatoris; & ideo dicitur, *Vrbs Sion, Saluator. Ponetur in ea murus*, id est, Christus, *& antemurale*, id est, Apostoli, & alij Sancti, à Christo spiritualiter geniti: & ideo alij apud nostrum Cornelium; *Antemurale*, vertunt, *filius muri*. Murus etiam intelligitur Sacra Scriptura, scil. vetus testamentum, & nouum, quod est Sacrum Euangelium; antemurale, intelligitur ius Canonicum ex Sacris Concilijs, & Pontificum decretis; quæ Sacra Scriptura, & Concilia, sunt murus

for-

fortis, & antemurale: quibus Ecclesia Christi conseruatur firma, & stabilis; & omnino inexpugnabilis. Et mox vertit sermonem ad ipsos Israelitas, ex quibus Apostoli prodierunt, dicens: *Aperite portas*, id est, Apostolos; qui sunt duodecim portæ, per quas ingressæ sunt gentes, *gens iusta*, id est, iam fidelis; iuxta illud, *iustus ex fide viuit*; *custodiens veritatem*, id est, veram fidem, & veram Religionem ad consequendam salutem æternam, quia solùm in Ecclesia Christiana vera fides, vera Religio, salusque reperitur: & ideo textus Hebræus habet: *Vrbs fortitudinis Sion, salus*.

52. *Vetus error abijt*; id est, idololatria; quia gentes hanc sanctam Ecclesiam ingressæ, quæ per errorem Deos falsos colebant, iam expulso veteri errore verum Deum adorant. *Seruabis pacem, quia in te sperauimus*. Vertit Propheta sermonem ad Christum, quasi diceret: ò Sanctissime Saluator Messia pacem nobis dedisti, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: hanc ergo pacem seruabis nobis; quia in nullo iam, nisi in te salutis nostræ æternæ spem collocauimus. Mox Propheta sermonem dirigit ad fideles, dicens: *Sperate in Domino in sæculis æternis*, id est, in æternum; vt statim se explicat, dicens: *In Deo forti in perpetuum*; *in Deo forti*, id est, in Messia; qui à Prophetis dicitur *Deus fortis*; vt supra vidimus. *Quia incuruabit habitantes in Excelso*; id est, Romanos habitantes Romæ, vt explicant ipsi Rabbini infra allegandi, quasi diceret: Vos fideles Christiani, qui per portas Apostolorum Petri, & Pauli iam ingressi estis in Christi Dei fortis Ecclesiam; non timeatis superbos istos Romanos Imperatores, Neronem, Diocletianum, & alios Ecclesiæ persecutores; qui Romæ habitantes Romanum tenent Imperium: quia Christus, qui est Deus fortis, faciet eos incuruari, & genua flectere ante Christum in hac Ecclesia; vt euenit Constantino Imperatori, alijsque Imperatoribus Christianis; atque adeò erunt humiles Agni, qui ante fuerant Lupi superbi, & rugientes Leones. *Ciuitatem sublimem*, id est,

Kk Ro-

Romam, iuxta ipſos etiam Rabbinos, *humiliabit*: vt illam iam videmus à multis ſæculis humiliatam, & reuerentem ad pedes Chriſti. *Humiliabit illam vſque ad terram*: quaſi diceret; priùs ipſa ſublimis Roma ſolo æquabitur; & conculcabitur pede pauperis, id eſt, Petri; qui illam domuit non armis, ſed paupertate, ſpiritu, & prædicatione Euangelica, & pedibus egenorum, id eſt, ſuorum ſucceſſorum: qui illam ſpiritualibus, & non materialibus armis expugnarunt, & Chriſto tributariam effecerunt.

53. Hæc eſt huius prophetiæ vera, germanaque declaratio, quam multi ſacri expoſitores noſtri tenent apud noſtrum Cornelium ſuper hunc textum; quamuis ipſe prophetiam illam intelligat de gloria Paradiſi, ac de Eccleſia triumphanti: cæterùm id verum eſt in ſenſu myſtico, non literali: quia in literali omnia conueniunt Eccleſiæ militanti, Romanæque Vrbis, non Orbis excidio. Et ita etiam Rabbini hanc prophetiam exponunt: ſic enim ait Rabbi Salomon: *Habitatores Excelſi ſunt Tyro, populuſq; illius, atque Italia; pedes pauperis, iſte eſt Meſſias*. Ex quibus verbis Prophetæ, & Rabbinorum eruitur Meſſiam ſubiugaturum eſſe Romam. Et Rabbi Abraham bene Eſdra exponendo eandem prophetiam, ſic dicit: *Pedes pauperis: dictum eſt de Rege Meſſia, de quo ſcriptum eſt: ecce Rex tuus pauper ſedens ſuper aſinam. Et exiſtimo dixiſſe, habitatores Excelſi per Edom: nam vox illa Excelſum denotat Romam: ſiquidem hæc duo vocabula Roma, & Marom idem ſignificant; & cùm dicit Ciuitatem ſublimem, Ciuitatem fortem intelligit: quæ vocabula idem ſignificant, & ad ſignificandum Romam dicta ſunt.* Hactenus Rabbi Abraham. Et Rabbi Salomon, dum per greſſus egenorum explicat Iſraelitas, non poteſt aliter intelligi, quàm per Apoſtolos, qui verè Iſraelitæ fuerunt, & pauperes, ac egeni, & Chriſtum pauperem ſunt ſecuti, & Romam pedibus calcarunt, Chriſtique virtute domuerunt, & illam eidem Chriſto ſubiugauerunt; Romam Ethnicam deſtruentes, & Romam Chriſtianam ædificantes.

54. Ex quibus instauratur nostra contra Iudæos argumentatio. Quando Messias venerit, Romam subiugabit, vt expressit Propheta, & interpretantur Rabbini: Roma est subiugata Christo, à multis iam sæculis: vt nostris oculis videmus: ergo Christus à multis iam sæculis venit. Vnde, ò Iudæi, si negatis prophetiam, estis hæretici contra vestram scripturam; si negatis consequentiam, estis stolidi contra lumen rationis: ergo, ne sitis stolidi, concedite consequentiam; ne sitis hæretici, non negetis scripturam.

55. Sexta probatio iam venisse Messiam desumitur à Propheta Isaia cap. 60. Vbi postquam prædixit aduentum Messiæ tanquam lumen mundi, & gloriam Domini, gentes ad fidem conuersas; Ecclesiam Dei constitutam; sublatum peccatum, mundum redemptum, omnes iustos, populum Dei, in cœlo regnaturos in perpetuum, in vltimo versiculo subiungit: *Ego Dominus in tempore eius subitò faciam istud*, id est, citò Messiam mittam. Quæ verba Prophetæ exponendo Ialcut ita dicit: *Scriptum est: Messias tempore suo veniet; scriptum est: Messiæ tempus accelerabo. Si tempore suo, quomodo anticipabitur? si anticipabit, quomodo tempore suo?* Et tunc soluit difficultatem hac distinctione; *si non demereantur, anticipabo; si mali sint, tempore suo mittam*: tempus autem destinatum, & præfixum assignat Daniel. cap. 9. Et ipse Isaias cap. 54. vt infra dabimus. Ipse autem Isaias significans citò venturum Messiam dicit cap. 66. num. 7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum*. Et subiungit: *Quis audiuit vnquam tale? Et quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die vna? Aut parietur gens simul? Quia parturiuit, & peperit Sion filios suos, &c.* Dicit hîc Propheta populum similem esse fœminæ parturienti, iuxta Rabbinos, & iuxta Targum; & significare voluit populum Hebræum, antequam haberet grauem tribulationem captiuitatis vltimæ (quam tribulationem exponunt ipsi per dolorem partus) pariturum fuisse filium masculum, Messiam per filium masculum intelligentes. Quia tamen vi-

debatur res noua, & incredibilis, quòd priùs fuisset partus, & postea partûs dolor sequeretur, ideo addit: *Quis audiuit vnquam tale?* Quòd verò Propheta loquatur de Messia venturo ante illum partûs dolorem, seu tribulationem captiuitatis vltimæ, in qua nunc sunt Hebræi, bene Galatinus lib.4. cap.11. pag. 116. cum sapientioribus Rabbinis: quamuis aliqui minùs docti Rabbini fallantur, existimantes vocem Terem in textu Hebraico idem valere, atque *dum* aduerbium latinum, & sic falsò putant destructionem Ierusalem non post Messiam, sed dum vixerit in terris Messias, peragendam esse. Sed vocem illam Terem significare, *Antequam*, ostendit cit. Galat. pag. 118. ex doctioribus Rabbinis: & ideo antequam Iudæa pateretur dolorem ruinæ Ierusalem, significatum per dolorem partûs, Synagoga per Virginem MARIAM Sanctissimam, semper Virginem purissimam, peperit Christum, videlicet 75. annis ante Ierosolymæ, templique secundi ruinam. Vide, quæ Targum dicit exponendo hunc textum. Sic enim ait: *Antequam veniat illa angustia, erit saluata Israel; & priusquam ei veniant illi partûs dolores, erit reuelatus, & manifestatus Rex Messias*: volens significare, quòd, antequam veniret illa captiuitas vltima, & perpetua dispersio; in qua sunt de præsenti, & erunt vsque ad finem mundi, venturus esset Messias. Et in lib. Ialcut signo 371. exponendo eundem versiculum Isaiæ, sic dicit: *Antequam natus sit subiugator principalis populi Hebræi, natus iam erit Redemptor vltimus, nimirum Messias*. Nunc sic. Principalis subiugator populi Hebræi fuit Titus, & Vespasianus Pater, Romanorum Imperator; tum quia fuit atrocissima omnium, quas passi sunt Hebræi, subiectio; vt narrant illius tempestatis historici; tum quia ab eo tempore nostrum ad vsque tempus flagellum illud perseuerat: si ergo Messias venire debuerat, antequam natus esset Titus, & hic est iam mortuus ab hinc tot sæculis, necessariò fateri debent Hebræi, iam venisse Messiam.

56. Opponent Hebræi, illam vocem Riscion, quam

nos

nos aſſumimus ad ſignificãdum principale, non ſignificare principale, ſed primum: ergo non poteſt intelligi de Tito, qui non fuit primus ſubiugator; nam ante Titum fuit ſubiugator Pharao, & poſtea Babylone Nabuchodonoſor. Reſpondetur; cùm iſta prophetia fuerit pronunciata multo tempore poſt mortem Pharaonis, qui fuit primus populi Hebræi ſubiugator, ſi vox Riſcion ſignificaſſet primum, iam non poſſet intelligi de Pharaone; neque etiam poſſet intelligi de Nabuchodonoſor: quia ſi ita de illo poſſet intelligi, dici oporteret, quòd Meſsias veniſſet ante Nabuchodonoſor; quod tamen ab omnibus negatur: Chriſtus verò fuit natus, antequam Titus naſceretur; qui fuit ſubiugator populi Hebræi: ergo vox Riſcion non poteſt ibi ſignificare primum, bene tamen ſignificat principale: nam licèt hæc vox in aliquibus Sacræ Scripturæ locis primum ſignificet; in multis alijs locis ſignificat principale; vt bene ait Rabbi Dauid Chimchi in ſuo Dictionario in radice roſc, vbi adducit verſiculum illum 13. cap. 10. Danielis: *Et Ecce Michael vnus de Principibus primis*. Et ibi exponit illam vocem Riſconim; quæ eſt plurale vocis riſcian, itaut ſignificet principalis: non enim poteſt intelligi de primis ordine temporis; ſiquidem Angeli omnes fuerunt creati ſimul: ergo licèt in priori illo textu illa vox riſcion ponatur, non debet intelligi de Tito ſubiugatore primo ordine temporis; ſed de principali ſubiugatore, ſicut verè fuit Titus, iuxta ea, quæ ſupra diximus. Ex quo patet prophetiam verè intelligendam eſſe, vt Meſsias venire deberet, antequam vltima captiuitas, & diſperſio facta eſſet per Titum, in qua nunc ſunt Hebræi, & erunt ſemper vſq; ad finem mundi; & conſequenter veniſſe iam Meſsiam, non debent Hebræi vlla ratione dubitare.

57. Vellem ego, legiſſent Hebræi doctiores, probatioreſque ſuos Rabbinos, & præcipuè Rabbi Moyſen Addarſcian illorum doctiſſimum, & probatiſsimum prædicatorem, & Scripturæ interpretem: à quo ſe didiciſſe Magiſtro fatetur Rabbi Salomon; & certè eorum deſiderio fieret

ſatis:

ſatis: ille enim meliùs, quàm cæteri, declarat dictum Rabbinorum allegatum in libro Ialcut; exponitque verſiculum citatum Iſaiæ, dicens: *Antequam ſit ille natus, qui ablegaturus eſt populum Hebræum in vltima captiuitate, naſcetur Redemptor, nimirum Meſſias*. Ex quibus verbis conſtat, naſciturum eſſe Meſſiam ante vltimam captiuitatem, in qua nunc miſerabiliter iacent Hebræi. Ex his fit euidentiſſima demonſtratio contra Hebræos. Vltima captiuitas, ſeu diſperſio populi Hebræi fuit facta per Titum, qui ab hinc mille ſexcentis annis mortuus eſt; vt nullus negat: Meſsias debebat naſci ante dolores vltimæ captiuitatis, vt prædixit Propheta, & explicat Targum cum probatioribus Rabbinis; ergo Meſsiam ab hinc 1600. & vltra veniſſe neceſſariò debent Hebræi concedere, & eſt Chriſtus IESVS, qui ante Titum natus eſt annis iam tranſactis 1692. poſtquam ille in Bethlehem, ex Beatiſsima ſemper Virgine MARIA, prout prædixerant Prophetæ, eſt natus; & conſtat ex Euangelica hiſtoria.

58. Additur id, quod dixit Iſaias cap. 65. num. 1. *Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam: quia iuxta eſt ſalus mea, vt veniat: & iuſtitia mea, vt reueletur*. In quibus verbis oſtendit Deus citò Meſsiam ſalutem mundi venturum eſſe; dicendo, *iuxta eſt, vt veniat*. Igitur, ſi tam citò venturus erat Meſsias ex teſtimonio diuino, & ſi venturus erat, ex eodem diuino teſtimonio, ante vltimam captiuitatem, & diſperſionem; quomodo eſſe poteſt, vt ſint iam tranſacti 2278. anni à tempore, quo Iſaias protulit illam prophetiam, & non venerit iam Meſsias? Oportet igitur credere, ſi non ſimus rationis expertes, iam veniſſe Meſsiam, & eſſe Chriſtum IESVM; qui quidem natus eſt, annis 1692. à ſua natiuitate tranſactis; & antequam natus eſſet Titus Romanorum Imperator, qui poſuit Hebræos in iſta vltima diſperſione, in qua nunc ſunt, & vſque ad finem mundi manebunt.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

Proponitur septima demonstratio aduentus Messiæ ex reprobatione populi Hebræi.

59. SEptimò demonstratur contra obcæcatos Hebræos Christum verum Messiam iam venisse, ex illorum reprobatione. Vnde sic formatur demonstratio; Prophetæ dicunt, quando Messias venerit; populum Hebræum esse à Deo reprobandum, & deserendum; gentesque ad fidem Messiæ vocandas, & conuertendas; sed postquam Christus venit, populus Hebræus fuit à Deo reprobatus, & derelictus; & gentes fuerunt ad fidem Christi vocatæ, & conuersæ, vt nostris oculis nunc videmus: ergo vel prophetiæ sunt falsæ, quod Hebræi non dicent; vel Messias iam venit, & est Christus IESVS. Legantur iam prophetiæ. Prima est Oseæ cap.9. num.15. *Propter malitiam adinuentionum eorum de domo mea eijciam eos; non addam, vt diligam eos: omnes Principes eorum recedentes*. Quasi diceret: excogitauerunt Iudæi mille dolos, falsa testimonia, accusationes, insidias, maligna conciliabula iniere, vt me Messiam suum perderent, & occiderent: sed ego propter hæc illorum flagitia ab Ecclesia domo mea eos eijciam; & non iterum eos diligam: eorum Principes omnes recedent, & non ampliùs erunt. Et nu. 16. *Abijciet eos Deus meus; quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus*. Loquitur hîc Propheta, quasi diceret: quia non audierunt Christum verum Messiam Deum meum; ideo ipse illos abijciet, & reprobabit, eruntque vagi, ac per nationes alienas dispersi.

60. Idem Oseas cap.1. num.6. *Voca nomen eius absque misericordia: quia non addam vltra misereri Domui Israel; sed obliuione obliuiscar eorum*. Et num.9. *Voca nomen eius, non populus meus: quia vos non populus meus; & ego non ero vester*. Et idem in c.4.n.5. *Corrues hodie, & corruet etiam*

Pro-

Propheta tecum. Quod quidem videmus nunc impletum: quia à tempore, quo eiecti ſunt propter occiſionem Meſſiæ; corruit illa Monarchia Hebræa, & nulli inter eos diſperſos per varias Nationes Prophetæ ampliùs extitere, neque iam eos vnquam ſunt habituri. Et num. 6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Id eſt, quia noluiſti à Meſſia Doctore, ac Magiſtro tuo ſcientiâ inſtrui: quia ſcientiam, ſeu Sapientiam incarnatam à Ieruſalem repuliſti, vulneraſti, percuſſiſti, crucifixiſti, & abſtuliſti vitam Authori vitæ tuæ; ideo te reprobaui, reieci, diſperſi, vt iam non habeas Sacerdotium, nec vllum mihi offeras Sacrificium: quia nulla tua oblatio mihi acceptabilis eſt, imò execrabilis, & abominabilis: *Oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego*. Id eſt, noluiſti recordari legis ſcriptæ, quæ de me loquebatur; neque legis gratiæ, per quam tibi loquebar; quæ vtraque lex erat lex Dei tui; ſiquidem ego ipſe, qui loquebar tibi per legem ſcriptam, tibi iam factus homo ex generatione tua locutus fui per legem gratiæ: *Oblita es legis Dei tui, ideo obliuiſcar filiorum tuorum & ego*.

61. Secunda prophetia eſt Prophetæ Amos cap. 5. n. 1. *Iſrael cecidit, & non adijciet, vt reſurgat. Virgo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam; non eſt, qui ſuſcitet eam*. Sed non poteſt Propheta intelligi de prima diſperſione in Ægyptum: nec de ſecunda in Babylonem; quia de vtraque redierunt: ergo de hac tertia, quia iam ex mille, & ſexcentis annis, & vltra à ſua illa ruina, & diſperſione non ſurrexerunt, neque ad finem vſq; mundi reſurgent. Et idem Amos c. 6. n. 8. *Iurauit Dominus Deus in anima ſua, dicit Dominus Deus exercituum: deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam Ciuitatem cum habitatoribus ſuis*. Quod quidem impletum eſt in deſtructione Ieruſalem, & diſperſione Iudæorum facta per Titum, quem Deus ſumpſit vt flagellum ad eos ſic flagellandum. Et mox num. 13. huius cauſam aſsignat tam atrocis ſupplicij: *Quoniam conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſynthium,*

thium. Id eſt, quia, cùm Meſsias veniſſet, vt faceret iudicium, & vt vos iuſtificaret, & ſaluaret; conuertiſtis ipſum iudicium, & iuſtitiam, ſeu ſupremum veſtrum Iudicem, & iuſtificatorem dulciſsimum in amaritudinem Crucis, in qua ipſum filium Dei, & Saluatorem veſtrum iniuſtiſsimè poſuiſtis. Breuiùs; diſperſi eſtis, quia Chriſtum crucifixiſtis. Et quamdiu in hoc peccato perſtiteritis, in hac diſperſione, & exilio permanebitis: quia Deus veriſsimus, ſummèque miſericors eſt; pœnitentibus illico miſeretur; impœnitentibus nunquam dimittit.

62. Tertia prophetia eſt Prophetæ Iſaiæ cap. 24. nu. 20. *Et grauabit eam iniquitas ſua, & corruet; & non adijciet, vt reſurgat*. Id eſt, populus Hebræus, qui Meſſiam ſuum ſumma iniquitate interficiet, pondere huius horribilis ſacrilegij grauatus corruet; & non ampliùs reſurget.

63. Quarta prophetia eſt Ieremiæ 15. nu. 1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: eijce illos à facie mea, & egrediantur*. Id eſt, propter horribile peccatum Iudæorum non recipiendo me; imò me interficiendo, nec etiam ſanctis maximæ ſanctitatis intercedentibus, ad eos, vtpote de ſuo peccato impœnitentes, affectum dirigam: ſed egredientur eiecti à Ieruſalem, vt non ampliùs reuertantur. Et num. 5. *Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Quaſi diceret. Non erit iam tibi Rex, aut Princeps, qui mittat legatum, pro pace obtinenda, ſed perpetuò in captiuitate, diſperſioneq; permanebis. Et num. 6. dat rationem, cauſamque aſſignat huius Hebræorum infeliciſſimi infortunij, dicens: *Tu reliquiſti me, dicit Dominus, retrorſum abijſti; & extendam manum meam ſuper te, interficiam te: laboraui rogans* Quaſi diceret: Tu, ò popule Hebrææ, reliquiſti me, & Cæſarem vt Regem tuum voluiſti, dicendo non habemus Regem, niſi Cæſarem; recepiſti homicidam, & ſceleratum, & me authorem vitæ, innocentem, & iuſtum deſeruiſti, & ad mortem iniuſtiſſimam impuliſti; ego deſtruam te, & di-

ſpergam; omnem conatum adhibui, vt te ad regnum, ad pacem, ad quietem adducerem; prædicando, docendo, rogando. *Laboraui rogans*. Idem Ierem. lamentat. cap. 5. num. 20. inquirit à Deo ſic: *Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri? derelinques nos in longitudinem dierum?* Cui interrogationi reſpondit Dominus. Ierem. prophetiar. cap. 8. num. 5. *Apprehenderunt mendacium; & noluerunt reuerti*, i, apprehenderunt falſam cogitationem, ſcil. me ſuum non eſſe Meſſiam, ſuum Redemptorem, & Saluatorem; & in hoc apprehenderunt mendacium; quia ego verus Meſsias ſum, qui loquor eis; & ideo ſic decepti non reuerterunt ad me. Et num. 6. *Attendi, & auſcultaui; nemo, quod bonum eſt, loquitur: nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato: dicens, quid feci?* quaſi diceret: ego eos audiui, & omnes loquebantur blaſphemias contra me; calumnias, falſa teſtimonia, contra me eructabant: & quod peius eſt, de peccato homicidij, aut Deicidij, quo me è cruce ſuſpenderunt, poſt vulnera, poſt flagella, poſt coronam ſpinarum capiti meo impoſitam; poſt clauos, quibus me affixerunt; poſt fel, & abſynthium, quæ mihi potanda inhumaniter porrexerunt; poſt lanceam, qua latus meum aperuerunt; nullus eſt, qui de hoc grauiſsimo peccato doleat, pœnitentiamque agat; & ad me reuertatur. Et n. 7. *Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini*; id eſt, Aues illæ ratione carentes cognouerunt tempus aduentus ſui; populus autem meus non cognouit tempus aduentus mei: qui veni ad faciendum iudicium rectum, ad iuſtificandum, redimendum, & ſaluandum illum; cùm tamen per Prophetas, per miracula, per alia ſigna manifeſta potuiſſent cognoſcere illud eſſe tempus aduentus mei, & me cognoſcere, recipere; & noluerunt; & adhuc obſiſtunt, reluctantur, aduerſanturque; hæc eſt tota cauſa, cur ego illorum oblitus ſum, eoſque ad finem vſque mundi meritò dereliqui,

64. Quin-

64. Quinta prophetia de hac Hebræorum reprobatione habetur in Deuteronomij cap.32.num.18. *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui: vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij tui, & filiæ: & ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum: generatio enim peruersa est, & infideles filij*. Id est, quia Messiam verum Deum Creatorem tuum non agnouisti, nec recepisti; idcirco faciem meam abscondam à te, ò popule Hebræe, id est, non miserebor tui, sed procurabo nouissimis tuis, scil. vltimo iudicio, morte, inferni cruciatibus te iustissimè affligere.

65. Sexta prophetia de Hebræorum reprobatione habetur in psalmo 2. vbi postquam Propheta prædixit mortem Christi; ad quam Herodes, Pilatus, & Principes Iudæi concurrerent, in illo versiculo 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*: dixit num. 4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Id est, Christus, qui ascendens in cœlum iam ibi habitat, illos puniet, reprobabit, ablegabitque; & Pater Æternus in loco illorum Rebellium, Regnum, & hæreditatem ex gentibus constitutam filio suo dabit. ibi n.8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ*. Et n.9. Pater vertens sermonē ad Rebelles Hebræos loquitur sic Messiæ filio suo: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. Id est, istos rebelles, & obstinatos Hebræos, qui noluerunt esse hæreditas, Regnum, & populus tuus: reges, non suauitate Sacramentorum, Sacroque Eucharistiæ pane pasces, ac diriges, sicut filios tuos fideles: sed iudicio acerbissimo, & ferreo, sicut vilia mancipia tractabis, & in carcere perpetui exilij frænabis: & confringes sicut vas figuli, quod confractum inutile iam redditur ad cælestes aquas recipiendas; id est, inutiles erunt ipsi miserabiles Hebræi ad recipiendam gratiam Sacramentorum, quæ solùm fideles baptizati recipiunt.

 66. Hanc

66. Hanc etiam Hebræorum reprobationem fatentur illorum Rabbini, vt legitur in libro Ialcut in cap. 4. ſuper Ezechiel.verſ.3. vbi ſic dicitur: *A die deſtructionis Templi fuit interpoſitus murus ferreus intra Iſrael, & Patrem eius, qui in Cœlis eſt, ſicut ſcriptum eſt* in Ezech.loco cit. *Et tu ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te, & inter Ciuitatem*; quibus docere voluit, quòd poſt templi ruinam inter Deum, & Hebræos interponendus ſit murus ferreus, ne ſcil.orationes, & preces eorum ad Deum tranſeant, id eſt, ne ipſi à Deo exaudiantur. Et hoc ipſum experientiâ compertum eſt; ſiquidem tranſactis 1680. annis, in quibus illi continuas effundunt preces ad Deum, ab illo non exaudiuntur; & illis à Deo reprobatis, ac derelictis; gentes in populum ſuum dilectum elegit. Vt autem hanc reprobationem Deus illis manifeſtaret, 4. ſigna manifeſtiſſima eiſdem præbuit. 1. fuit, quod 40.annis ante templi ruinam, in quo tempore Chriſtus fuit in Monte Caluario à Iudæis crucifixus, ſors manus dexteræ ceſſauit. 2. quòd ſplendoris lingua, quæ erat parua quantitas lanæ rubræ in figura linguę, non ampliùs candorem acquirebat. 3. quòd lucerna veſpertina ab eo tempore ſemper extinguebatur. 4. quòd vaſtæ illæ Templi portæ, quæ vix à 20. hominibus antea poterant aperiri, ab eo tempore à ſeipſis, nullâ hominum quæſitâ induſtriâ aperiebantur. Hæc omnia habentur in Thalmud in tractatu dicto Ioma, titulo de die expiationis cap.4. vbi leguntur hæc verba fideliter translata. *Quadraginta annis ante ruinam Templi* (qui fuit annus Paſſionis Domini) *non ampliùs ſors illa dexteræ manus obuenit, nec ſplendoris lingua reddita fuit alba, nec Veſpertina lucerna ardebat; & Templi portæ per ſeipſas aperiebantur, ſemperque apertæ inueniebantur*. Hæc ſunt verba Thalmud, quæ etiam in libro Ialcut, ſuper Zachariam cap.51.reperiuntur. Ex his quatuor ſignis à Deo datis populo Hebræo manifeſtè patet, Deum iam nolle illum populum, niſi Chriſtum acceptet, & vt ſuum Saluatorem recognoſcat; & quamdiu ipſe ſtul-

tus

tus populus in sua fuerit obstinatione, esse à Deo reprobatum, & nolle se ab vno tantùm populo adorari, sed ab omnibus Nationibus totius mundi, quas omnes Christus Dominus redemit in cruce pro omnibus passus.

67. Vt autem hæc 4. signa meliùs intelligas, illa oportet hîc paulò ampliùs explicare. Quoad primum scire debes, quòd in solemni expiationis die; in qua credebant Hebræi Deum ipsis peccata populi remittere, statuebantur ante summum Sacerdotem duo hirci; vnus ad dexteram, alter ad sinistram summi Sacerdotis; ex quibus, qui ad dexteram erat, significabat populum Hebræum; qui verò ad sinistram, populum Gentilem. Ille autem, qui populum Hebræum significabat, offerendus erat Deo in sacrificium pro peccatis populi; alter verò, qui significabat populum Gentilem, eijciendus erat in desertum, ad Azazel, id est, ad Dæmonem. Positis igitur duobus his hircis: vno ad sinistram, altero ad dexteram Sacerdotis; faciebant duas schedulas; in vna erat scriptum, *Deo*; in altera, *Azazeli*, seu *Dæmoni*. Schedulæ sic scriptæ in vas quoddam mittebantur; & inde sorte educebantur, & vna supra vnum hircum, altera super alterum ponebantur. Res mira! semper schedula, in qua erat scriptum, *Deo*, Sorte obueniebat hirco posito ad manum dexteram Sacerdotis; illa altera semper obtingebat hirco posito ad sinistram; per quod Deus maxima cum Hebræorum exultatione significabat populum Hebræum tunc esse electum, fidelem, Deoque placere; & populum Gentilem reprobum esse, diaboloque seruire; & ideo solus ille dexter Deo sacrificabatur; sinister verò in solitudinem, tanquam reprobus eijciebatur. Postquam verò Christus Dominus crucifixus est, semper sors felix obueniebat hirco posito ad sinistram; & sors sinistra obueniebat hirco posito ad dexteram: per quod Deus illis significabat, post mortem Redemptoris sortes esse mutatas, Gentilem populum esse electum, fidelem, & Deo placentem; & populum Hebræum reprobatum, infidelem, & Deo execrabilem, quamdiu Saluato-

rem

rem suum pro eis crucifixum non agnouerint, Christianamque eius legem non acceperint; & baptismum non susceperint.

68. Quantum ad secundum signum. Solebant Hebræi eadem die inter cornua hirci vnam partem lanæ rubræ ponere; quam splendoris linguam appellabant: & ibi manebat vsque ad finem celebrationis sacrificij; & eo finito, & venienti iam tempore eijciendi hircum ad solitudinem, lana illa rubra reddebatur alba, sicut nix; & hoc erat signum Deum peccata populi remisisse, iuxta illud Isaiæ 1.num.18. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. At postquam ipsi Hebræi crucifixerunt Dominum, illumque acceptare noluerunt verum Messiam, Redemptoremque suum; non ampliùs lana illa rubra reddita est alba, sed remanebat rubra, sicut antea. Quod erat signum euidentissimum, quòd Deus illis non remittebat peccata, cùm ipsi manus sacrilegas respersas habuissent Sanguine Christi veri Messiæ; quin illos pœniteret peccati illius horribilis, quo effecerunt, vt Christus verus Messias crucifigeretur: & impleretur id, quod dictum est per eundem Prophetam Isaiam eod cap. 1. num. 15. *Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Non remittet Deus illis peccata, quamdiu illarum manus sint respersæ sanguine Messiæ occisi; vt semper sunt, quando eos non pœnitet illius peccati; & non acceptent Christum vt verum Messiam, lauando se salutari aqua baptismi; vt mox illos ad hoc exhortatur Propheta, dicens: *Lauamini, mundi estote*.

69. Tertium signum fuit; quòd lucernæ candelabri, quæ antea semper erant accensæ, præcipuè lucerna, quæ erat in medio, accensa semper erat, neque vnquam extinguebatur, quamuis ventus perflasset, vel oleum defecisset: at postquam Christus Dominus crucifixus est; semper extinguebatur, licèt plena esset oleo: quo signo Deus illis manife-

stare

ſtare voluit legem cæremonialem extinctam iam eſſe. Quartum ſignum fuit, quòd portæ templi, quæ finito ſacrificio, claudebantur; & antea, quando volebant illas aperire, ad minùs 20. hominibus opus erat; poſtquam Meſſias ab illis fuit crucifixus, & recuſatus, ac reprobatus, ſemper inueniebantur apertæ; & quando ab illis claudebantur, poſt mediam horam reperiebantur apertæ: quo ſigno Deus voluit Hebræis ſignificare portas templi apertas eſſe debere, vt poſſet intrare Titus, templumque deſtruere non ampliùs reædificandum; vt impleretur prophetia Danielis cap. 9. dicentis poſt Chriſtum occiſum, venturum eſſe populum, ſcil. Romanum, cum ſuo Duce, ſcil. Tito, & deſtructurum eſſe ciuitatem, & templum, & hanc deſolationem permanſuram eſſe vſque ad finem mundi; quam prophetiam infra expendemus; ideo hìc illam ſolùm attingo.

70. Ex his prophetijs, & ex his 4. ſignis datis à Deo ipſis Hebræis, vt ipſimet Hebræi in ſuo Thalmud citato fatentur, manifeſtè conſtat populum Hebræum à Deo eſſe reprobandum; & quòd Meſſiam ſuum negaturus, occiſuruſq; erat; ſed noſtris oculis videmus omnia iſta impleta; Chriſtum fuiſſe ab illis Hebræis negatum, & crucifixum; & ab illo tempore, vſque ad hoc præſens illos eſſe à Deo reprobatos, eiectos, & ſine Rege, & Principe diſperſos: ergo euidens eſt Chriſtum iam veniſſe; ipſoſque Hebræos eſſe obſtinatiſſimos in errore ſuo, & in ſtatu æternæ damnationis, niſi conuertantur, & baptizentur. Totum hoc confirmatur ex ipſiſmet Rabbinis in libro Ialcut ſigno 368. & in lib. Midras Tillim exponendo primum verſiculum Pſalmi 10. vbi ſic dicitur: *Dixit Rabbi Iochanan: Annis tribus, & medio in monte Oliueto ſtetit Diuinitas; clamabat, vociferabatur: quærite Deum, quando inueniri poteſt; ipſi verò audire noluerunt; aut non reſpexerunt, ſicut ſcriptum eſt: Inuentus ſum ab illis, qui me non quærebant, & quæſitus ab ijs, qui me non requirebant. Dixit Rabbi Hanina. Adeſt exemplum vnius iter facientis, nocte iam appetente, qui ob*

hanc

hanc causam fuit amicè inuitatus ab vno ostiario, vt ad domum suam diuerteret, qui tamen illuc diuertere recusauit: media autem nocte coactus metu reuersus est ad inuitantem, qui respondit intempestè iam venire, iamque tempus non esse fores aperiendi. Sic Deus benedictus, & sanctus dixit: quærite Deum, quando inueniri potest, implorate, conuertimini filij rebelles, & noluerunt illum audire: tunc Deus dixit: ego reuertar iterum ad meum locum: illi verò, quando in tribulationem inciderunt clamare cœperunt: quare Deus longè es à nobis? Tunc Deus sanctus, & benedictus dixit: quando ego vos quæsiui, vos noluistis: nunc, quando vos me quæritis: ego nolo: vos non cognosco: mensura pro mensura. Hucusq; Rabbini, qui bene cognouerunt, Christum Dominum tribus annis, & medio vocasse, & Hebræos in terra quæsiuisse, ab illis non fuisse auditum, ignominiosè tractatum, & tandem crucifixum: & quando à mortuis resurrexit, in locum suum, id est, in cœlum, à quo exierat, redijsse; illosque rebelles iam exaudire nolle. Igitur etiam ex his Rabbinis constat, Hebræos, qui Christum verum Messiam reprobarunt, ab eodem Christo nunc iustissimè reprobari. Hoc ipsum Rabbini ex prophetijs, Psalmis, & lege veteri collegerunt; & Christi factis, quæ ipsi Hebræi, suismet oculis vidêre, rem penitus confirmari. Agnoscant ergo miserabiles Hebræi suam infelicitatem, conuertantur ad suum Redemptorem, qui adhuc orat Patrem pro illis, dicens: *Pater ignosce illis: quia nesciunt, quid faciunt*; quamdiu verò ad Filium non recurrent, à Patre non exaudientur.



CAPVT OCTAVVM.

Proponitur octaua demonstratio, qua demonstratur contra Iudæos, Messiam Christum IESVM Filium Virginis MARIÆ beatissimæ iam venisse.

71. SEptima demonstratio est complementum demonstrationis præcedentis, in qua ostensum est Messiæ aduentum probari manifestè ex reprobatione Iudæorum, & ex vocatione gentium; de primo iam dictum est; nunc agendum de secundo. Itaque hîc instauratur eadem demonstratio capite præcedenti exposita. Prophetæ prædixerant, quando venisset Messias, ad illum gentes esse conuertendas: nos videmus nostris oculis gentes ab idololatria ad verum Deum esse conuersas per prædicationem Christi Domini, suorumque discipulorum: ergo Messias iam venit, vel prophetiæ sunt falsæ, quod Hebræi non dicent. Maior propositio non aliter probatur, quàm adducendo prophetias, quæ de hac gentium conuersione expressissimè loquuntur. Prima prophetia est Oseæ cap. 1. num. 10. Vbi, postquam dixerat Synagogam non esse iam populum suum, vertit se ad gentes iam ad fidem Christi conuersas, quas propterea vocat Israel, non in sanguine, sed in fide Dei Israel: dicit hos fideles Christianos tot numero futuros, vt sicut arena maris numerari non possint. *Et erit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur.* Et mox de his gentibus iam ad Deum conuersis, subiungit: *Et erit in loco, vbi dicetur eis: Non populus meus vos*; cùm antea non possent dici populus Dei; siquidem adorabant idola, seu Deos sine vita; in loco istius pristinæ nominationis: *Dicetur eis, Filij Dei viuentis*; id est, vos iam estis filij Dei viuentis; & non, vt antea, adoratores Dei falsi, siue idoli sine vita. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter:*

ter: & ponent sibimet caput vnum, id est, Descendentes à Tribu Iudæ: & 10. Tribus Israel, simul cum gentibus, quæ Tribus 10.& gentes auersæ erant à Deo, postea per conuersionem ad fidem Christianam iam habebunt vnum solum caput Christum, & eius Vicarium Summum Pontificem, eiusque successorem Pontificem Romanum: *Et ascendent de terra*; id est, illis iam erit ascensus ad cælestia: *Quia erit magnus dies Iezrahel*, id est, populi Christiani, seu Ecclesiæ dies erit magnus, & festiuus; vt est quilibet dies, in quo aliquod festum Christi, puta, Natiuitatis, Resurrectionis, Ascensionis in Ecclesia celebratur.

72. Quòd verò hîc Propheta loquatur de populo Christiano ex Gentibus,& ex aliquibus Hebræis,tam ex duabus Tribubus Iudæ,& Beniamin,quàm ex alijs 10. Tribubus ad Christum conuersis, & non de populo Hebraico ad Christum non conuerso, probatur manifestè 1. quia de populo Hebraico dixerat eodem cap. num. 9. quòd iam populus eius non erat: *Voca nomen eius, non populus meus: quia vos non populus meus: & ego non ero vester*. De his verò dixit, quòd populus suus erit, vt mox in cap.2. num.24. dicitur: *Et dicam non populo meo*, id est, populo gentili, *Populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu*. Deinde populum Hebraicum dixit futurum esse absq; misericordia, postquam Christum non acceptauit. cap. 1. num.6. *Voca nomen eius absque misericordia, quia non addam vltra misereri Domui Israel.* De populo autem gentili iam ad Christum conuerso, dixit cap.2.num.23. *Et seminabo eam mihi in terra, & miserebor eius, quæ fuit absque misericordia*. Id est, gentes, quæ non participabant de mea misericordia, id est, de mea fide, & gratia, iam in me credent; & ex meæ misericordiæ, siue gratiæ diuinæ participatione saluæ erunt: quia in illam gentem, vt in terram, & hæreditatem meam, siue prædium meum seminabo, id est, verbum Dei spargam per meos Apostolos, & discipulos, ac prædicatores. 3.tandem, quia postquam Deus dixerat se derelicturum absque misericordia in sempiternum ipsos Hebræos ob horribile sacrilegium

legium occidendi Messiam, vt patet ex nostro capite præcedenti; vertens se ad gentes, dicit se desponsaturum esse sibi populum illum Gentilem iam conuersum; & hoc sponsalitium in perpetuum duraturum, vt ait cap.2. num. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide*. In iustitia, scil.per baptismum; per quod iustificantur baptizati. In iudicio, id est, per iudicium Sacramentale Sacramenti pœnitentiæ, si post baptismum in peccatum labantur. In misericordia, id est, per actum contritionis, non habendo copiam Confessoris; per quem actum, qui est Sacramentum in voto, Deus largitur ex sua misericordia gratiam iustificantem. In miserationibus, id est, in multis auxilijs efficacibus, illustrationibus, scil. & inspirationibus ad fugiendum malum, & sequendum bonum æternæ salutis. In fide, id est, stabili, firma, per quam certò credant in sola Ecclesia Dei salutem æternam obtineri posse. Et subiungit mox: *Et scies, quia ego Dominus*; id est, cognosces me solum esse Deum; & alia, quæcunque à gentibus credebantur, numina falsa esse, & vana: & ideo iam non inuocabis Deum Iouem, Mercurium, Martem, Apollinem, &c. prout idem Dominus dicit per eundem Prophetam Oseam cap.2. n.17. *Auferam nomina Baalim*, id est, Deorũ inanium, *de ore eius*, id est, populi huius Christiani: *Et non recordabitur vltra nominis eorum*, scil. vt eos colat, sed vt eos tanquam falsos execretur.

73. Ex quibus omnibus manifestè patet Oseam Prophetam in ea prophetia in capite. 1. loqui de populo Christiano ex Gentilibus conuerso; & non de populo Hebraico in lege veteri cæremoniali, post Christi aduentum perseuerante. Ratio est 1. quia loquitur de illo populo, cui Deus largiturus erat misericordiam in perpetuum, vt dictum est: populo autem Hebræo dixit, in æternum fore absque misericordia, si Messiam non acceptet, vt etiam dictum est: ergo omnino secum pugnantia ponerentur;

si Propheta de Christiano populo non loqueretur. 2. quia loquitur de illo populo, quem antea Deus sibi non desponsauerat; populum autem Hebræum sibi desponsauerat. 3. quia loquitur de illo populo, in quo fieret iustificatio per primam iustificationem ex baptismo; & per secundam ex iudicio Sacramentali Sacramenti pœnitentiæ, quæ non fuerunt in populo Hebraico, & sunt in Christiano; & de frequentioribus auxilijs efficacibus, & frequentioribus operibus charitatis, & miserationis: quæ tot non erant in populo Hebraico, & sunt in Christiano; vt omnes vident. 4. loquitur de innumerabili fideliũ numero, qui est in Ecclesia Christi toto Orbe dispersa: populus verò Hebraicus ad angustos cãcellos Palæstinæ arctabatur; & hodie multò minor est numerus. 5. quia loquitur de populo, qui postquam fuerit conuersus, non ampliùs ad vomitum idololatriæ rediturus erat: *Non recordabitur vltra nominis eorum, &c.* & ideo Deus de hoc populo dixit, illum futurum esse ipsi Deo in fide semper vnitum; quod solùm visitur in populo Christiano; in Hebræo autem erat fides adeò debilis, vt toties, quoties idolis seruirent, vt est plena scriptura; & licèt modò non seruiant Hebræi idolis; ideo est, quia cùm non acceptando legem Christi, mancipia sint Diaboli, hac seruitute contentus Diabolus, non curat illos ad idololatriam instigare, sicut faciebat, quando illi sequendo legem Moysis ante aduentum Christi promulgantis legem nouam promissam per Prophetas, populus erant Dei, & filij Dei viuentis. Ex parte verò Dei est altera ratio, cur ipsi modò non permittantur à Deo seruire idolis; ne, scil. existiment esse à Deo dispersos, & eiectos propter idololatriam; sed aliam esse causam vrgentiorem tam horribilis supplicij, videlicet perpetui exilij iam à mille, & sexcentis annis, & vltra; nimirum verum Messiam non acceptare; & in hoc peccato sine pœnitentia persistere. Imò, quòd ipsi perfidi Hebræi propter horribile sacrilegium contra Christum ab eis patratum dispersi, & in perpetuum

petuum relegati non essent idolis seruituri, prædictum fuit etiam per Prophetas, vt supra iam vidimus: loquitur ergo Propheta de conuersione gentium ad Christum.

74. Secunda prophetia de conuersione gentium est Isaiæ cap. 45. num. 22. *Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ.* Et mox subiungit: *quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Et idem Isaias cap.49. num.6. loquendo in persona Dei ad Messiam, dicit sic: *Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Et idem Propheta cap.65. num.1. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant: inuenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum.* Vbi vide: manifestè loqui de conuersione gentium, quæ antea verum Deum non quærebant, nec inuocabant; quod quidem non potest dici de Hebræis, qui illum inuocabant, & quærebant: imò in confusionem rebellium Iudæorum ad illos dixit in eodem loco: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Id est, ego in cruce sublatus huic populo incredulo manus expandebam meas; sed ille falsò imaginando me non esse Messiam, post has suas falsas imaginationes ferebatur; & graditur semper in via non bona, id est, in illa lege Mosaica, antea bona; posteà verò per me vtriusque legis authorem reuocata, iam non est bona, & non solùm mortua, sed mortifera; quod ipsi deberent, si bene Prophetas legerent, attentè considerare; & cognoscere leges cæremoniales solùm vsque ad aduentum Messiæ durare debere. Vbi vides Prophetam in eadem prophetia prædixisse, & conuersionem gentium, & incredulitatem Iudæorum. Idem Isaias c.11. num. 10. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum: ipsum gentes deprecabuntur.* Et Patriarcha Iacob Genes.c.39.num.10. *Et ipse erit expectatio gentium. Ad illum congregabuntur omnes populi*; quos textus exponunt Rabbini in libro Raboth, vbi sic dicunt: *Congregabuntur, &c.* loquitur de Messia: *Quia illi omnes gentes congregabuntur,*

vt

vt ſcriptum eſt in Iſaia cap. 11. *in illa die radix Ieſſe*, *&c.*

75. Tertia prophetia eſt in Pſal. 99. pro confeſſione: *Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia*; quem Pſalmum exponendo Rabbini in libro Midras Tillim ſic dicunt: *Dixit Rabbi Iacob in nomine Rabbi Abbu, in nomine Acha, Pſalmus pro confeſſione denotat; quòd Deus dicat: omnes gentes me confitebuntur: & ego illas recipiam; ſicut ſcriptum eſt* in Iſaia cap. 45. *Mihi curuabitur omne genu, &c.* Et hoc etiam confirmat Dauid Chimchim Rabbi in cap. 16. Iſaiæ, vbi ſic ait: *Deus meus fortis, & fortitudo mea, vult oſtendere; hi, quos ego increpo propter adorationem Idolorum*, ſcil. Hebræi, *nolunt à via ſua mala redire; ſed ego ſcio, quòd veniet tempus, in quo gentes à longe venient à finibus terræ; & dicent: certè Patres noſtri errauerunt, ſequendo Deos inanes, & falſos, & hoc erit in diebus Meſſiæ.* Vbi vides etiam Rabbinos bene agnouiſſe, gentes eſſe conuertendas in aduentu Meſſiæ.

76. Idem Iſaias cap. 61, num. 11. *Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat; ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam, & laudem coram vniuerſis gentibus.* Idem dixerat cap. 25. num. 3. *Laudabit te populus fortis*, id eſt, populus Romanus, *Ciuitas gentium robuſtarum*, id eſt, Roma, *timebit te*; id eſt, ſeruiet tibi, & adorabit te. Et infra prædicit Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum, quod continuabitur in Eccleſia fidelium vſq; ad ſæculi conſummationem. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc*, hoc eſt, in Eccleſia fidelium, *conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum; vindemiæ defæcatæ*; id eſt, panis, & vini conſecrati in Corpus, & Sanguinem Domini, in quo ſunt omnes diuinæ gratiæ dapes continentes omnis ſaporis ſuauitatem.

77. Idem Iſaias cap. 42. num. 1. ita habet: *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea; dedi ſpiritum meum ſuper eum; iudicium gentibus*

tibus

tibus proferet: Et infra. *In veritate educet iudicium: non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium; & legem eius insulæ expectabunt*. Et mox subiungit: *Et dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris*. Et infra: *laus eius ab extremis terræ; qui descenditis in mare; & plenitudo eius Insulæ, & habitatores earum*. Et tandem præuidens Propheta Hebræos vniuersaliter non credituros, subiungit: *Et noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius; & effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu; & non cognouit, & succendit eum, & non intellexit*. Perinde est, ac si diceret: Ecce seruus meus, Messias verus Christus IESVS, seruus, in quantum homo: seruitute filiali dilecti, & diligentis filij, non timore seruili coacti mancipij. *Meus*, quia de meo accepit, à me processit, vt Deus in diuinitate æqualis, licèt in personalitate diuersus, & in humanitate minor iuxta illud Athanasij: *Æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem*. Et iuxta illud Pauli ad Phil. 2. v. 6. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Et à me creatus ex Beatissima MARIA Virgine, absque vllo viri consortio: *Suscipiam eum*, affligendo affligentes illum, condemnando eos, qui illum damnauerint, percutiendo, qui illum percusserint, in æternum reprobando, qui illum reprobauerint: *Suscipiam eum*, miraculis, & prodigijs, quæ nullus alius fecit, illum mundo manifestando: *Suscipiam*, in morte illum gloriosè resuscitando. *Suscipiam eum*, illum ad dexteram meam sedere faciendo. *Electus meus*, vt me glorificet, vt nomen meum hominibus manifestet. *Electus*, vt pro debitis peccatorum plenè, abundanter, exactissimè satisfaciat; *Electus*, vt sit salus hominum, atque Angelorum. *Complacuit sibi in illo anima mea*, id est, diuinitas mea; quod etiam declarauit Apostolis, dum dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo*

mihi

mihi bene complacui &c. Dedi ſpiritum meum ſuper eum; Dedi ſuper eum plenitudinem omnis gratiæ Spiritus Sancti, gratiæ ſubſtantialis increatæ, id eſt, ſanctitatis diuinæ; ſanctitatis creatæ ſubſtantialis hypoſtaticæ vnionis, & accidentalis gratiæ habitualis, pluſquam Moyſi, Abraham, Iſaac, Iacob, & alijs Patriarchis, & Prophetis, & pluſquam Angelis; quod etiam de illo expreſſit Iſaias cap. 11. num. 2. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus Sapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, &c.* Cum quo concordat Euangelium Ioan. 1. num. 33. *Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto: & ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.*

78. *Iudicium gentibus proferet:* Omnibus rectum faciet iudicium, rectamque pronunciabit ſententiam condemnando malos, præmijs bonos cumulando, quod etiam exprimit idem Iſaias cap. 7. num. 14. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Et legem eius,* id eſt, Euangelium, *Inſulæ expectabunt,* id eſt, expectabunt promulgationem Euangelicam. *Dedi te in fœdus populi,* ſcil. Hebræi, cum quo Deus fędus inierat mittendi Meſſiam; *& in lucem gentium:* quia gentes erant in tenebris ignorantiæ, & Chriſtus lux vera eos illuminauit, iuxta illud: *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent:* quod etiam denotant verba ſequentia; *Vt aperires oculos cæcorum, &c. Laus eius ab extremis terræ;* id eſt, in vniuerſa terra nomen Chriſti laudabitur, in ſummaque veneratione habebitur.

79. De eadem conuerſione gentium in aduentu Meſſię loquitur idem Iſai. c. 26. n. 2. *Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem,* iuxta illud Apoc. c. 21. v. 14. Portæ ſunt Apoſtoli: per illos gens intrauit in Eccleſiam Chriſti iuſtificata iam per baptiſmum, & cuſtodiens veram legem, veramque doctrinam; cùm antea erraſſet falſa numina cultu ſuperſtitioſo adorans. Idem Propheta cap. 44. num. 3. loquitur in perſona Dei ſic: *Effundam aquam*

ſuper

superſitientem; baptiſmi aquâ irrigabo gentes terram ſitientem, id eſt, aridam ſine humore gratiæ, nullum fructum vitæ æternæ germinantem: quod idem denotant ſequentia verba; *Et fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum*; ſemen tuum ſpirituale, ſcil. quia gentes ad Chriſtum conuerſæ dicuntur filij Abrahæ ſpiritualiter per fidem Dei veri; quem credidit Abraham, Iſaac, Iacob, &c. *Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas*. Id eſt, gentes iſtæ Sacramenti baptiſmi rigatæ aquis in vberes gratiæ, operumque bonorum fructus germinabunt; ſicut in campis herbarum virore amænis iuxta fluentes riuos virides ſalices vndique germinant; & ſubiungit: *Iſte dicet: Domini ego ſum; & ille vocabit in nomine Iacob*. In hoc ſignificare intendit, fideles in Eccleſia in baptiſmo vocandos eſſe nominibus, vel Domini, vel Sanctorum, vt nunc videmus iſtum vocari Dominicum, id eſt, Domini; alium Iacobum; & idem denotant verba ſequentia: *In nomine Iſrael aſſimilabitur*, id eſt, habebunt ſimilia nomina, quæ Iſraelitæ habebant; v. gr. Thomæ, Ioannis, Petri, Matthæi, Matthiæ, Ioſephi; *& ſcribet manu ſua: Domino*; quod quidem faciunt Chriſtiani, dum in epiſtolis, libriſque, & alijs ſcripturis ſcribunt nomen Domini. Vbi vides, quo pacto ſancti Prophetæ etiam has minutias in Eccleſia Chriſtiana ex gentibus conuerſis formata prædixerint.

80. De hac etiam gentium conuerſione, ſimul & Hebræorum reprobatione ob non acceptandum Meſſiam, clariſſimè loquitur idem Iſai. c. 65. de quo iam ſupra. Vbi n. 9. ita ait Propheta in perſona Dei: *Et educam de Iacob ſemen*, id eſt, de Hebræis Apoſtolis filios in fide gentes conuerſas: *& de Iuda poſſidentem montes meos*; nimirum, cœlorum felicitatem gentes ad Chriſtum conuerſæ poſſidebunt, non Hebræi rebelles, & obſtinati. Quod idem denotant ſequentia verba: *Et hæreditabunt eam electi mei*, id eſt, fideles Chriſtiani electi, & non vos Hebræi propter veſtram obſtinationem reprobati, hæreditabunt eam gloriam, iuxta

illud: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et serui mei habitabunt ibi*, id est, illi, qui me adorant, & mihi seruiunt Christiani fideles habitabunt ibi; ibi, in Ecclesia militanti, vsque ad finem mundi, iuxta illud: *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; ibi, in Ecclesia triumphanti, in perpetuum, iuxta illud: *Fulgebunt iusti in perpetuas æternitates*. Vos autem Hebræi perfidi, qui vestrâ culpâ ingressi non estis in Ecclesiam militantem, neque intrabitis in triumphantem: sed his vestris in hac mortali vita tenebris adiungentur in altera Inferni tenebræ in perpetuum duraturæ.

81. *Et erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me*. Id est, in nationibus, vbi erant greges diaboli, scilicet infideles, gentiles idolis seruientes; erunt Templa, oratoria gregis Christiani, populi mei, qui me requiret; adorabit, & obediet. *Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum; qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam*; vos, ò Hebræi rebelles, qui Christum Dominum verum Messiam non recepistis, & eum reliquistis, & occidistis; & obliti estis montem illum præparatum in vertice montium Christum, ad quem fluent omnes gentes; & vos cum eis fluere noluistis; vos, *qui ponitis fortunæ mensam, &c.* id est; qui munera, & libamina Diabolo offertis, vt gentes idololatræ idolis in mensa offerebant; vos, inquam, qui putatis vestras oblationes Deo à vobis offerri, offertis illas Dæmoni: siquidem illas ego execror, dum in Ecclesiam meam, in qua solùm mihi sacrificatur, intrare non vultis; *numerabo vos in gladio; & omnes in cæde corruetis*, id est, gladio iustitiæ meæ interficiemini, & in Infernum in perpetuum damnati corruetis. *Pro eo, quod vocaui, & non respondistis*: ego ipse ore meo vos vocaui, dicens: *Venite ad me omnes*; & me contempsistis. Loquutus sum vobis, prædicando, exhortando, dicendo palàm in templo: *Eram quotidie docens in templo*; & aures vestræ surdæ sunt factæ. *Non audistis, & faciebatis malum in oculis meis*;

id eſt, in mea præſentia, iniurias, blaſphemias, percuſſiones, irriſiones, flagellationes, alapas, & alia innumera ſacrilegia vſq; ad necem ignominioſam Crucis inter duos Latrones, quaſi eſſem vnus ex illis, perpetraſtis in me omnia hæc meis oculis videntem; & omnia ſuſtinentem; *& quem nolui, elegiſtis*, Cæſarem infidelem pro Rege veſtro Chriſto, *qui eſt Rex Regum*, *& Dominus dominantium*: Barabbam homicidam pro veſtro Meſſia vitæ authore. *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis*. Id eſt, electi mei Chriſtiani Sacro Euchariſtiæ pane lactabuntur: vos autem ieiunabitis. *Serui mei bibent, & vos ſitietis*. Id eſt, ſerui mei fideles Chriſtiani Euchariſticum Sanguinem potabunt; vos illum non bibetis. *Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini*; id eſt, illi ſemper læti, exultantes, vos eritis in æterna confuſione. *Dimittetis nomen veſtrum in iuramentum*, id eſt, in execrationem electis meis, ſcil. nomen Iudæi erit abominabile, execrabile, & magnæ ignominiæ, ac in dedecus nominabitur, quod hodie manifeſtè videtur impletum. Quis enim non abominetur vbique nomen Iudæi? imò quando aliquis vult contrarium ſuum opprobrio, & contumeliâ diuexare, illum Iudæum vocat. *Et ſeruos ſuos vocabit nomine alio*; id eſt, nomine Chriſti Chriſtianos, & non nomine Iudæ Iudæos. Ex qua prophetia clariſſima quidem vides in aduentu Meſſiæ gentes ad Deum conuertendas, Hebræos à Deo reprobandos.

82. Quarta prophetia eſt Malachiæ cap. 1. num. 10. vbi in perſona Dei loquentis ad Hebræos, ita dicit: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum*. Id eſt, nec vos, ò Hebræi, nec veſtra ſacrificia, oblationes, nec veſtræ orationes mihi iam placent; imò mihi ſunt abominabiles, & execrabiles, ex eo tempore, quo me reliquiſtis, & vt veſtrum Redemptorem acceptare noluiſtis. *Munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus*. Id eſt, omnes gentes iam ad fidem meam conuerſæ nomen meum ma-

 gnifi-

gnificabunt; meque adorabunt vt Deum suum, Redemptorem, & Saluatorem. *Et in omni loco sacrificatur*, id est, non iam in Solis Ierosolimæ angustis terminis, sed vbique terrarum; vbi erunt innumera templa, & oratoria, vbi Missæ sacrificium peragetur: & hoc sacrificium, & oblatio munda erit; id est, absque fæditate sanguinis animalium altaria, & templa conspurcantis; sed mundissima oblatio panis, & vini consecrati in Corpus, & Sanguinem meum, vbi ego sum realiter, & sacramentaliter. Hæc prophetia est clarissima; & cui perfidi Hebræi nullo modo possunt respondere.

83. Rabbi Salomon videns Hebræos hac prophetia omnino conuinci, excogitauit solutionem adeò friuolam, imò ridiculam, & indignam nomine, quo Rabbinus ille nuncupatur. Ait igitur, verum quidem esse, vt ait Propheta, gentes adoraturas esse Deum tanquam Deum magnum, sed adhuc permansuros in sua idololatria adorando falsos Deos, tanquam Deos non magnos, sed inferiores. O miseri Hebræi, obstupenda est certè vestra cæcitas, & obstinatio! Dicite, quomodo posset placere Deo oblatio facta in peccato idololatriæ? Quomodo munda, oblata cum tam horribili sacrilegio, quale est idololatriæ peccatum? Non placebit oblatio vestra; quia illam offertis Deo pollutis manibus sanguine iusti à vobis occisi, & placebit Deo oblatio polluta, & facta ab idololatris; qui pollutas habent manus cultu idolorum? At Deus dicit illam illorum oblationem esse mundam, ipsi placentem, & honorificam: ergo supponit illos sacrificantes esse fideles, non idololatras: illos dicit seruos fore suos, & electos, regnum æternum possessuros: quomodo erunt serui electi, & gloriam possidentes idololatræ?

84. Præterea Deus dicit Exod. 22. num. 19. *Qui imolat Dijs, occidetur, præterquam Domino soli*. Nunc sic: Deus dixit occidendum esse illum, qui immolat Dijs falsis, vel alteri, nisi soli Deo: Deus dixit gentes illas non esse occidendas, hoc est, damnandas, sed Regnum Dei esse possessuras,

ſuras, vt ſupra vidimus: ergo gentes illæ non ſunt Deos falſos, ſed ſolùm Deum verum adoraturæ: aliter Scriptura Sacra, & Deus ipſe manifeſtè ſecum pugnaret, & falſum loqueretur. Erubeſcant igitur Hebræi talem ſolutionem ſacro textui adhibendo: & fateantur Prophetam dixiſſe, & intellexiſſe gentes illas verè eſſe conuertendas, & futuras populum Dei electum, & ipſos Hebræos iam eſſe populum diaboli, & à Deo reprobatum, & in æternum damnandum, niſi baptizentur acceptantes Chriſtum verum Meſſiam, & Eccleſiæ Chriſtianæ membra fiant.

85. Opponunt obcæcati Hebræi: Iſaias in citato cap.44. dicit hos populos, qui conuertentur, vocandos eſſe Iſrael; ſed nulla Natio vocatur Iſrael, niſi ſoli Hebræi: ergo Iſaias, non loquitur de gentium conuerſione, ſed de ipſis Hebræis. Huic Hebræorum obiectioni nulla alia poteſt dari melior reſponſio, quàm illa, quæ illis ab eodem Propheta datur in eodem c.44. n.18. *Neſcierunt, neque intellexerunt: obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo.* Legant Hebræi attentè textum. Propheta ibi loquitur de gentibus, quæ baptiſmum ſuſcipient; vt ait ib. num. 3. & has dicit in Deum conuerſas vocandas eſſe nomine Iſrael, & Iacob: ergo non poteſt loqui de Hebræis, qui nolunt baptizari. Deinde dicit vocari alio nomine, ſcil. Iacob, Iſrael, quo antea non vocabantur: ergo non poteſt intelligi de Hebræis; nam iſti iam antea vocabantur Iſrael. Igitur gentes conuerſæ per ſanctum baptiſmum vocandæ eſſent, nomine Iſrael, id eſt, nomine Chriſti, qui etiam in Sacra Scriptura dicitur Iſrael, iuxta illud: *Seruus meus Iſrael*; id eſt, iam alio nomine appellabitur, nempe populus Chriſtianus, & non Gentilis, vt antea, quando non erant baptizati. Et ſic optimè dicuntur Chriſtiani verus populus Dei Iſrael, Dei Iacob, id eſt, veri Dei, qui Deus eſt Iacob, & Iſrael, & non populus Dei alieni ficti, Iouis, Martis, &c. Atque ita fatentur Rabbini in Ialcut; in quo exponitur ille textus Iſaiæ citati per hæc verba. *Iſte dicet: Domini ſum ego, &c.* ſunt dilecti conuerſi; *ideoque in omni loco ſunt vocati*

cati Iſrael ſerui Dei; *vt ſcriptum eſt Iſaiæ 56. &c.* Et Rabbi Salomon exponit eundem textum Iſaiæ, ſic. *Quod dicit, vocandos eſſe nomine Iſrael, ij ſunt, qui conuertuntur.* Et hoc etiam clariſſimè patet ex cit.cap.Iſaiæ 56.num.3. *Et non dicat filius aduenæ*, id eſt, Gentilis; *qui adhæret Domino*, id eſt, Chriſto vero Deo, & Meſſiæ, dicens: *Separatione diuidet me Dominus à populo ſuo*. Quia verè, inquit Dominus, qui conuertuntur, ſunt populus meus.

86. De hac gentium conuerſione in aduentu Meſſiæ loquitur etiam Pſal.21. *Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ; & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium: quoniam Domini eſt Regnum*, id eſt Eccleſia, *& ipſe dominabitur gentium*; id eſt, gentes per baptiſmum fient Regnum Chriſti; cui Eccleſiæ, & Regno ſpirituali Rex, & Dominus, erit Chriſtus: *Adorabunt in conſpectu eius*; id eſt, illum præſentem in Sacramento Euchariſtiæ; quam communicabunt edentes; & ideo dicit ibi: *Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum* Chriſtiani; & non, qui illum non requirunt, perfidi Hebræi, pagani, & alij infideles. Et in fine Pſalmi: *Annunciabunt Cœli*, id eſt, Apoſtoli, *iuſtitiam eius*, id eſt, Euangelium, in quo continetur iuſtitia, & baptiſmus; per quem iuſtificamur; *populo, qui naſcetur*, id eſt Eccleſia, fidelium populus, qui regenerabitur per baptiſmum, & quem Chriſtus fecit, id eſt, ex omnibus Nationibus congregauit per ſacri Euangelij promulgationem. Et Pſ.85. *Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum: quoniam magnus es tu; & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus*. Omitto alias prophetias, textuſque ſacros, qui innumeri ſunt; in quibus fit expreſſiſſima mentio de hac gentium conuerſione in aduentu Meſſiæ: cùm ergo nos illas omnes videamus noſtris oculis impletas poſt aduentum Domini noſtri IESV Chriſti; quem omnes gentes vt verum Deum colunt, adorant, & ei ſeruiunt; recedant iam conuicti Hebræi à ſua cæcitate, & obſtinata ſtultitia; & illâ depoſitâ,

Deum

Deum suum Christum IESVM adorent, & reuereantur.

87. Tandem Hebræi conuicti ex his Sacræ Scripturæ locis ipsos verè esse à Deo reprobatos: gentesque iuxta prophetias supra adductas verè esse ad Dominum conuertendas; adhuc maiori cæcitate obuoluti opponunt, se esse reprobatos ob alia peccata sua; non verò ob non acceptatum à se Christum; aut propter illius occisionem. Friuola certè obiectio Iudæorum; vana, & stulta tergiuersatio. Cur non aduertunt ad Prophetas; qui simul eorum reprobationem, & causam illius apposuerunt, nimirum, quòd Messiam non acceptauerint; imò illum occiderint, eiusq; Euangelium non susceperint; vt ex duobus præcedentibus capitibus manifestè probatum est. Legant illi attentè Ieremiam cap. 8. num. 3. vbi Propheta in persona Dei Patris loquitur de perfidis Hebræis sic: *Eligent magis mortem, quàm vitam*, id est, æternam damnationem, quàm Christum, qui est vera vita, iuxta illud: *Ego sum via, veritas, & vita. Omnes, qui residui fuerint de cognatione hac pessima in vniuersis locis, ad quæ eieci eos*. Et mox inducitur idem Pater æternus dicere Filio suo Messiæ Christo IESV: *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus. Nunquid qui cadit, non resurget? Et qui auersus est, non reuertetur?* Et subiungit: *Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* id est, obstinatione contendendo, reluctando, & huius obstinationis, & dispersionis causam triplicem assignat. 1. *Quia apprehenderunt mendacium*; id est, apprehenderunt Christum non esse Messiam.

88. Secundam, quia de hoc peccato non dolent. *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo*. Tertiam: quia occidisse Christum peccatum esse non iudicant. *Dicens, quid feci?* Dicant ergo Iudæi, quale est peccatum, de quo ipsi non dolent? nisi de hoc, scil. Deicidio Christi? Quale est peccatum, quod ipsi iudicant peccatum non esse, nisi hoc, quod perpetrarunt Christum occidendo? Sed Propheta dicit eos fuisse reprobatos, quia de suo peccato

pœni-

pœnitentiam non agunt, nec iudicant (quamuis ignorantia culpabili) peccatum fuiſſe: ergo euidens eſt ob peccatum non acceptandi, occidendique Meſſiam illos eſſe reprobatos; & ideo ſubiungit Propheta miluum, & ciconiam agnouiſſe tempus aduentus ſui; populum verò ſuum non cognouiſſe tempus aduentus Meſſiæ. *Populus autem meus non cognouit iudicium Domini*, id eſt, non cognouit Chriſtum veniſſe facere iudicium de peccato; vt pro illo perfectâ iuſtitiâ ſatisfaceret. Et ne ipſi fiderent in lege, & Rabbinis; ſubiungit: *Quomodo dicitis: Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt?* id eſt, quomodo allegatis Prophetas, & Rabbinos? & dicitis vos legem habere? & ſtatim addit: *Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum*, id eſt, mendacium dicunt Rabbini veſtri, & legi, ac Prophetis dant falſas interpretationes, & populum rudem decipiunt; *Confuſi ſunt Sapientes, perterriti, & capti ſunt*: id eſt, quando cum illis diſputant fideles, Chriſtianique Doctores, miſeri Rabbini remanent confuſi, perterriti, & conuicti: *Verbum enim Domini proiecerunt; & ſapientia nulla eſt in eis*: id eſt, Verbum Domini Meſſiæ proiecerunt, contempſeruntque, ideo nulla in eis eſt ſapientia. Quid clariùs poterat Propheta loqui ad declarandam, ò Hebræi, veſtram reprobationem, & cauſam illius, nempe occidiſſe Chriſtum, illumque non acceptaſſe?

89. Similiter, ò Hebræi, cur non aduertitis ad cap. 1. Iſaiæ; vbi expreſsè dicit veſtras orationes, quamuis multiplicentur, à Deo non eſſe exaudiendas, quia habetis manus pollutas ſanguine iuſti, id eſt, Chriſti à vobis occiſi, niſi baptiſmi aquâ lauemini, vt ſupra manet expenſum? Igitur propter illud peccatum, & obſtinationem in illo ſine vlla veſtra pœnitentia, in qua ferri duritiem imitamini, Deus fuit prouocatus ad iram, iuſtamque indignationem contra vos, vt in perſona Dei prædixit Iſaias cap. 48. nu. 4. *Sciui; quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua terrea*. Et num. 8. *Neque audiſti, neque cognouiſti: neque ex tunc aperta eſt auris tua: ſcio enim, quia præuari-*

uaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. Vnde sicut Deus reprobauit 10. Tribus, quia noluerunt sequi partes Dauid; ita reprobauit Hebræos, quia noluerunt sequi verum Dauid Christum IESVM; & in æternum erunt reprobati, nisi illi adhæreant, & per baptismum lauentur, vt dictum est: imò multò acerbiùs, dum alios Messias falsos receperunt, in quibus nullum erat signum Messiæ, & reiecerunt Christum verum Messiam, in quo concurrunt omnia, quæ de illo Prophetæ prædixerunt: sicut de illis dixit Christus Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Et sic venit quidam sceleratus homo appellatus Barcozab tempore Herodis Agrippæ, teste Rabbi Salomone, qui, vt habet liber Sanhedrin, 30. annis regnauit, dicens se esse Messiam; & eò dementiæ deuenit quidam Rabbi nomine Hachiba, vir inter ipsos Hebręos tunc doctissimus, vt prædicaret illum hominem esse suum Messiam; & exponebat illum versiculum Num. 24. *Orietur Stella ex Iacob*: itaut, dicebat, non deberet legi Cohab, id est, Stella, sed Cozab, quod erat illius hominis nomen: de qua re testatur liber Midras Echa in expositione Lamentationis Ieremiæ. Ex quo patet Hebræos multos Messias acceptasse; & verum Messiam nunquam acceptare voluisse. Hęc igitur causa illorum reprobationis; & quamdiu verum Messiam Christum IESVM non acceptauerint, semper erunt à Deo reprobati; vt prædixit Ieremias cap. 7. nu. 15. *Proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros vniuersum semen Ephraim*. Et huius proiectionis causam assignat ibi nu. 13. *Locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis; & vocaui vos, & non respondistis*.

90. Hæc itaque sunt tam euidentia, vt quidam Rabbi Moyses Bar Mainon in libro suo fol. vltimo dixerit hæc sequentia: *IESVS Nazarenus Messiam se esse in terris manifestauit: & à Domo iudiciali effectum fuit, vt ille occideretur: & propter hoc Israel interfectus gladio fuit*. Ex quo patet etiam secundùm Hebræos Doctores propter peccatum

contra Christum, quem Iudæi fecerunt crucifigi, illos fuisse reprobatos, & dispersos: & consequenter, dicentibus Prophetis in aduentu Messiæ Hebræos esse reprobandos, & gentes conuertendas, cùm iam hæc omnia videamus impleta post aduentum Domini nostri IESV Christi, euidens est Messiam iam venisse, & esse Christum Saluatorem nostrum: cui omnia competunt, quæ de Messia à Prophetis prædicuntur.

CAPVT NONVM.

Proponitur nona probatio ex defectu sacrificiorum in Hebræis, & de peractis in Ecclesia Christi.

91. HÆC octaua probatio contra Hebræos est efficacissima: Quando venerit Messias, Hebræorum sacrificia debent cessare: sed iam sunt transacti plùs mille, & sexcenti anni, ex quo in Hebræis sacrificia cessarunt: ergo Messias iam venit, & est Christus IESVS, qui postquam venit, prædicauit, miracula effecit, & pro nobis crucifixus est in Ierusalem, incepit verum sacrificium in sua Ecclesia, & defecit sacrificium in Synagoga. Quòd per aduentum Messiæ deberent cessare sacrificia in populo Hebræo, est textus de fide: quem Hebræi negare non debent. Et patet ex lib. 3. cap. 4. ipsâ verò experientiâ omnibus manifestum est, nulla sacrificia iam Hebræos offerre Deo; nec possunt offerre: quia illis prohibitum est ea offerre extra Ierusalem; vt constat ex nostro lib. 3. sup. citato cap. 4. & ipsi Hebræi, transactis iam plùs mille, & sexcentis annis sunt expulsi à Ierusalem, per cunctas Nationes dispersi, vt omnibus notum est. Cùm igitur iuxta præfatas prophetias in aduentu Messiæ cessatura erant in populo Hebræo cuncta sacrificia, & iam à tempore illo cessarunt, vt ipsi Hebræi non negant; necessariò fatendum est Messiam iam venisse, vel prophetias fuisse falsas, quod est impossibile: impossibile enim est, quòd Deus, qui loquitur

tur per ſuos Prophetas, falſum loquatur.

92. Sed quæres, cur Deus Hebræis prohibuerit facere ſacrificia extra Ieruſalem? Ratio in promptu eſt: quia cùm Deus optimè ſciret poſt aduentum Meſſiæ Filij ſui templum Ieruſalem eſſe deſtruendum, & Hebræos propter ſuum peccatum, & obſtinationem eſſe diſpergendos, ab ipſoque Deo reprobandos: noluiſſetque, vt ſacrificia legis veteris poſt aduentum Meſſiæ peragerentur, ſed ſolùm ſacrificium immaculati Agni Chriſti, cuius ſacrificij cætera alia antiqua erant mera figura; ideo ſtatuit, vt nulla ab Hebræis extra Ieruſalem ſacrificia fierent. Ex quo patet poſt aduentum Chriſti ſolùm in eius Eccleſia ſacrificium celebrandum eſſe in perpetuum: vt modò videmus Sacroſanctum Miſſæ, Hoſtiæ ſanctæ, & immaculatæ ſacrificium quotidie, & in omni loco celebrari: & impletur illa prophetia Ieremiæ cap. 33. num. 17. *Non interibit de Dauid vir, qui ſedeat ſuper thronum Domus Iſrael: & de Sacerdotibus, & Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocauſtomata, & incendat ſacrificia, & cædat victimas omnibus diebus*. Vt autem intelligas hanc prophetiam, aduerte diligenter eam non loqui de Regno temporali; aliter omnino aduerſaretur alteri prophetiæ, de qua ſupra locuti ſumus, quæ dicit Regnum temporale Iudæ finiendum eſſe in aduentu Meſſiæ: ſed hæc prophetia Ieremiæ dicit Regnum eſſe duraturum in æternum, & quamdiu perſeueret dies, & nox quæ ſemper erunt vſque ad finem mundi; prout idem Dominus ait ibi num. 20. *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo, & pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes miniſtri mei.* Quaſi diceret: ſicut ego ſtatui, vt ſit ſemper dies, & nox vſque ad finem mundi, ita decreui, vt ſit ſemper vſque ad finem mundi, qui ſedeat in throno Dauid, & Leuitæ, & Sacerdotes, qui ſacrificium mihi offerant: ergo non poteſt intelligi hæc prophetia de Regno temporali Iudæ: eſſet

enim falſa; tum quia opponeretur alteri prophetiæ, quæ dicit Regnum temporale Iudæ finem habiturum tempore Meſſiæ, vt ſupra vidimus; tum quia opponeretur ipſi veritati; nam videmus à multis ſæculis nullum iam eſſe Regem Iudæ, qui ſedeat in throno Dauid regnando temporaliter: ergo neceſſariò debet intelligi de regno Iudæ ſpirituali, id eſt, de Eccleſia, in qua regnat Chriſtus, & in illa regnabit duratura vſque ad finem mundi, & ſedet, ſedebitque in throno illo per ſuos Vicarios Summos Pontifices Romanos ſucceſſores primi Vicarij D. Petri Apoſtoli; cui ſemper ſucceſſerunt Pontifices Romani, & vſque ad finem mundi ſuccedent. Et ſimiliter non poteſt intelligi prophetia de Sacerdotibus, & Leuitis Hebræis ſub ritu Moſaico: eſſet enim falſa: tum quia opponeretur alteri prophetiæ, quæ dicit poſt aduentum Meſſiæ ceſſaturos Sacerdotes Hebræos, & ſacrificia Moſaica, vt ſupra vidimus; tum quia opponeretur ipſi veritati, qua nunc videmus in populo Hebræo nulla eſſe ſacrificia, nullum ſacerdotium. Intelligitur ergo de Sacerdotibus, & Leuitis, ſiue Diaconis in populo Chriſtiano, qui eſt Regnum Chriſti: quod idem Propheta num. 22. declarauit, dicens hos, de quibus ipſe loquitur, Sacerdotes tot numero futuros eſſe, vt numerari non poſſint, ſicut ſtellæ cœli, & arenæ maris non poſſunt numerari: *Sicuti enumerari non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos.* Quod de populo Hebræo verificari nullo modo poteſt: tum quia nunc nullos habent Sacerdotes, aut Leuitas; tum quia ante aduentum Chriſti pauciſſimi erant: in Regno autem Chriſti ſpirituali, id eſt, in populo Chriſtiano innumeri ſunt Sacerdotes, & Leuitæ, ſeu Diaconi, vt per ſe eſt manifeſtum. Dum verò dicit Propheta offerenda holocauſtomata, incendenda ſacrificia, victimas cædendas; loquitur per alluſionem ad nomina ſacrificij Hebræorum, cum quibus loquebatur; ſed intelligitur de holocauſto Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, de ſacrificio incenſo, non materiali igne, ſed ſpirituali amo-

ris; non de victimis, & hostijs animalium, sed de hostijs ex farina; quæ quodammodo mactantur: dum conuertuntur, & vt Theologi vocant, transubstantiantur in Corpus Christi, & quotidie offeruntur, vt nunc videmus; & expressit idem Propheta: *& cædet victimas*, id est, hostias *omnibus diebus*.

93. Quòd verò solùm hoc sacrificium, & non aliud celebrandum esset post aduentum Messiæ, ipsi etiam Rabbini intellexerunt: vt patet ex libro Rabboth in cap. 22. Leuitici fol. 3. col. 2. vbi sic legitur: *Dixit Rabbi Phineas, & Rabbi Iochanan in nomine Rabbi Menachem: In sæculo futuro*, id est, *in aduentu Messiæ omnia sacrificia deficient: at sacrificium, Toda, non deficiet in æternum*: sacrificium autem, Toda, erat sacrificium tritici, non animalium: & concordat cum altera Prophetia Dauid. Psal. 109. loquente de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Et constat Melchisedech Summum Sacerdotem, & Regem sacrificium panis, & vini obtulisse. Et de hoc sacrificio, & oblatione munda, id est, absque fœda sanguinis animalium aspersione, munda, quia munditiam cordis requirit; munda, quia confert gratiam sanctificantem, quæ expellit ab anima sordes peccati; de hoc, inquam, sacrificio, & oblatione munda loquitur Propheta Malachias cap. 1. num. 11. *Ab ortu Solis vsque ad Occasum, magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur mihi oblatio munda*.

94. Ex his fit irrefragabilis demonstratio contra Hebræos. Deus dixit non defuturum sacrificium vnquam vsque ad finem mundi, vt supra vidimus; Hebræi ipsi concedunt in ipsis nullum iam esse sacrificium, & similiter dicunt, & bene, neque vllum fieri Deo sacrificium à Mahometanis, & Paganis: ergo si neque in populo Christiano est sacrificium, Deus iam est sine sacrificio; sine nostro, vt vos Hebræi obstinatè dicitis; sine vestro, & Mahometanorum, Paganorumque, vt vos, & nos dicimus: ergo sine vllo: ergo verba Dei fuerunt falsa. Hæc falsa esse non possunt;

sunt; vt vos conceditis, & lumine naturæ notum est: ergo necessariò fatendum vobis est in populo Christiano peragi verum Deo sacrificium; illumque solùm esse populum Dei: siquidem in solo populo Dei potest offerri verum sacrificium; & Christum, qui hunc populum constituit, iam venisse, & verum esse Messiam. Hoc argumento irrefragabili terrentur Hebræi, & quærunt varias interpretationes textui, omnes plenas ignorantiæ, & implicationis, ac apertè falsas, quibus magis conuicti redduntur: & in hoc impletur id, quod dixit Propheta Ieremias cap.8.nu.8. *Verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum: confusi sunt sapientes, perterriti, & capti sunt.*

CAPVT DECIMVM.

Proponitur decima probatio, qua probatur Messiam iam venisse, & esse Christum IESVM ex miraculis per Sanctos factis in nomine Christi.

95. ILlustria miracula, quæ Sancti edidêre in nomine Christi ostendunt manifestè Christum Deũ esse, & non purum hominem. Ratio est: quia solius Dei est proprium miracula patrare: ergo si vnus purus homo fecit aliquod miraculum in nomine Christi, sequitur Christum non esse purum hominem, sed Deum. Sicut si ego in virtute Dei, dum viuebam, faciebam miracula; nullus post meam mortem poterit facere miracula in nomine meo, quia ego non sum Deus: ergo si Sancti faciunt miracula in nomine, & virtute Christi, Christus est Deus: si ergo ex hoc probatur Deus, & deinde Christum etiam hominem esse constat; sequitur, quòd sit Deus homo, & quòd iam fuit in terris illud ineffabile compositum *homo Deus*: sed, vt demonstratum est in primo libro, solus Messias est homo Deus: ergo Christus IESVS est verus Messias, & sic iam venit Messias. Probatur iam, Sanctos multa, & illustria fecisse miracula, in virtute, & nomine Christi.

Con-

Constat hoc ex act.3.vbi S. Petrus fecit illud egregium miraculum in templo, quod omnibus innotuit, sanando subitò claudum in nomine IESV Christi, dicens: *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine IESV Christi Nazareni surge, & ambula.* Qui subitò sanatus in nomine Christi surrexit, & intrauit cum cæteris in templum ad laudandum Deum cum omnium admiratione, & stupore. Et in cap.20.multa alia narrantur insignia miracula facta à D. Petro, alijsque Apostolis; illustreque fuit miraculum illud, quo Ioann. Apostolus euasit læsus ab oleo feruenti; & illud, quo venenum hausit incolumis, vt conuinceret Aristodemum Idolorum Sacerdotem. Innumera, & prodigiosa sunt, quæ sancti Apostoli, Martyres, & alij Sancti in omnibus sæculis in nomine Christi edidêre: tum resuscitando mortuos, tum illuminando cæcos, curando surdos, & mutos, claudos, aliosq; desperatos ægros; quæ omnia sunt effecta in nomine, & virtute Christi; & narrantur in historijs Ecclesiasticis, & maximæ authoritatis Authoribus, & plurima authenticè probata ab Ecclesia.

96. Dicunt Hebræi desiderare se aliqua miracula approbata à sua Synagoga. Miseri Hebræi, si iam vestra Synagoga est à Deo reprobata, & iam caret gratiâ gratis datâ, donisque Spiritus Sancti, nunquam hæc miracula vobis contingent, nec plenè agnoscentur: habete fidem Christi, oculos mentis vestræ aperite, & illa videbitis. Verùm ego vobis respondeo id, quod Saluator noster vobis respondit, quando vestra illa iam antiqua obstinatione dicebatis: *In Belsebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Vestræ Synagogæ filij, seu vestri Prophetæ, in cuius virtute faciebant illa miracula? Vtique respondebitis; in virtute Dei, quia similia miracula excedunt potestatem dæmonis; bene: & hæc, quæ fiunt in populo Christiano, cur non fiunt in virtute Dei, quia etiam excedunt virtutem, potestatemque dæmoniacam? Maximè quia omnia fiunt in destructionem Regni diaboli, in gloriam Dei, in salutem

animarum; & vt vos conuincebat Christus, vnus diabolus non est contra alterum diabolum; si diabolus ad virtutem suadet, quomodo stabit regnum eius? Sed quoniam volunt Hebræi miraculum à suis approbatum, legant suum Thalmud Ierosolymitanum, in tractatu dicto Hauoda Zara, vbi narratur quendam Rabbinum fuisse grauissimo quidem morbo, iam omnino desperatâ vitâ, oppressum. Aderat quidam alius Rabbinus appellatus Rabbi Iacob, qui apud ipsos præclaris moribus imbutus reputabatur; hic dixit ipsi ægroto, ita submissa voce, vt ipse ægrotus non audiret: *In nomine IESV, sis sanus*. Subitò factus est sanus: vt autem se vidit sanum, & non videns alium præsentem suæ miraculosæ sanitatis authorem, rogare illum cæpit, in cuius virtute hoc fecisset miraculum? excusabat se ille, nec diuturnis precibus mouebatur ad detegendum illum, in cuius virtute miraculum effecisset; donec sanatus, adiuro te, inquit, in nomine Dei, vt mihi hoc reueles. Tunc Rabbi Iacob respondit hoc se fecisse in nomine IESV: tunc sanatus ille excanduit irâ, & ore liuido, & venenato ingratissimus hanc blasphemiam eructauit: *Potiùs velim mori, quàm in tali nomine sanari*. Hæc dicens subitò cecidit mortuus; & vtramque vitam perdidit & corporis, & animæ in Inferno in perpetuum cruciandæ. Ecce in vno duo sunt miracula. Vnum sanitatis in nomine IESV Christi subitò recuperatæ. Secundum mortis: quia mori maluit cum diabolo, quàm viuere vitâ per Christum datâ. Et obstupescenda est cæcitas, & obstinatio istorum hominum, seu potiùs belluarum, dum portant hunc casum ad probandam suam superstitionem vt veram religionem; quasi foret beneficium mori sine Christo verâ hominum vitâ; & infortunium viuere cum Christo: sed homini obstinatissimo, & ingratissimo iustissimè pœna illa à Deo inflicta fuit.

97. Ego tamen ab Hebræis interrogo, an credant illa fuisse miracula, an non? si credunt vera esse; cur non credunt in Christum? Si non credunt fuisse illa miracula;

quod

quod maius esse potest miraculum, quàm sine miraculis videre vniuersum mundum conuersum ad Christum, prædicatum ab Apostolis mortuum, & crucifixum, humiliatum, à Iudæis contemptum, & reprobatum; & hunc esse verum Deum, & Saluatorem mundi? Deinde Apostoli pauperes, & abiecti, nullâ humanâ sapientiâ præditi conuincebant huiusmodi Sapientes, ad Christum trahebant Reges; sine armis, sine vllo humano præsidio, & auxilio, docendo res humanæ naturæ contrarias, valdeque repugnantes, vt asperitates, ieiunia, carnis mortificationem, amare inimicos, non sumere vindictam de iniurijs, non maledicere pro maledictis, sed è contrario benedicere: ostendere hominibus superbis illos, suosque Patres à tot millibus annorum errasse sequendo suos antiquos Deos, & facere illos mutare Religionem; item docendo res humano captui difficillimas, nimirum Deum fuisse factum hominem, vt saluaret hominem; Deum immortalem fuisse factum mortalem, vt hominem redderet immortalem; impassibilem fuisse factum passibilem, vt homines ad statum impassibilitatis eueheret; docere item altissimũ mysterium Trinitatis, tres personas distinctas, & omnes tres vnum Deum singularissimum, & simplicissimum; item natum fuisse Christum ex Virgine ante partum, in partu, & post partum Virgine; item prædicare, & docere Sacrosanctũ Eucharistiæ Sacramentum; in quo post verba Consecrationis contra ipsos etiam oculos non esse iam panem, sed carnem Christi sub speciebus panis; vinum non esse vinum, sed sanguinem Christi sub speciebus vini; prædicare istum Dominum post tres dies, & tres noctes à mortuis resurrexisse, & post 40. in Cœlum ascendisse; item omnes homines in vltimo iudicio resurrecturos, & ab isto Christo iterum venturo cum gloria iudicandos, & licèt omnia videantur difficillima, tamen vniuersum mundum sequi hanc Religionem, adorare istum hominem, vt verum Deum, illum amare, vt suum Saluatorem, pro illo confitendo libenter pati mortem, tormenta crudelissima tolerare; item Reges,

& Imperatores, Principes,& Monarchas Crucem,quæ erat ſignum ſummæ ignominiæ, portare in imperialibus veſtibus, in regia corona; hoc non poteſt eſſe niſi factum à Deo, & extraordinarium miraculum ipſis noſtris oculis patens. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Igitur Hebræi ſi obſtinatè renuunt credere alijs miraculis, ſi homines ſunt, & rationem non amiſerè, huic ſaltem miraculo credere non deſinent, & Saluatorem ſuũ non poterunt non agnoſcere; non tamen ſpero, vt omnes vniuerſaliter credant: quia ex ſcripturis conſtat illos vniuerſaliter non eſſe omnes conuertendos, niſi in vltimo fine mundi, ſuâ tamen culpâ non conuertuntur: Deus enim illos omnes ſaluare vult, ſi ipſi velint: ſed nihilominùs ab iiſdẽ Sacris Scripturis prædictum eſt multos ex Hebræis, obſtinatione depoſita, conuertendos eſſe etiam ante illum vltimum diem, vt nos conuerti multos videmus: procuret ergo quilibet, vt ſit vnus ex iſtis, qui conuertuntur, vt vitam æternam poſſideant, & non ex illis, qui remanent obſtinati, vt in æternum crucientur.

CAPVT VNDECIMVM.

Vndecima probatio ex viſione ſtatuæ Nabuchodonoſor, ex qua probatur clarè Meſſiam iam veniſſe contra errorem Iudæorum.

98. VNdecima probatio, qua clariſſimè probatur contra Hebræos Meſſiam, qui eſt Chriſtus IESVS, iam veniſſe, deſumitur à prophetia Danielis cap. 2. Nabuchodonoſor Rex ſui regni anno 2. ſomnium habuit, quod illi maximum terrorem incuſſit; illius tamen, non ſine prouidentia Dei, propter finem infra declarandum, oblitus eſt: vel non ſine ſpeciali permiſſione, ſi Rex finxit obliuionem. Itaque vocauit omnes Satrapas, & Magos ſui regni; illoſque interrogauit, & præcepit, vt ipſi dicerent, quale fuerit ſomnium illud, & vt interpretationem illius

indi-

ndicarent; aliter grauissimis pœnis punirentur. *Responderuntq; Chaldæi Syriacè Regi: Rex in sempiternum viue: dic somnium seruis tuis: & interpretationem eius indicabimus. Et respondens Rex ait Chaldæis: Sermo recessit à me*, i. oblitus sum, quale fuerit somnium. *Nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur. Si autem somnium, & coniecturam eius narraueritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me.* Cùmque Satrapæ illi iterum respondissent se velle priùs scire somnium, vt possent illud interpretari; respondit Rex scire se, illos velle tempus interponere, sciendo iam ex suo testimonio somnium ex mente sua excidisse: quare, inquit Rex, si vos non scitis somnium, neque veram interpretationem scietis. At sapientes dixerunt nullum Sapientem in toto Regno posse hoc scire; id enim superat intellectum humanum; nec Reges solere de similibus quæstionibus hominem etiam sapientissimum interrogare. *Quo audito Rex in furore, & ira magna, præcepit, vt perirent omnes Sapientes Babylonis, & egressâ sententiâ, Sapientes interficiebantur; quærebanturque Daniel, & socij eius, vt perirent.* Daniel verò sciens hoc Regis decretum per medium primi eius Ministri Arioch Regem adiuit, petijtque tempus sibi dari ad solutionem somnij indicandam: quo dato, & vocatis socijs Anania, Misaele, & Azaria, orarunt à Deo, vt, quandoquidem omnia secreta cordis introspicit, illud ipsis secretum, mysterium, eiusque interpretationem indicaret; Deus autem omnia Danieli reuelauit. Itaque lætus adit Regem, atque ait: *Mysterium, quod Rex interrogat, Sapientes, Magi, Arioli, & Aruspices nequeunt indicare Regi: sed Deus in Cœlo reuelans mysteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo huiusmodi sunt. Tu Rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plùs, quàm in cunctis viuentibus, Sacramentum*

hoc reuelatum est: sed vt interpretatio Regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires. Tu Rex videbas; & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te; & intuitus eius erat terribilis: huius statuæ caput ex auro optimo erat: pectus autem & brachia de argento; porro venter, & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis: videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus; & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum; & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram: hoc est somnium: interpretationem quoque dicemus coram te Rex. Tu Rex Regum es; & Deus Cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia, in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri; volucres quoque Cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit: tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum; & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ: & regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc. Porrò, quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit: quod tamen de plantario ferri orietur, secundum, quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto, & digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum; & ex parte contritum. Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum. Secundum quòd vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum,

& æs,

& æs, & argentum, & aurum, Deus Magnus ostendit Regi, quæ ventura sunt postea: & verum est somnium; & fidelis interpretatio eius: Hucusque interpretatio Danielis: Rex autem ex hoc cognouit Danielem verum esse Prophetam, & solum Deum Danielis esse verum Deum, qui omnia noscit, & quando ei placet, ea seruis suis reuelat.

99. Hæc prophetia est clarissima demonstratio Christi aduentus; & si Iudæi habent intellectum, non poterunt non agnoscere Saluatorem suum iam venisse. Hac prophetia voluit Deus manifestare Regi Nabuchodonosor per medium Danielis, quæ ventura erant vltimis temporibus in mundo ante aduentum Messiæ; nimirum ante Christi aduentum successiuè esse debere quatuor regna, siue Imperia. Illorum primum erat regnum ipsius Nabuchodonosor Regis Chaldæorum significatũ per caput aureum, vt dicit ibi Propheta: *Tu ergo caput aureum.* Secundum erat regnum Persarum, atque Medorum significatum per pectus, & brachia argentii; quod regnum venit successiuè post Nabuchodonosor, vt dixit Propheta: *Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum.* Tertium fuit regnum, siue Imperium Græcorum significatum per ventrem, & femora ex ære: quod successiuè fuit secutum post secundum, vt dicit Daniel. Quartum fuit Imperium Romanorum significatum per tibias ferreas, ob hoc ipsum, vt Propheta ait, quòd esse debebat forte, sicut ferrum; nam sicut ferrum domat omnia; ita & Romani armis totum orbem domuere. Item ex eadem prophetia demonstratur idem Regnum Romanorum debere esse diuisum, & commistum, & ex vna parte debere esse forte; ex alia autem debile: & hoc factum fuit, quando Romani se cum Hebræorum dominio commiscuere, quod regnum Hebræorum adhuc permansit in Iudæa commistum cum regno Romanorum, ex horum permistione; sed illa commistio fuit solùm quoad corporalia, non quoad spiritualia Religionis, vt ibi dixit Propheta: *Commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi*, id est, in religione; nec deli-

desinet esse sub suo dominante, licèt subiecto Romanis. Et ideo dixit: Sicut creta non adhæret ferro; sic regnum Hebræorum per cretam significatum non adhærebit prædicto modo Romanis per ferrum significatis. *Sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.* Vnde pedes fictiles erant Hebræi, pedes ferrei erant Romani. Et tandem, ait Propheta, eo tempore, quo regnum quartum sit commistum, scilicet ferreum cum fictili, forte cum debili, id est, Romanum cum Iudaico, suscitandum esse à Deo cœli Regnum, quod nunquam sit dissipandum, nec alteri populo sit tradendum; quod quidem regnum cœli comminuet, & consumet omnia ista regna; & ipsum stabit in perpetuum duraturum: *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius*, (id est, istius Regis Dei) *alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc*, scil. Romanum, & Iudaicum, *& ipsum stabit in æternum*. Et subiungit Propheta hoc significari per lapidem illum abscissum de monte sine manibus: quia omnia illa præfata regna consumet: *Secundum, quod vidisti, quòd abscissus est lapis de monte sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum; Deus Magnus ostendit Regi, quæ ventura sunt postea.*

100. Hæc prophetia manifestè est impleta in Christo. Nam post Regnum, siue Imperium Regis Nabuchodonosor successit Regnum, siue Imperium Medorum: post hoc successit Regnum, siue Imperium Græcorum; post hoc successit quartum Regnum, siue Imperium Romanorum, quod commistum est cum Regno Iudaico; & in tempore horum duorum Regnorum, quæ sic fuerunt commista, venit Christus, verus Deus, qui cœli Regnum, id est, Ecclesiam suscitauit; sicut dicit ibi Propheta: *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus cœli Regnum*; quod quidem, vt Propheta dixit, *in æternum non dissipabitur*; & patet; quia à mille, & sexcentis annis, & ampliùs durat, & in æternum durabit: neque alteri populo, & Regi, quàm

Chri-

Christo fuit traditum,nec vnquam tradetur; semper enim erit populus, & Regnum Christi. Deinde lapis ille Messias, qui descendit de monte, id est, de cœlo, qua Deus, & qua homo *sine manibus*, id est, sine virili opera ex Beatissima semper Virgine MARIA; prout iam supra ex alijs prophetijs manifestissimè demonstratum est, comminuit, & consumpsit quatuor illa Imperia: & nota mirabilem aduertentiam Prophetæ, quia licèt quartum illud Regnum, commistum ex Romano, & Iudaico, fuerit ordine temporis quartum; ordine conuersionis fuit primum, incipiendo à Iudaico per testam fictilem significato; vt dicit ibi Propheta: *Comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum*, id est, priùs incepit conuertere Iudæos, & ibi Romanos; & postea alias Prouincias mundi; nec ista comminutio, & consumptio Regnorum erat facienda armis, ferro, & gladio, sed sine copijs militum, *sine manibus.* mò si regna illa armis debellarentur, esset id contra verum sensum prophetiæ, quæ loquitur de Regno spirituali, id est, de Ecclesia; vnde diminutio, & consumptio esse debebat in eo, in quo vnum regnum alteri opponebatur, id est, huic Regno Dei, siue Ecclesiæ, nimirum in infidelitate, & idololatria: etiam nunc videmus idololatriam sublatam: in Asia, in Africa, in Europa, in America; in quibus mundi partibus est Ecclesia Christiana, Christi vastissimum regnum, in quo Christi nomen adoratur. Et ideo lapis ille, qui in principio paruus videbatur, pauper, & abiectus, comminuit, & consumpsit testam fictilem Hebræorum, ferrum Romani Imperij, æs Regni Græci, argentum Regni Asiæ, seu Medorum, aurum Regni Persarum; factusq; est mons magnus, & replet vniuersam terram.

101. Dicant igitur nobis Hebræi, quodnam regnum fuit suscitatum, quando Romani cum Hebræis sunt commisti, quod nunquam esset dissipandum, nisi Regnum Christi? quod tunc incepit, & ab eo tempore durat firmum vsque ad hoc præsens tempus, in quo à Natiuitate Christi iam 1692. numerantur anni, & vsque ad finem mun-

mundi perdurabit? Quod Regnum Deus suscitauit, quod nunquam tradendum esset alteri populo, & Regi, nisi hoc Christi Regnum, Christianam, scil. Ecclesiam; in qua Christus viuus, & non iam moriturus regnat positus in cœlo, & in terra sub Eucharistia, & visibiliter regit per suos Vicarios Petri successores Summos Pontifices Romanos? Certum omnino est, si hæc Prophetia non intelligatur de hoc Regno Christi, prophetiam fuisse falsam: quia ab eo tempore nullum fuit regnum temporale, quod staret firmum: nam Regnum Iudæorum iam non durat; alia regna mutata sunt; & variata ad varios Reges, & Principes; deinde nullus ex eo tempore fuit Rex, qui sui nominis maiestate terram impleret, & in hac maiestate regnandi permaneret, nisi solus Christus IESVS: ergo vel prophetia fuit falsa, quod non dicent Iudæi; vel Christus iam venit, & ab illo tempore in hoc suo regno regnauit, regnat, & in æternum regnabit, prout dicit Propheta.

102. Hebræi aliqui dicunt se hac prophetia conuincendos esse, si sui Rabbini illam explicent pro Messia. Friuola, imò ridicula responsio. An veritas Sacræ Scripturæ dependet à stulta Rabbinorum expositione? alligabitne Deus verbi sui ineffabilem veritatem vanæ imaginationi Rabbinorum? Ideo falsam illorum circa multos Sacræ Scripturæ textus apprehensionem, & mendacem explicationem, veriùs dicam implicationem, prædixit Propheta, vt supra vidimus. Sed ne etiam hoc ipsi habeant subterfugium; Dauid Salomon in dict. cap. 2. Danielis exponit hanc prophetiam pro dicto Messia, eiusque Regno, dicens: *In illis diebus*, id est, *in tempore illorum Regnorum adhuc existentium*, scil. Regni Iudaici, & Romani *suscitabit Deus cœli regnum Dei sancti, & benedicti, quod in æternum non dissipabitur: & illud est Regnum Regis Messiæ.* Item Rabbi Sahadia in expositione dictæ prophetiæ exponit illum lapidem pro Messia, dicens: *Lapis, qui percutiet statuam, Regnum est Messiæ filij Dauid, de quo scriptum est: Percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

Ex

Ex hac ergo prophetia in ſenſu vero, claro, & indubitabili expoſita, & ab ipſis etiam Doctoribus Rabbinis in noſtro legitimo, & germano ſenſu explicata, redduntur Hebræi inexcuſabiles; nec illi quidquam reſpondere poſsunt: agant igitur pœnitentiam ſuæ culpabilis obſtinationis, Saluatoremque ſuum Chriſtum IESVM amplectantur, ne in æternum damnentur.

CAPVT DVODECIMVM.

Proponitur duodecima probatio ex authoritate ipſorum etiam Rabbinorum, qua probatur Meſſiam Sanctiſſimum iam veniſſe.

103. HAC duodecima probatione vtemur ex ipſorum authoritate Rabbinorum; non quòd nobis ipſa ad credendum ſit neceſſaria; cùm ſatis, ſuperque ſit oraculum Prophetarum, diuinique Numinis teſtimonium; ſed quia noſtræ ſit plauſus victoriæ, & ipſorum etiam confuſio inimicorum, ſuis eoſdem armis obtruncare. Quòd Dauid hoſtili gladio caput amputaret Goliath iam lapide interfecto, neceſsarium non fuit ad reportandam victoriam, ſed perutile ad augendam gloriam: lapide fundamentali Prophetarum iugulatus iam eſt Hebraiſmi Goliath, & nobis parta victoria, ſed gladio propriæ ipſorum authoritatis amputare caput illorum, ipſis eſt ignominia, nobis gloria.

104. Prima igitur authoritas Rabbinorum probans iam in terras Chriſtum veniſse deſumitur ex lib. Midras Tillim gloſsa ſupra Pſal. in expoſitione Pſal. 74. verſic. 11. *Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua Iuſti*. Vbi per cornua 10. dignitates, ſeu præeminentias populi Hebræi, quando fidelis erat, exponit; & illas præeminentias ex ſacra colligit ſcriptura; quæ illas per cornua ſignificat, & ſic ait. 1. dignitas fuit Patris Abraham. Iſaiæ 5. num. 2. *Vinea facta eſt dilecto meo in*

cornu filio olei . 2. dignitas Isaac. Genes. 22. num. 13. *Leuauit Abraham oculos suos , viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus , quem assumens obtulit holocaustum pro filio* . 3. dignitas Ioseph. Deuter. 33. num. 16. *Benedictio illius , qui apparuit in rubo , veniat super caput Ioseph , & super verticem Nazaræi inter fratres suos . Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius , cornua Rhinocerotis, cornua illius* . 4. dignitas Moysis . Exod. 34. num. 35. *Videbant faciem egredientis Moysis esse cornutam* . 5. Dignitas Prophetarum . 1. Reg. cap. 1. num. 28. & cap. 2. num. 1. *Et orauit Anna, & ait. Exultauit cor meum in Domino; & exaltatum est cornu meum in Deo meo* . 6. Dignitas legis diuinæ scriptæ soli populo Hebræo datæ . Abacuc cap. 3. nu. 4. *Splendor eius vt lux erit : cornua in manibus eius* . 7. Dignitas Sacerdotij . Psal. 111. num. 9. *Cornu eius exaltabitur in gloria* . 8. Dignitas Leuitarum . Paralip. 1. cap. 25. nu. 5. *Omnes isti filij Heman videntis Regis in sermonibus Dei , vt exaltaret cornu* . 9. Dignitas Ciuitatis Ierusalem. Psal. 21. num. 22. *Et à cornibus vnicornium* . 10. Dignitas Regis Messiæ. 1. Reg. cap. 2. num. 10. *Dominus iudicabit fines terræ, & dabit Imperium Regi suo , & sublimabit cornu Christi sui* . Et Psal. 131. num. 17. *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo* .

105. *Hæ sunt dignitates populi Hebræi ; quæ illi fuerunt ablatæ propter sua peccata , & datæ sunt gentibus* . Hactenus verba illius libri : & sic explicantur illa verba : *Confringam cornua peccatorum* , id est , *dignitates peccantium Hebræorum ; & exaltabuntur cornua Iusti*, id est , Dignitates dabuntur gentibus sequentibus Iustum, id est, Messiam: qui appellatur Dominus Iustus noster . Quæ etiam verba reperiuntur scripta in libro Echa rabbati glossa maiori Threnorum Ieremiæ cap. 2. nu. 3. *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel* . Vnde argumentor nunc contra Iudæos ex ipsorum verbis; per ipsos omnes hæ supradictæ dignitates , inter quas numerant dignitatem Messiæ , sunt ablatæ populo Hebræo , & datæ populo Gentili : ergo

Messias

Meſſias iam venit, & regnat in populo Chriſtiano, ex gentibus conuerſis conſtituto: verificaturque prophetia Chriſti: *Ideo auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius*. Et modò iam id eſt impletum: nam populo Chriſtiano per Chriſtum in cruce redempto data eſt lex, & donum interpretationis illius, item Sacerdotium, Prophetæ, Leuitæ, ſeu Diaconi; & hæc omnia iam deſunt in populo Hebræo, & verificata eſt prophetia, quæ ſupra adducta eſt, nimirum Hebræos in aduentu Meſſiæ futuros eſſe ſine Rege, ſine Sacerdotio, ſine Sacrificio; & quòd ex gentibus, ſcil. conuerſis ad Chriſtum aſſumendi eſſent Sacerdotes, Leuitæ, ſeu Diaconi, & quòd vbique omnibus diebus peragendum eſſet Deo ſacrificium, & offerenda oblatio munda, prout latè vidimus ſupra. Ideoque omnis decor Eccleſiaſticus, tota Eccleſiæ magnificentia, quæ fuerat olim in Synagoga, ſublata eſt Hebræis, & translata eſt in Gentes, id eſt, Eccleſiam Chriſtianam, ex Gentibus conuerſis congregatam; & hoc etiam legitur in Ialcut celebri Iudæorum libro in expoſitione Ieremiæ cap. 13. verſ. 17. Vbi ſunt hæc verba de Hebraico in Latinum fideliter translata: *Dicit textus ille Ieremiæ. Si hoc non audieritis, in abſcondito plorabit anima mea à facie ſuperbiæ*, id eſt, *pro ſuperba magnificentia ſublata. Quid vult dicere: In abſcondito? Dixit Rabbi Samuel filius Auiiæ, reſpondendo: vnum locum habet Deus ſanctus, & benedictus; in quo ipſe plorat, qui dicitur Miſtarim*, id eſt, *locus occultus; & iterum interrogando ait; quid vult dicere, à facie ſuperbiæ, ſeu pro magnificentia? Dicit Rabbi Samuel filius Rabbi Iſaac nomine Rabbi*, ſcil. *Doctoris præcipui appellati per antonomaſiam Doctoris. Vult dicere pro magnificentia populi Iſraelis, quæ illi eſt ablata; & data populo Gentili*. Ex vtraque Rabbinorum authoritate conſtat omnem dignitatem populi Hebræi illi eſse ſublatam, & datam populo Chriſtiano, præcipuè illam vltimam, & omnium maximam dignitatem Meſſiæ, qui per Apoſtolos à Deo deſtinatos fuit gentibus prædicatus ſub obſtupendis, & innumeris miraculis,

& omnes Christiani illum acceptarunt, credunt, possident, adorant, amant, & pro illo parati sunt millies mori, & plurimi cum summa lætitia, & exultatione pro illius fide tuenda multa passi sunt tormenta, crucem, & mortem: & innumera miracula edidere; Deusque illos etiam in terris glorificauit.

106. Quæres tamen hîc, an iuxta illum Rabbinum, verè Deus ploret in eo loco abscondito? Resp. illum Rabbinum in hoc errasse, & delirasse: nam in eo textu loquitur Ieremias de planctu suo, dum spiritu videbat hanc infelicitatem Hebræorum futuram: & conuincitur: nam si Deus ibi loqueretur, diceret; *quia captus est populus meus*; & non *populus eius*: vnde clarum est loqui ibi Ieremiam, & de suo loquitur planctu, & fletu. Et ita exponit Dauid Chimchim Rabbi verba illa Ieremiæ, dicens. Et *si non audieritis, &c. Dicit illis Propheta; si non intellexeritis istam prophetiam, quam ego vobis dico per verbum Dei benedicti, in occulto plorabit anima mea: quia ego præuideo vestrum illum infelicem finem*. Igitur ex his verbis patet Ieremiam in planctus solui, quia prẹuidebat ab Hebræis auferendam esse omnem suam dignitatem ob suam ipsorum culpam, & obstinationem, & dandam esse Gentibus, ob suam fidem erga Messiam Dei Filium, & omnium Redemptorem.

107. Secunda authoritas, testimoniumque Rabbinorum legitur in Thalmud in tractatu Sanhedrin cap. Chelec: vbi sunt hæc verba: *Sententia illorum, qui sunt ex domo Eliæ: Sex mille annis durabit mundus, in vno millesimo erit destructus*, id est, *in tempore illius tertij millesimi continget diluuium vniuersale; per duos mille erit sine lege scripta: & per duos mille annos durabit lex scripta: & per duos mille annos durabit mundus sub Messia in terris*. Ex quibus verbis constat manifestè, secundùm ipsos Messiam iam venisse: nam ipsi Rabbini dicunt mundum solùm duraturum 6000. annos: 2000. sine lege: 2000. cum lege, 2000. cum Messia: & nunc iam transactum est quintum millesimum

à crea-

à creatione mundi,& ex sexto millesimo præteriti iam sunt 468.ex quo venit Messias ex ipsorum numerandi ratione, nisi velint confiteri veritatem, scil. esse præteritos iam 1692. ex quo Messias Sanctissimus natus est in Bethlehem Iuda ex Beatissima Virgine MARIA secundùm prophetias supra relatas. Vnde licèt iuxta illos Rabbinos Messias potuisset anticipare tempus aduentus sui, si Hebræi id mererentur, non peccando, & bonos actus virtutum operando; at quamuis ipsi peccarent, non desineret tamen suo destinato tempore venire: ergo si dicunt tempus destinatum Messiæ aduentûs fuisse in illis diebus, in quibus inciperet quintum millesimum, necessarium debent concedere Messiam iam venisse.

108. Huic argumento irrefragabili, & ad hominem contra ipsos, respondent in eisdem verbis discipulorum Eliæ in citato libro scriptis dici illud intelligendum, nisi Hebræorum peccata obstent; proindeque non sequi iam venisse. Sed contra: quia illa vltima verba non sunt discipulorum, seu illorum hominum de domo, & familia Eliæ, sed addita à fallacibus Hebræis, ne cogantur concedere Messiam iam venisse; antea enim non erant illa verba vltima: quod manifestè patet: 1. quia verba priora sunt scripta diuersâ linguâ, scilicet Ierosolymitanâ; illa verò vltima verba, scilicet: *Sed propter nostra peccata non venit, &c.* sunt scripta linguâ Hebraicâ; ex quo conuincitur non fuisse ab iisdem familiaribus, & discipulis Eliæ scripta, sed post Christi aduentum ab ipsis perfidis Hebræis de nouo addita. 2. Quia illa sententia fuit à discipulis Eliæ prædicta; qui vixerunt 400. annis ante Christi aduentum: & tunc adhuc non erat tempus, quo Messias venire deberet: quomodo ergo illi poterant dicere: *Sed propter peccata nostra non venit isto tempore iam præterito*, si tunc illud tempus nondum erat præteritum? Manifestum igitur signum est illa vltima verba non à discipulis Eliæ fuisse scripta, sed à perfidis Hebræis addita post transactum tempus aduentûs Messiæ, quia illum no-

lunt

lunt recognoſcere ; & quærunt mille fallacias , & fraudes, vt ſe poſſint extricare à retibus, quibus tamen redduntur plùs intricati , ſimpliceſque , & ignorantes Hebræos decipiunt, vt ſimul cum illis in æternum damnentur. 3. Quia ſi poſtrema illa verba : *Sed propter peccata noſtra præteritum eſt illud tempus, & Meſſias non venit*, eſſent eorundem diſcipulorum Eliæ,ipſi ſe manifeſtè implicarent, quod non ſolent facere authores præcipuè illi à Deo illuminati ; probatur clarè , quòd ſeipſos in adiectis implicarent : ſiquidem ſi dictum haberent eſſe iam præteritos tot annos vltra , dicerent certè pluſquam duo mille annos legem duraturam; hoc autem manifeſtè contradiceret prioribus verbis, in quibus dixerant legem ſolùm duo mille annos duraturam; item cùm iam ſecundùm illos Rabbinos ſint præteriti 5478. poſt creationem mundi, debeatque mundus, ſecundùm illos durare 2. mille annis poſt aduentum Meſſiæ, deberet mundus durare 1447. licèt hodie in hoc anno 1693.veniſset Meſſias,hoc autẽ manifeſtè implicat cum eo, quod illi diſcipuli Eliæ dixerant,mundum,ſcil.ſolùm 6000. annis duraturum . Igitur manifeſtè patet illa vltima verba non fuiſſe dicta ab illis de domo Eliæ ; ſed conficta, & de nouo addita poſt aduentum Chriſti ab illis perfidis Hebræis,ne cogantur concedere Meſſiam iam veniſſe,& ignorantem , ſimplicemque Hebræorum plebem decipiant . 4. Tandem, quia ſecundùm Rabbinos mox citandos Meſſias poterat quidem anticipare tempus ſuum, ſi Hebræi id mererentur; non tamen tempus ſuum differre,licèt Hebræorum peccata plurima, eaque grauiſſima forent ; vti ſupra tetigimus . Ita expreſsè habet Thalmud in Iſaiam cap. 60. & ibi Rabbi Alexander citans Rabbi Ioſue filium Leui . Et Ialcut ſupra idem caput Iſaiæ ſigno 363. Et in libro Rabboth in expoſitione Exodi cap. 16. vbi citat Rabbi Iohanan: & ibi ſic dicitur : *Dixit Deus benedictus Iſraeli , quamuis ego poſuerim certum terminum tempori , in quo veniet Meſſias ; ſiue agant pœnitentiam, ſiue non agant , ſemper ſuo tempore veniet.* Si ergo iuxta ipſos Rabbinos, tempus aduentûs

Meſſiæ

Messiæ præfixum erat principium quarti millesimi post creationem mundi, siue peccarent Hebræi, siue non, sequitur iam omnino venisse: quia differre non poterat illud tempus; licèt bene potuisset anticipare; vt verè anticipauit per merita, desideriaque feruentia Sanctorum Patrum: siquidem secundùm Hebræorum computationem verus Messias Christus IESVS venit priusquam essent transacti 4000. anni post creationem mundi. Ex quibus etiam manifestè constat illa verba: *Et propter peccata nostra non venit, &c.* esse addita ab Hebræis malignis, & fraudulentis; & non primò scripta ab illis Rabbinis Eliæ discipulis, & inde constat, quòd secundùm eorum Eliæ discipulorum sententiam Messias iam venit.

109. Tertia authoritas, testimoniumque Rabbinorum, qua probatur Messiam iam venisse, desumitur ex lib. Sanhedrin in eodem capite Chelec: vbi leguntur hæc verba: *Dixit Eliahu ad Rabbi Iebuda: Mundus non durabit plùs, quàm* 85. *Iubilæis: & in vltimo Iubilæo veniet Messias Filius Dauid.* Quilibet Iubilæus durabat 50. annis: vnde 85. Iubilæi faciunt 4250. annos: & sic exponit Rabbi Salomon, dicens, 85. Iubilæi sunt 4250. post creationem mundi: & in hoc præsenti tempore secundùm computationem illorum numerantur iam post mundi creationem 5447. igitur si iuxta illos Messias venire debuerat in anno 4250. post creationem mundi, & nunc post mundi creationem iam numerantur 5447. sequitur post tempus aduentus Messiæ transactos iam esse 1197. si nolint confiteri veritatem, transactos iam esse annos 1692. post Christi Natiuitatem. Deinde in Thalmud tractatu, Adoratione aliena, in eo cap. quod incipit, Ante festum illorum, hæc verba leguntur: *Dixit Rabbi Caanina post* 400. *annos à primi Templi destructione: Si tibi aliquis dicat: Sume hunc agrum, qui valorem mille denariorum habet, dando vnum tantùm denarium, non illum sumas. Et legitur in Cathedra Rabbinorum: Post annum* 4230. *à creatione mundi: Si aliquis tibi dicet: Sume hunc agrum, constantem mille denarijs, pro vno denario,*

rio, illum ne sumas: quia illud est tempus Redemptionis, id est, *aduentûs Messiæ*. Itaque iuxta illos Rabbinos Messias venire debuerat 400. annis post ruinam Templi primi: & in hoc ipso tempore, modica, aut ferè nulla intercepta temporis varietate, natus est Christus IESVS in Bethlehem; siquidem primum Templum destructum fuit, quando Hebræi relegati fuerunt in captiuitatem Babylonis, in qua 70. annis demorati sunt: & redierunt, ac ædificarunt secundum Templum, quod iuxta Rabbinos durauit 420. annos; sicut ipsi dicunt in suo Thalmud tractatu Harachin; & fit numerus 490. nam Natiuitas Christi fuit 75. annis ante ruinam secundi Templi: siquidem Christus vixit in terris 33. annos; & 42. annis Templum secundum stetit, postquam Christus fuit in monte Caluario pro nostra salute crucifixus, & faciunt annos 75. qui si demantur ab illo numero 490. qui fuerunt transacti à ruina primi Templi vsq; ad ruinam secundi, remanent 415. anni, in quo anno natus est Saluator Christus IESVS ex purissima, beatissimaque Virgine MARIA; qui annus fuit 415. post ruinam primi Templi: & Rabbinus ait, quòd completis 400. annis post primi Templi ruinam, erat tempus aduentûs Messiæ: ergo bene concluditur Christum verum esse Messiam: siquidem ille natus est, 400. annis transactis post primi Templi ruinam: & ex verbis alterius Rabbini deducitur tempus aduentûs esse debere ad annum 4230. post mundi creationem: & hoc tempore pręsenti fluit annus 5447. & amplius; igitur ab illo termino, quem assignat pro aduentu Messiæ, transacti iam sunt 1206. Ex quo euidenter patet Messiam iam venisse in prædicto anno 1206. si nolint confiteri veritatem, scilicet, postquàm Christus est natus, præteritos iam esse 1692. annos.

110. Perfidi Iudæi cùm videant omnem terminum, quem sui Rabbini assignauerunt pro aduentu Messiæ, præteritum iam esse, & nihilominus adhuc nolunt credere iam venisse, ne toties comprehendantur in suis erroribus, fallisque imaginationibus, dicunt terminum præfixum

ad-

aduentus Messiæ non posse certò cognosci, nisi Deus illum desiderantibus, qualis præfixus sit terminus, reuelet: sed hallucinantur, & in sua obstinata cæcitate cæcutiunt; cũ terminus aduentus Christi veri Messiæ fuerit illud tempus, in quo Christus IESVS natus fuit in Bethlehem; prout prædixit Daniel cap. 9. cuius clarissimam prophetiam infra suo loco expendemus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Proponitur decimatertia probatio, qua demonstratur Messiam iam venisse ex Aggæo Propheta.

111. PRopheta Aggæus cap. 2. num. 7. ita habet: *Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam: & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ, &c. Meum est argentum, & meum est aurum: magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquàm primæ.* In hac prophetia Æternus Pater loquitur per Prophetam Aggæum, & promittit se citò missurum Filium suum Messiam Sanctissimum: *Adhuc vnum modicum est*, id est, differetur adhuc modicum temporis spatium, ante illius aduentum in terras: *Et ego commouebo cœlum, & terram.* Vult significare: disrumpam cœlos, & descendam, iuxta illud: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Isaiæ 64. num. 1. *Cœlum, & terram.* Quia Messias hic partim de cœlo est: quia verus Deus; partim de terra, quia filius hominis est: iuxta illud: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Isaiæ 45. num. 8. *Commouebo cælum.* Quia vbi primum natus fuerit in Bethlehem, illi assistent Angeli de cœlo, vt illum tanquam Regem suum adorent iuxta illud: *Facta est militia cælestis exercitus. Et vbi primùm introduxit primogenitum in orbem terræ, dixit: & adorent eum omnes Angeli eius. Commouebo cœlum.* Quia in eius natiui-

tate apparebit ſtella mirabilis ducens Magos ab Oriente in locum Natiuitatis eius in Bethlehem, iuxta illud: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum: vidimus enim ſtellam eius, & venimus adorare eum.* Et in eius morte grandis ille cœli oculus Sol in ipſo meridie lumen amittet, & obſcurabitur, iuxta illud: *Obtenebratus eſt Sol, tenebræ factæ ſunt in vniuerſa terra ab hora ſexta, vſque ad horam nonam.* Vnde vides in aduentu Meſſiæ cœlum eſſe commotum. *Commouebo terram.* Et ſic in morte Meſſiæ Chriſti IESV terra fuit mota, iuxta illud: *Terra tremuit, & quieuit.* Et *terræ motus factus eſt, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt. Commouebo mare, & aridam*, id eſt, gentes, quæ inſulas maris habitant, & quæ habitant *aridam*, id eſt, terram, iuxta illud Iſai. cap. 42. *Laus eius ab extremis terræ, qui deſcendunt in mare: & plenitudo eius inſulæ, & habitatores earum. Et mouebo omnes gentes.* Id eſt, motione Spiritus Sancti, vt credant in illum. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus.* Id eſt, non ſolùm à populo Hebræo; ſed ab omnibus populis; omnium enim erit deſiderium, & gaudium, iuxta illud: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator: qui eſt Chriſtus Dominus. Et implebo domum iſtam.* Id eſt, hoc ſecundum Templum, gloriâ, id eſt, Chriſti præſentiâ; qui eſt gloria ſui Æterni Patris, & noſtra. *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquàm primæ.* Id eſt, maior erit gloria iſtius ſecundi, & vltimi Templi, quàm fuit gloria primi: quia licèt hoc ſecundum non habuit tantam magnificentiam, ut primum: at primum non habuit felicitatē recipiendi in ſe Meſſiam, vt habuit ſecundum, in quod Chriſtus ſæpius intrauit, & in quo docuit, iuxta illud: *Eram quotidie docens in Templo.* Ex his manifeſtè patet Meſſiam iam veniſſe, & eſſe Chriſtum Saluatorem noſtrum: nam prophetia dicit Meſſiam venturum tempore Templi ſecundi; quod illius præſentiâ glorificari deberet, & hoc Templum debere eſſe vltimum in Synagoga, & non aliud ædificandum: ſed hoc Templum ſecundum iam non exiſtit; fuitque deſtructum

à Tito

à Tito Romanorum Imperatore, transactis iam plùs 1600. annis: ergo ab hinc, 600. annis, & plùs Christus verus Messias venit.

112. Hebræi respondent hoc argumentum concludere, & conuincere; si probaretur Prophetam hîc loqui de Messia. Sed miseri Iudæi non aduertunt, vel fingunt se non aduertere Prophetam adeò clarè loqui de Christo vero Messia, vt de nullo alio possit intelligi; quin imò ipsimet Hebræorum Rabbini hoc ingenuè confitentur. Nam in Thalmud in tractatu Sanhedrin cap. Chelec. exponendo prædictam prophetiam, sic dicitur: *Rabbi Hacbiua dicit: Adhuc vnum modicum, &c. Loquitur de diebus Messiæ, & de Templo ædificato post ruinam primi Templi*. Igitur hi Rabbini in Thalmud intelligunt prophetiam de Messia, & de secundo Templo, quod ædificandum erat post destructum primum; & sic etiam dicunt in tempore huius secundi Templi venire debere Messiam iuxta Prophetam; quomodo ergo negant venisse iam Messiam, videndo iam illud tempus esse præteritum elapsis iam annis 1600. & vltra, ex quo illud Templum fuit destructum, & non est aliud ædificandum, aliter erraret Propheta, dicendo illud Templum esse secundum, & vltimum. *Domus istius nouissimæ*. Dicente autem Propheta, gloriam istius secundi Templi futuram esse maiorem, quàm primi, de qua gloria poterat loqui, nisi de gloria, quæ illi veniret ex assistentia Messiæ in illo secundo Templo; quam gloriam non habuit primum? Siquidem non poterat ille loqui de maiori magnificentia materiali: dum existens ille in hoc secundo Templo, hæc dixit num. 4. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* Ergo supponebat Templum primum multò maiorem magnificentiam habuisse, quàm hoc secundum, & consequenter, dum dicit hoc secundum habiturum maiorem gloriam, quàm primum, non loquitur de magnificentia ædificij, sed de gloria assistentiæ Messiæ in Templo secundo, quam gloriam non habuit primum; & certè non poterat maior esse gloria, quàm dum

in illud Templum Rex gloriæ Chriſtus ingreſſus eſt.

113. Et hoc ipſum patet ex libro Midraſc Sciraſcirim in Cantic.c.8. vbi dicitur multa defeciſſe in ſecundo Templo, quæ fuerant in primo; nam in primo deſcendebat de cœlo ignis tempore ſacrificij: in ſecundo non deſcendebat. In primo erat oleum vnctionis; quo Reges, ac Sacerdotes vngebantur: in ſecundo non erat iſtud oleum. In primo erat arca, Vrim, & Thurim: in ſecundo non erant. Idem ſcribitur in Thalmud in tractatu, Ioma, & in tractatu Sanhedrin in capite, quod incipit Elluhen haggalin. Cùm igitur tot, tamque glorioſa defecerint in Templo ſecundo, quæ aderant in primo, nec etiam ædificium Templi ſecundi erat tam nobile, vt erat primi, non poterat glorioſius eſſe ſecundum, niſi ex illa gloria certè incomparabili deſumpta ex eo, quòd Chriſtus verus Meſsias illud ſecundum Templum glorioſa, diuinaque præſentia ſua decorauerit: loquitur ergo Propheta de Meſsia venturo, & aſtituro ſecundo templo: proindeque euidens eſt Meſsiam iam veniſſe: & vanè adhuc à Iudæis expectari, cùm iam Templum illud non exiſtit: & ſolùm, illo exiſtente, Meſsias venire debuerat, vt dixit Propheta.

114. Sentiunt Iudæi efficaces huius argumenti vires: & putant ſe illud effugere exhibendo certè ridiculam, friuolamque ſolutionem, dicendo maiorem gloriam Templi ſecundi fuiſſe in eo, quòd Templum primum durauerit 410. annos: ſecundum verò 420. vnde maior gloria fuit durare plùs annos 10. Quis non demiretur iſtorum hominum fatuitatem? An quia Dux aliquis inferior 60. vixerit annos, & Rex ſceptrum habens, coronam, & ſolium vixerit 50. dicetur Dux Rege glorioſior? Minimè quidem: nam poteſt res vna durare multo tempore, & tamen non eſse glorioſa; & multò minùs poteſt res aliqua dici glorioſa, quæ priuata eſt dignitate. Sed Templum ſecundum orbatum erat quinque illis dignitatibus ſupradictis, quibus Templum primum inſigniebatur: ergo ſecundum Templum ſolùm poterat dici glorioſius ex augmento dignitatis, non

ex

ex augmento temporis absque dignitate: non apparet autem, qualis fuerit maior dignitas secundi Templi, nisi ex assistentia Messiæ, quæ dignitas est summa omnium dignitatum: ergo hæc fuit maior dignitas, & gloria Templi secundi, quæ non adfuit primo: ideoque Propheta loquens de Messia veniente tempore secundi Templi, meritò dixit maiorem esse gloriam huius secundi Templi, quàm, quæ fuerat primi: omnes enim illæ quinque dignitates primi Templi erant figura, & vmbra Messiæ; & quis neget figuram figurato esse minùs gloriosam? Quis ibit inficias vmbrâ lucem multò esse gloriosiorem? Quamuis vmbra diutius, lux verò breuiùs duret?

115. Sed vt magis conuicti, confusique reddantur Hebræi; neque etiam hoc illos miserum iuuat effugium: nam falsum omnino est, quòd Templum primum durauerit minùs, quàm secundum. Siquidem, si numerandum sit tempus durationis primi Templi à principio fundationis eius; durauit primum plùs annos 9. quàm secundum. Si numerandum sit ab anno, quo fuit consummatum, durauit plùs duos annos, & sex menses, quàm secundum: Quod patet manifestè ex Sacra Scriptura, in lib. Regum: nam Templum primum incepit ædificari in 4. anno Regni Salomonis 3. Reg. cap. 11. qui regnauit annos 40. vnde stetit Templum vsque ad mortem Salomonis 36. annos numerando ex primo anno, quo ædificium incepit; & numerando ex anno, quo Templum fuit perfectum; qui fuit annus vndecimus Regni Salomonis, durauit Templum vsque ad mortem Salomonis, annos 29. Post Salomonem regnauit Roboam 17. annos Reg. 3. cap. 14. ibidem cap. 15. ibidem c. 22. Post Roboam regnauit Abias tres annos Reg. 4. cap. 8. ibidem. post hunc regnauit Aza annos 41. postea Iosaphat annos 25. postea Ioram regnauit annos 8. Postea regnauit Achazias anno vno; qui fuit occisus à Iehu Rege Samariæ. Postea fuit Regnum Iudæ sine Rege, annos 6. & anno 7. factus est Rex Ioas, qui regnauit annos 40. Postea regnauit Amasias annos 29. Postea regnauit Azarias, nominatus

etiam

etiam Huzias, annos 52. postea regnauit Ioathan annos 16. Reg. 4. c. 11. ib. c. 12. ib. c. 14. ib. c. 15. ibid. Postea regnauit Achaz annos 16. Reg. 4. c. 16. ibid. c. 18. ibid. cap. 21. ibid. ibid. cap. 22. ibidem 23.. ibidem cap. 25. ibidem & Paralip. cap. 36. Postea regnauit Ezechias annos 29. Postea regnauit Manasses annos 55. Postea regnauit Amos annos 2. postea regnauit Iosias annos 31. Postea regnauit Ioachaz menses 3. postea regnauit Ioakim, annos 11. postea regnauit Ioachin menses 3. Postea regnauit Sedechias annos 11. qui fuit annus 10. Nabuchodonosor, in quo anno fuit Templum destructum. Vnde omnes hi anni, si bene legas, faciunt numerum 422. annorum, & sex mensium incipiendo ab anno, quo primum Templum fuit perfectè finitum, vsque ad ruinam illius; ex quo patet iuxta hanc numerandi rationem, durasse primum Templum annis 2. & medio, plùs, quàm secundum Templum: & incipiendo à principio fundationis Templi, durasse primum Templum annos 9. plùs, quàm secũdum. Igitur falsum omnino est id, quod illi Rabbini narrant, scil. secundum Templum durasse plùs, quàm primum, & hanc fuisse maiorem gloriam Templi secundi; cùm tamen euidenter constet oppositum: erubescant igitur Rabbini falsarij, & desinant tot mendacijs simplices, & rudes Hebræos decipere.

116. Alterum dubium opponunt Hebræi contra illum versiculum: *Veniet desideratus cunctis gentibus*. Dicunt enim legendum esse: Venient cum desiderio cunctæ gentes, & probant: quia in textu Hebraico, positum est verbum, venient in numero plurali, & non, veniet in numero singulari; ex quo inferunt non posse poni desiderium in nominatiuo; aliter errans esset grammatica: *Desiderium venient*; bene tamen concordabit, cum desiderio venient gentes: quo posito, clarè videtur textum non loqui de Messia, sed de solo Templo secundo, in quod venient gentes cum desiderio, & deuotione adorare Deum in Templo illo; quod dicunt fuisse impletum, quia non solùm Hebræi, sed etiã multi Gentiles sæpè venerunt adorare Deum

Israel

Iſrael in Ieruſalem:ergo fruſtra dicimus prophetiam intelligi de Meſſia. Hoc dubium Hebræorum nullius momenti eſt: quia vox deſiderium (ſi non velimus ponere *Deſideratus*, vt habet noſtra vulgata) ponitur in textu vt regens caſum ſequentis nominis, ſcil. gentium in genitiuo, vel gentibus, in datiuo; ſi autem gentes in caſu recto ponerentur; non deberet poni *deſiderium* vt regens, ſed vt directum, & modificatum à præpoſitione *cum*. Et non ponitur ibi vlla vox Hebraica, quæ talem propoſitionem *cum* adſignificet; & ideo bene aptatur in textu Deſiderium gentium, vel deſideratus gentibus. Nec obſtat, quòd verbum ibi ponatur in plurali, venient; quia alij legunt deſideria, & ſic concordat numerus in plurali: alij legunt, veniet, & deſiderium, & ſic concordat numerus in ſingulari. Deinde, illud nomen Deſiderium ſumi poteſt collectiuè, pro ſingulis omnium gẽtium deſiderijs, & ſic licèt nomen ſit ſingulare,habere poteſt verbum in plurali, iuxta illud. *Pars in fruſta ſecant*. Præſcindendo tamen ab his quiſquilijs Grammaticalibus; nonne eſt ſententia omnium ferè Rabbinorum Prophetam hîc loqui de Meſſia? Cur Propheta Hebræos conſolabatur videndo eos dolore affectos, quòd hoc ſecundum Templum non accedebat ad magnificentiam primi Templi, niſi proponendo, & prædicendo gloriam iſtius ſecundi futuram eſſe maiorem propter aſſiſtentiam Meſſiæ in eo ſecundo Templo futuram:ad quem Gentes omnes magno cum deſiderio confluerent, videndo tot eius Meſſiæ miracula,facta in cœlo,& in terra,vt quando in cœlo noua apparuit ſtella,Sol in plenilunio,quando Luna à Sole plùs diſtat, ingentem eclipſim paſſus eſt, quãdo vox Patris Æterni de cœlo toties audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* quando Spiritus Sanctus de cœlo ſuper Meſſiam in Iordane ſub columbæ ſpecie, & in die Pentecoſtes ignitas inter linguas ſuper Apoſtolos in ſignum Meſſiæ ſonante cœlo turbinis inſtar deſcendit: quãdo Angeli de cœlo, in natiuitate Chriſti,in deſerto,in horto Gethſemani, in ſepulchro, in reſurrectione, in Aſcen-

ſione

ſione ſæpius apparuerunt ad propalandum hominibus Chriſtum verum eſſe Meſſiam. Quando vniuerſa terra, populi omnes, cunctæ mundi nationes commotæ ſunt,tot prodigijs ſtupefactæ, tot miraculis, & prophetijs verificatis, Apoſtolorum in omnem terram clamore perſonante conuictæ ad Chriſtum confluxere; non fuit hoc commouere cœlos? mouere terram? allicere Nationes? adducere populos, ad videndum, ad amandum, ad obtinendum ſui cauſam deſiderij, æternæ ſuæ ſalutis authorem, ſuum dulciſſimum IESVM, ſuum deſiderium, ſuam ſpem,ſuamque beatitudinem ſempiternam? Vbi meliùs, & veriùs, clariùs, & certiùs hoc Prophetæ cæleſtis oraculi vaticinium poſſet verificari? Erubeſcant Hebræi, vel dum hæc mente capti non capiunt; vel dum voluntate obſtinati non amplectuntur; cedat iam dementia rationi,mendacia veritati,tenebræ luci.

117. Recentior quidam Iudæus, vt neruoſas huius argumenti vires effugiat aliter punctis afficit verba Prophetæ;& ſcribit,ſeu legit ſic: *Magna eſt gloria domus iſtius; nouiſſimæ plùs, quàm primæ*; vbi ponendo poſt pronomen *Iſtius* punctum,ac virgulam,facit, vt explicetur Propheta, tanquam de triplici Templo. Primum eſt Salomonis, ſecundùm Zorobabelis,nouiſſimum, & vltimum,quod ædificabitur a Rege Meſſia, quando venerit; & hoc vltimum erit magnificentius in omnibus,quàm primum; vnde, inquit Barbanella, (ſic enim appellatur iſte Iudæus) cùm adhuc non ſit ædificatum tertium Templum; nondum venit Meſſias. Hæc eſt expoſitio iſtius nequiſſimi Nebulonis; & non erubeſcit variare ſic ſacrum textum; qui à tot ſæculis, & per tot ſapientiſſimos Doctores etiam Hebræos, tam ante,quàm poſt Natiuitatem Domini noſtri IESV Chriſti fuit ſemper inuariatus, & incorruptus, eo modo,quo nos illum legimus: nec vllus author etiam Hebræus inuenitur, præter iſtam malignam vulpeculam; qui ſacrum illum textum ita detorqueat,ſeu vulneret,laceretque.

118. Vnde refellitur primò: quia Propheta ſolùm facit

cit hîc comparationem primi Templi cum ſecundo Zorobabelis; & dicit licèt primum præceſſerit in magnificentia; iſtud tamen ſecundũ præceſſurum in gloria; quia in eo aſſiſtet deſideratus Meſſias, volens conſolari Hebręos, quaſi diceret: quamuis triſtes ſitis, quòd fabrica iſtius ſecũdi, & vltimi Templi ſit minor quàm primi fabrica: tamen maior erit gloria iſtius propter aduentum Chriſti in iſto ſecundo: ad quod impertinens erat loqui de alio tertio Templo; cùm ſolùm voluiſſet eos conſolari cum hoc ſecundo, & ideo exhortabatur, vt pergerent ad illud perficiendum, & continuandum, dicens: *Et nunc confortare Zorobabel, &c.* Secunda, quia vt verba textûs habere poſſint illum ſenſum extortum, quem vult ille Rabbinus, vt argumentum declinet, neceſſarium eſt mutare verba Prophetæ, addendo aliqua, quæ non inueniuntur, nec in textu Hebraico, nec in ſeptuaginta, nec in noſtra Vulgata; nec in Chaldaica, aut Syriaca verſione; imò neque illa textûs variatio reperitur apud veteres Rabbinos; prout videre potes apud Galatin. lib.4. c.9. Dicendum igitur eſt prophetiam loqui de ſecundo Templo, & de Meſſia illud ſuâ præſentiâ glorificaturo; & conſequenter ex eo textu euidenter probari iam veniſſe Meſſiam, & eſſe Chriſtum IESVM; quem ſi Iudæi non recipient, in æternum certiſſimè ſunt damnandi.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Proponitur decimaquarta probatio, qua probatur Meſſiam iam veniſſe, dum venire debuerat tempore, quo adhuc exiſteret ſecundum Templum.

119. DEcimaquarta probatio, qua clariſſimè probatur Meſſiam iam veniſſe, deſumitur ex Malachia Propheta cap.3. num.1. quæ ſic habet: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit*

Dominus exercituũ, &c. & quis stabit ad videndum eum? ipse enim, quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia, & placebit Domino sacrificium Iudæ, & Ierusalem sicut dies sæculi; & sicut anni antiqui. Et accedam ad vos in iudicio: & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris. Ex hac prophetia manifestè apparet Messiam iam venisse, & esse Christum IESVM: nam Propheta dicit Christum Messiam Sanctissimum venturum esse in tẽpore Templi 2. Hoc templum secundum iam non est, sed fuit: ergo iam venit, quando Templum illud fuit: vnde manifestè errant Hebræi expectantes Messiam, dum constat manifestè iam venisse. Totum manifestiùs constabit explicando prædictam prophetiam, quæ sic ex sententia nostrorum Doctorum, & etiam Hebræorum exponitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. Id est, ego Verbum Diuinum mitto Præcursorem meum Baptistam ante me, qui disponet homines, vt credant in me, & me recipiant vt Agnum Dei, qui tollat peccata mundi. Mesias vt Agnus expectabatur à Iudæis: iuxta illud: *Mitte Agnum dominatorem terræ*. Ex quo patet Baptistam fuisse non solùm missum à Patre, iuxta illud Ioan. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes*; quod etiam Christus insinuauit. Matth. 11. num. 10. *Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam, ante te*, sed etiam à Filio, imò & missus fuit à Spiritu Sancto; siquidem actiones ad extra, vt docent Theologi, toti Trinitati sunt communes. *Angelum meum*. Certum est de fide, Baptistam fuisse hominem, & non verum Angelum, quod constat ex duobus textibus citatis Ioan. & Matth. & ex Luc. 1. vbi narratur eius humana generatio, Pater Zacharias, & Mater Elisabeth. Et ideo ab Ecclesia damnatus fuit error Origenis, qui affirmauit Baptistam fuisse Angelum incarnatum. Verba Origenis sunt hæc: *Quoniam legimus* Malach. 3. num 1.

num.1.*Ecce ego mitto Angelum meum, adnotamus unum fortè vnus Angelorum exiſtens præcurſor ad miniſterium deputetur Saluatoris noſtri. Et mirum profectò nihil, Chriſti ob amorem hominum incarnati imitatores aliquos extitiſſe, quibus dulce fuerit ei benignitati inſeruire eadem corporis ſimilitudine.* Sed errauit, vt dictum eſt. Eccleſia enim ſacros illos textus de Baptiſta homine puro homine, & non de homine Angelo, diuino illuſtrata lumine, ſanctè, fideliterque intellexit.

120. *Et præparabit viam ante faciem meam*. Id eſt, me iam præſente, & exiſtente in carne viſibili, præparabit baptiſmum pœnitentiæ, ad baptiſmum à me mox inſtituendum in Spiritu Sancto. *Et ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator; ſtatim*: quia poſt Ioannem venit, & apparuit Chriſtus, ſicut poſt ſtellam luciferam ſequitur Sol: vnde Ioannes fuit velut horizon legis veteris, ac nouæ: quod bene explicauit D.Th.3.p.q.38.art.1.*Ioannes fuit terminus legis, & initium Euangelij*. Et eleganter Chryſol. ſerm.91. *Ioannes fuit legis, & Gratiæ fibula*, ſcilicet *ad quem deſineret Iudaiſmus, & inciperet Chriſtianiſmus*. Et profundè Tertullianus lib.4.contra Marcian.33.*Sicut Lucifer finis eſt noctis, & diei initium, ita Ioannes finis fuit Legis, & initium Euangelij*. Et ideo meritò ait Propheta; poſt Ioannem ſtatim veniet Chriſtus. *Ad Templum ſuum*: ſi ſuum Templum: Deus ille eſt: quia Templum non quidem hominis, ſed Dei eſt. Erubeſcant ergo Hebræi, & perfidi Arriani, qui per ſummam impudentiam diuinitatem Filii Dei negant. Igitur poſt natiuitatem Ioannis, Chriſtus ex Beatiſſima Virgine MARIA natus eſt, & fuit præſentatus in Templo; & inter ſenioris Prophetæ Simeonis amplexus dulciter acceptus, qui ſummo exultantis animi gaudio, diuino afflatus Numine ſuauiter exclamauit: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, &c.*

121. Myſticè etiam Doctores noſtri maximè D. Auguſt. de Ciuitate lib. 18. cap. 35. Templum interpretatur

pro Sacrosancta humanitate; quę etiam dicitur Templum iuxta illud Ioann. 2. num. 19. *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Et sine dubio, vt notauit Euangelista, de Templo corporis sui Dominus loquebatur. Ad hoc igitur templum humanitatis, post conceptionem Baptistæ, venit Verbum per incarnationem in sacro Beatissimæ Virginis vtero. Vnde etiam aliqui cum D. Cyrillo accipiunt templum pro Sanctissima Virgine MARIA, ex qua Sancti Spiritus virtute absque vllo viri consortio carnem assumpsit, iuxta illud: *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Ad hoc igitur templum admirabile Dei venit Verbum, & qui ab æterno erat filius Dei Patris sine Matre, Deus factus est tempore filius Virginis Matris sine Patre. *Ad templum suum Dominator*, id est, Christus omnium Dominus, *quem vos*, ò Hebræi, *quæritis*, dicendo, *emitte Domine Agnum Dominatorem terræ. Et Angelus testamenti*. Malachias duos hîc proponit, & promittit Angelos, vnum nudum, alterum testamenti, priorem scilicet præcursorem, & indicem posterioris: prior est Baptista, posterior Christus; & statim, inquit Propheta, post priorem Angelum, puta post Ioannem Baptistam, veniet ad templum suum Angelus testamenti, id est, pacti, siue fæderis, vt vertit Syrus.

122. Porrò cum duplex sit fædus Dei, vetus, siue Iudaicum: & nouum, siue Christianum; Christus vtriusque fuit Angelus, siue Legatus: Christus enim à Patre missus apparuit Moysi in Sina: per eumque vetus fædus cum Iudęis iniit, quo eis promisit se venturum in carne ad eorum, totiusque mundi redemptionem: Christus enim fuit Angelus in veteri fædere promissus Abrahæ, & semini eius, ac præsertim Moysi: vnde S. Paulus ad Galat. 3. num. 19. ait legem veterem datam in manu, id est, per manum Mediatoris, id est, Christi sub persona Moysis: solus enim Christus est mediator inter Deum, & hominem. Et ideo Isai. 52. num. 6. ait: *Ego, qui loquebar, adsum*. Id est, adsum iam factus homo, qui loquebar vobis, vt Deus. Igitur Christus

fuit

fuit Angelus noui teſtamenti, & fœderis. 1. quia mediator pacis inter homines, & Deum, iuxta Iſai.9.n.6. Chriſtus appellatur *Princeps pacis*, & iuxta Apoſtolum ad Epheſ.2. n.14. vbi appellatur *Pax noſtra*. Et ad Coloſſ. 2.n.14. *Donans vobis omnia delicta: delens, quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*. 2. quia verè nouum fœdus vetere Moſaico abolito, inter Deum, & homines perpetuò iniuit; quo Deus ſe obligat Chriſtianis ad dandam gratiam, & gloriam æternam; Chriſtiani verò ſe obligant viciſſim Deo, quòd eius filio IESV Chriſto credent, obedientque, & eius legem, & doctrinam capeſſent. 3. quia teſtamentum ſimpliciter illud eſt, quod eſt vltimum, & morte firmatum, & irreuocabile, & perpetuum, & ſic fuit Chriſti Domini teſtamentum nouum, id eſt, vltimum morte ſua firmatum, perpetuum, & irreuocabile, iuxta illud ad Cor.11. num.25. *Hic Calix nouum teſtamentum eſt in meo Sanguine*. Et Math.25.n.26. *Hic eſt Sanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Et Marc. 14. n.22. & Luc.22. n. 20. Vnde Euangelium eſt nouum teſtamentum, quod ſanguine, id eſt, morte firmatum eſt, & redditum perpetuum, & irreuocabile; primum verò, antiquumuè teſtamentum, fuit, vt dicunt, deambulatorium vſque ad mortem, ideoq; per vltimum teſtamentum morte firmatum reuocatum fuit. Atque adeò Angelus teſtamenti, idem eſt, atque Nuncius Euangelij, quod Chriſtus nunciauit 1. immediatè per ſe. 2. mediatè per Apoſtolos in vniuerſum mundum: iuxta illud Marci cap. 16. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, id eſt, omnibus hominibus; quod quidem ita effectum eſt, iuxta illud: *Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum.*

123. *Angelus, &c. quem vos vultis.* Arabicus legit, *quem vos deſideratis*. Quaſi diceret: Iſte eſt, ò Hebræi, Meſſias, quem vos vultis, ac ſummopere deſideratis. Chriſtus enim quaſi malorum omnium depulſor, & bonorum omnium

addu-

adductor per quatuor annorum millia fuit maximè desideratus: vnde à Iacob Patriarcha vocatur *desiderium collium æternorum*. Genes.49.n.26.& ab Aggæo cap.2.n.8. *Desideratus cunctis gentibus*, prout supra vidimus. Hinc illa Prophetarum, Sanctorumque Patrum suspiria: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes*. Isai.64.n.1.& illud: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Isa.45.nu.8. Idem erga Christum desiderium habuit Propheta Simeon, Prophetissa Anna,& alij fideles, iuxta illud Lucæ 2. nu.38. *Loquebatur de eo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*.

124. *Ecce venit*, id est, primus eius aduentus non multum tardabit: *Et quis stabit ad videndum eum?* id est, quis illum videns mirabilia operantem, verba vitæ æternæ proferentem, mortuos suscitantem, infirmos sanantem, cæcos illuminantem, turbas famelicas mirabiliter pascentem, & satiantem, & alia prodigia nunquam antea, nec audita patrantem, quis inquam stabit, & genuflectens non illum adoret? Adorabunt Magi: *Procidentes adorauerunt eum*; in quibus Reges terræ præsignabantur, iuxta illud: *Adorabunt eum omnes Reges terræ*. Psal.71. Adorabunt pastores, in quibus Episcopi repræsentabantur; qui illum toto orbe gregem eius pascentes summa veneratione colunt, genuq; flectentes adorant: adorabit cæcus visui restitutus, *& procidens adorauit eum*. Ioan. 9. in quo repræsentabatur cæca Gentilitas ab Euangelio illuminata, iuxta illud: *Omnes gentes seruient ei*. Psal.ibid. Adorabunt illum omnes creaturæ tam cælestes, quàm terrenæ, quàm infernales, iuxta illud Pauli Phil.2.nu.10. *Vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & Infernorum*. *Quis stabit*, illum videndo in Thabore cælesti splendore fulgentem, & ad illius conspectum non cadat reuerenter? ceciderunt Apostoli, iuxta illud Matth. cap. 17. *Ceciderunt in faciem suam*. *Quis stabit*, illum videndo etiam dum se morti offeret in horto Gethsemanitico, dicens: *Ego sum*; & nō cadat? Ceciderunr armati hostes, iuxta illud Ioannis cap.18. nu.6.

Vt

Vt ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Quis ſtabit, dum illum videbit in reſurrectione glorioſum?& ſe ad illius pedes non proijciet?Se proiecerunt Milites ſepulchrum cuſtodientes,Mulieres illum reſurgentem intuentes, Thomas pulcherrimas illius plagas inſpiciens, iuxta illud Matth.28. n.4. *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Et nu.9. *Et ecce IESVS occurrit illis, dicens: Auete:illæ autem acceſſerunt, & tenuere pedes eius.* Et Ioan.20. n. 27. *Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, &c. & reſpondit Thomas: Dominus meus, & Deus meus. Quis ſtabit*, illum videndo in cœlum glorioſè aſcendere; & non cadat illum adorans? Ceciderunt adorantes Apoſtoli,& diſcipuli,dum illum vident aſcendentem in cœlum. Lucæ cap.24. nu.53. *Et factum eſt,dum benediceret illis,receſſit ab eis,& ferebatur in cœlum; & ipſi adorantes regreſſi ſunt in Ieruſalem.*

125. *Ipſe enim quaſi ignis conflans.* Propheta hîc comparat Angelum teſtamenti, id eſt, Nuntium, ſeu Legatum Euangelij Chriſtum igni fornacis ardentiſſimæ; quo conflantur metalla,vt aurum, argentum,ferrum, ſtannum,vt ſignificet ignitam, & ardentem Chriſti fore doctrinam, legem, & gratiam,plenam, ſcil.charitatis, fidei, & ſpei, aliarumque virtutum. 1. quia ſicut in fornace liquatur aurum; ita Chriſtus charitatis igne corda emollijt. 2. quia ſicut ignis liquefaciens aurum, ab eo diſgregat alia metalla, & ſcoriam; ita Chriſtus ſeparauit gentes ſacro ſuo Euangelio tanquam cæleſti igne ab idololatria; & ſeparat animas à vitijs, & affectionibus terrenis. 3. quia ſicut hac ſeparatione aurum purificatur, perficitur, & ſplendeſcit;ita pariter animæ fidelium gratiâ legis Euangelicæ purificantur, perficiuntur, magiſque ſplendeſcunt. 4. ſicut vi ignis aurum, & ferrum igneſcit, vt videatur in ignem transformari; ita quoque animæ Chriſti ignito amore videantur in ipſum Chriſtum Deum quodammodò transformari,vt ſuo modo videantur vnum cum Chriſto,ſicut Chriſtus eſt vnum cum Patre iuxta illud Ioannis cap. 17. n.11. *Vt ſint*

vnum,

vnum, ſicut & nos: maximè verò per ardentiſſimum amoris ignem ex Sacra Euchariſtia, iuxta illud Ioannis 6. n.58. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me*; id eſt, ſicut ego viuo vitâ Patris; ita qui ritè manducat me, ſuo modo meâ vitâ viuet; in me quodammodo transformatus. Hoc ipſum dixerat Iſaias cap.4.n.3. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, &c. in ſpiritu iudicij, & in ſpiritu ardoris*, id eſt, abſoluendo à peccatis per iudicium Sacramentale pœnitentiæ, & per actum ſupernaturalem charitatis, vt diſpoſitionis proximæ ad gratiam ſanctificantem. Filiarum Sion, id eſt, animarum, quæ per baptiſmum iam ſunt filiæ Eccleſiæ nouæ Sion. De eodem igni loquitur Lucas c.3. n.16. *Ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni*. Et idem cap.12. nu.49. Vbi Chriſtus ſic loquitur: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur?* De eodem igne loquitur Dauid Pſal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. 5. deniq; ſicut igne artifices metalla formant in vaſa ad varia miniſteria; ita Chriſtus igne gratiæ Euangelicæ varia formauit ſpiritualia vaſa ad ſpiritualia miniſteria, quoſdam Apoſtolos, alios Euangeliſtas, Doctores, Prophetas, Martyres ſecundùm eundem ſpiritum, iuxta Apoſtolum ad Cor.1.cap.12.n.4. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt: idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus*.

126. *Et quaſi herba fullonum*, id eſt, herba quædam in Palæſtina frequens; qua vtuntur fullones, id eſt, lauantes, ad abſtergendas maculas, & ſordes pannorum: per quod denotat Meſſiam emundaturum animas à ſordibus peccatorum; quod Chriſtus fecit per Sacramenta baptiſmi, & pœnitentiæ, quæ ipſe inſtituit ad remittenda peccata, iuxta illud: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Ioann. 20.n.23. *Et ſedebit conflans, & emundans argentum*; id eſt, Meſſias Chriſtus, poſtquam Regnum ſeu fidelium congregationem formauerit per baptiſmum, ſedebit per ſuos Miniſtros Sacerdotes in ſede, ſeu tribunali ſacramentalis iudi-

iudicij pœnitentiæ conflans, ſeu formans ſpiritualiter igne contritionis, & emundans, ſeu abſoluens à peccatis argentum, id eſt, fideles baptizatos, qui per fidem argentum meritò dici poſſunt.

127. *Et purgabit filios Leui*; id eſt, faciet clericos puros, & ſanctitate conſpicuos, *& plùs* perfectos, quàm laicos; *& colabit eos*, id eſt, à cæteris ſegregabit, tanquam purum aurum. *Et erunt Domino offerentes*, id eſt, ex his clericis, ſeu Leuitis, putà Diaconis ordinabuntur Sacerdotes, offerentes ſacrificia in iuſtitia, id eſt, celebrantes ſacrificium Miſſæ, in iuſtitia, id eſt, celebrando non cum peccato, ſed priùs ſe diſponendo, ſi in peccato ſint, per confeſſionem; *& placebit Domino ſacrificium Iudæ*; Id eſt, Miſſa celebrata à Sacerdote ritè per gratiam diſpoſito placebit Deo, ſacrificium Iudæ, & Ieruſalem, ſcil. nouæ, quæ eſt Eccleſia Chriſti de Tribu Iudæ; in qua tantùm ſacrificium Iudæ, id eſt, Corporis, & Sanguinis Chriſti peragetur. Iudæ, id eſt, confitentis priùs peccata ſua, ſi illa habeat, vt ad ſacrificium accedat iuſtificatus: Iudas enim ſignificat bonam confeſſionem. *Sicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui*. Id eſt, ſicut in diebus antiquis placebat Domino ſacrificium Abelis, Noe, Abrahami, Melchiſedech, aliorumque veterum, illuſtriumque Sanctorum; ita multò magis placebit Domino hoc ſacrificium immaculati Agni Chriſti: illùd enim ſacrificium erat vmbra, figuraque iſtius: imò Deus per antiquum illud, quod Sancti illi PP. offerebant, ſacrificium, tanquam per typum noui iſtius ſacrificij gentes benedicebat; & multò magis Eccleſiam ſuam per antitypum, & figuratum ſanctificat.

128. *Et accedam ad vos in iudicio*; ego veniam ad vos, vt iudex, ad iudicandum, non ſicut alij iudices, qui ſunt puri homines, & indigent teſtibus, qui ſæpe ſunt mendaces, & difficilè inueniuntur; ideoque tardè, & falſa euadit ſententia: ego autem, qui licèt homo ſim, ſum etiam Deus, cui omnia ſunt manifeſta, & ideo ſum non ſolùm Iudex, ſed teſtis velox; & non egeo morâ temporis, ad percipien-

dam veritatem; condemnabo itaque maleficos, adulteros, periuros, calumniatores, defraudantes mercenarios, & similes peccatores. Vnde Chaldæus vertit: *Et reuelabor super vos vt faciam iudicium, & erit verbum meum contra vos in testem*. Postquam Propheta in persona Christi loquutus fuit de iudicio sacramentali per Sacerdotes in Ecclesia sub primo aduentu Christi, transit ad iudicium finale in secundo aduentu; quando Christus iudicabit, vt testis oculatus; quia omnia peccata hominum viderat, vt Deus per scientiam diuinam, vt beatus per visionem beatam, per quam videt omnia, vt illa perfectè, & æquissimè iudicet, sine vllo adminiculo extranei testimonij: & ideo rei negare non poterunt, scientes bene Christum omnia vidisse, & nihil eum latuisse. Ex his clarissimè patet Prophetam loqui de Messia; & cùm ibi etiam dicat illum venire debere, quando adhuc existet Templum secundum, vt supra manet ostensum, & hoc Templum secundum à plùs 1600.annis iam non existit, vt omnes sciunt, & Iudæi ipsi non negant; sequitur manifestè Messiam à plùs 1600. annis iam venisse, vel prophetiam fuisse falsam; quod Iudæi non dicent. Sed Christus IESVS tempore illo venit, & de illo verificata sunt omnia, quæ de Messia hic, & alij Prophetæ dixerunt, vt constat clarissimè ex dictis: ergo Christus IESVS est verus Messias, qui iam venit.

129. Vt autem apertiùs, manifestiusq; appareat Messiam venire debere tempore secundi templi, lege Prophetam Ieremiam cap. 29. num.10. Vbi Propheta in persona Dei dicit transactis 70.annis illos esse redituros in Ierusalem, & templum secundum esse ædificandum iuxta diuinam promissionem: *Quia hæc dicit Dominus: Cùm cæperint impleri in Babylone 70.anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum*, id est, in Ierusalem. Et cap.30.num.18.ita ait: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor, & ædificabitur Ciuitas in excelso suo: & Templum iuxta ordinem suum fundabitur*. Et infra

fra num.21. *Et erit Dux eius ex eo, & Princeps de medio eius producetur; & applicabo eum, & accedet ad me: quis enim iste est, qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi, ait Dominus.* Id est, vos reducam à captiuitate Babylonis, & ædificabitur Templum: & dux istius ex vobis erit, id est, ex vestra natione: & ita productus erit in terra, vt nullus vir illum generet; sed ego ipse applicabo eum, & accedet ad me, id est, vnietur per supernaturale vinculum diuinitati meæ, vt & maneat homo natus ex Matre Virgine, & Deus ex me Patre natus; & solus iste erit Deus homo, & Messias; quis enim est alius, qui sic humanitatem habeat vnitam Diuinitati? Et hoc ipsum dicit cap.33. n.14. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & suscitabo verbum bonum,* id est, promissionem illam factam in cap. 29. reducendi illos à Babylone in Ierusalem, & ædificandi secundum templum: & subiungit: *& in diebus illis, & in tempore illo,* id est, in tempore secundi templi sic ædificati: *Germinare faciam Dauid germen iustitiæ;* id est, Messiam filium Dauid: *& faciet iudicium, & iustitiam in terra:* id est, faciet, vt pro peccato Deo perfectè, & abundanter satisfiat; quia eius satisfactio, vtpote à persona Diuina infinita, est valoris infiniti, vt exæquet offensam Deo infinito ab hominibus factam.

130. Ex quibus prophetijs manifestè constat Messiam venturum post liberationem à captiuitate Babylonis, & tempore templi secundi ædificati: ait enim: *In diebus illis, & in tempore illo;* venturum Messiam: *Germinare faciam, &c.* Et post aduentum eius prædicto tempore, incipit Propheta prædicere successum Ecclesiæ Christi, scil. illum appellandum esse Dominum iustum nostrum cap.33.nu.16. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.* Deinde ex illo tempore non defecturos Sacerdotes, & Diaconos; qui ei offerant hostias, vsque ad finem mundi n.17. *Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum Domus Israel,* id est, super solium Ecclesiæ Regni Christi æterni: *Et de Sacerdotibus, & Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificium, & cædat*

victimas omnibus diebus. Et hoc in perpetuum, dum nox durauerit, & dies; vt ait ibi n.20. quod non potest intelligi de Regno temporali Iudæ, quod à plùs mille, & sexcentis annis iam non est, nec de sacrificijs sub ritu Mosaico, quæ ab eo tempore cessarunt, vt omnes vident: ergo intelligitur de Regno spirituali Christi, id est, Ecclesia; quæ ab eo tempore durat, & in æternum durabit, & de sacrificio immaculati Agni Christi; qui omnibus diebus sacrificatur; & vsque ad finem mundi sacrificabitur. Igitur ex his prophetijs conuicti omnino remanent Hebræi Messiam iam venisse, & esse Christum IESVM Saluatorem nostrum. Quòd verò in his prophetijs sermo sit de Messia, intelligunt etiam ipsi Hebræi, vt videre potes in Targum, seu in illorum Paraphrasi Chaldaica in expositione illarum prophetiarum: vnde fit contra illos hoc irrefragabile argumentum. Hebræi dicunt illas prophetias apertè loqui de Messia; prophetiæ illæ apertè dicunt Messiam venturum esse eo tempore illius Templi secundi, quod iam non est: ergo eo tempore venit: & stolidè ab illis expectatur venturus: imò si aliquis extra illud tempus veniret, eo ipso Messias non esset.

131. Ex his refellitur somnium, seu fabula quorundam Rabbinorum asserentium in lib. Tobar in glossa maiori folio 139.col.2. in expositione cap. 25. Genes. Messiam venturum esse in anno 5368. secundùm illorum numerandi rationem; & post 40. annos futuram esse vniuersalem mortuorum resurrectionem: refellitur, inquam, hæc fabula. 1. quia in nullo Sacræ Scripturæ textu fundatur, sed à sola vana illorum hominum cogitatione confingitur. 2. quia Prophetæ clarissimè ponunt tempus aduentûs Messiæ, vt ex dictis constat, & ex dicendis constabit. 3. quia iam tempus illud pro vniuersali mortuorum resurrectione ab eis assignatum ab hinc 40. annis transactum est; & resurrectio mortuorum nondum venit; & à fortiori secundùm illos iam tempus Messiæ est præteritum, & tamen adhuc vanissima sua, falsaque apprehensione illum expectant.

ctant. Hos cæcos Hebræos illuminet Christus, qui iam venit, & manifestissimis signis, clarissimis prophetijs per omnes Prophetas prædictis, & nullo deficiente apice iam plenissimè verificatis sese manifestauit; vt hucusque probatum est; & tamen illum adhuc expectant futurum; vt etiam illa iam supra narrata prophetia verificetur: *Expectabitis me, & ego expectabo vos*: Deus quidem summâ misericordiâ, illi summa obstinatione. Faxit Deus, vt ipsi velamen ab oculis amoueant, cæcitatem deponant, & conuertantur, Saluatoremque suum agnoscant, & saluentur.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Proponitur decimaquinta probatio pro aduentu Messiæ contra perfidos Hebræos.

132. DEcimaquinta probatio desumitur ex detrimento, præfixoque tempore, quod Deus reuelauit per suos Prophetas pro aduentu Messiæ, ne homines per errorem falsum pro vero acciperent. Igitur Deus videns vehementissimum, ardentissimumque desiderium aduentûs Messiæ, quo Daniel flagrabat, ideoque illum appellauit virum desideriorum, ita illi locutus est cap. 9. n. 22. *Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte. Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in an-*

gustia

gustia temporum: & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium. Et erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.

133. Ex hac prophetia clarissimè patet Deum determinasse tempus fixum aduentûs Messiæ, dicendo: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt*, id est, terminatæ; & finitæ, ita explicant Authores, quos apud me habeo: q. d. breuis est terminus, seu breui spectati dies aderunt, & videri possunt apud Cornelium in hunc locum v. 24. ex radice Hebraica necthach. Fabian Toghi. c. 9. fol. 501. *Vt veniat iustitia sempiterna*, id est, illa lex Gratiæ, quæ durabit in æternum, id est, non reuocabitur, sicut reuocata est lex scripta Cæremonialis; *& ungatur Messias Sanctus Sanctorum, &c.* Dicit ergo, quòd intra tempus illarum hebdomadum; quarum quælibet 7. annos complectitur; & faciunt annos 490. venturus esset Messias, & occidendus; finitis 69. hebdomadis ex illis 70. hebdomadis; quæ 69. faciunt numerum 483. annorũ, vt infra demonstrabitur; post quod tempus Christus fuit occisus, qui anni scil. 483. iam erant finiti, quando Christus Saluator noster crucifixus est: qui est Sanctus Sanctorum; promulgauit legem iustitiæ, seu gratiæ perpetuò duraturæ; extinxit peccatum morte sua: & finis factus est visionum, & prophetiarum, quæ de illo erant factæ: deinde iam non est populus eius, populus, qui illum non confitetur, & illum negat: non est populus Dei, sed diaboli, & Synagoga Satanæ; vt sunt obstinati Hebræi, cæterique infideles Christum negantes. Præterea confirmauit pactum, id est, fædus, seu testamentum, tum quando dixit: *Hic est Calix Sanguinis mei noui, & æterni testamenti*; tum quando dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*; tum, quan-

quando dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: tum quando misit Apostolos in vniuersum mundum prædicare Euangelium, dicens: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; tum quando in cœlum ascendens benedixit suis Apostolis, & discipulis; & in eis toti suæ Ecclesiæ Luc. 24. nu. 51. *Et factum est, dum benediceret eis, ferebatur in cœlum*; tum quando promissum Spiritum Sanctum 10. dies post Ascensionem mirabilem linguas inter igneas in die Pentecostes super Ecclesiam suam è cœlo misit: id denotant verba: *Confirmabit autem pactum multis.* Quia per hæc omnia satisfecit pacto inito cum Abrahã se venturum ad saluandas gentes hebdomadâ vnâ, id est, tres annos, & dimidium, quibus Christus prædicauit; & alium dimidiũ post eius mortem, & resurrectionem, cum promulgatum Euangelium per Apostolos. Tandem fuit deuastata Ierusalem, Templi Sanctuarium destructum à populo Romano, sub Duce suo Tito, vt dixit prophetia: *Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo*. Item eius desolatio à tempore illo vsque ad nostros dies, transactis iam plùs 1600. annis perseuerat, & perseuerabit vsque ad finem mundi, vt dicit Propheta. Defecit item à tempore illo hostia, & sacrificium: quippe Agnus ille, qui à Iudæis sacrificabatur, iam non sacrificatur; neq; ab illis potest sacrificari, lege id prohibente fieri extra Ierusalem: & sic verificatur prophetia. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*: quia finitis tribus annis, & medio anno; quod vnius hebdomadæ ex annis 7. constantis dimidium est, in quo tempore Christus crucifixus est; tunc defecit hostia in significato; & ideo velum Templi scissum est, & cessarunt antiqui sacrificij signa, vt ex hoc lib. 4. cap. 7. n. 67. latè constat. Ex his igitur sic manifestissimè in Christo IESV omnino verificatis euidentissimè patet Messiam iam venisse, esseque Salvatorem nostrum IESVM Christum: imò illum negando monstrant Hebræi illum esse verum Messiam; & ipsos non esse populum eius;

eius; vt dicit Propheta: *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est*. Vnde in ipsa sua negatione affirmant; & in ipsa sua reprobatione approbant.

134. Restat nunc Hebræorum dubijs contra hanc prophetiam sic expositam in vero, & germano sensu respondere, & plenissimè satisfacere; si velint ipsi sincero animo veritatem percipere. Opponunt 1. prophetias esse intellectu difficiles, & ideo nullus potest ex illis quidquam certò colligere. Vana quidem est hæc obiectio Iudæorum, & cùm videant seipsos esse conuictos, confugiunt ad hanc solutionem dicendo Deum nolle, vt nos illas prophetias intelligamus; & non aduertunt, quòd quando Deus non vult aliquam veritatem ob aliquam specialem causam palam facere, illam sub obscuris terminis inuoluit; vt quando multa Danieli reuelauit circa secundum suum aduentum; at verò circa primum suum aduentum, cùm possent homines decipi, acceptando falsum Messiam pro vero, dedit clarissima signa, vt homines illum cognoscerent, & intelligerent: & ideo Angelus dixit Danieli se fuisse egressum, vt doceret illum, & vt ipse intelligeret: *Egressus sum, vt docerem te, & intelligeres*. Volebat igitur Deus, vt intelligeretur prophetia. Verum quidem est, quòd Deus ita sub obscuris verbis aliquando mysteria loquutus sit, vt non pateant cuicunque, & maneant occulta non omnibus, sed solis obstinatis, quales sunt Hebræi duræ ceruicis, de quibus Deus dixit per Moysen Deuteron. c. 32. prout vidimus supra c. 7. *Abscondam faciem meam ab eis*: id est, ipsi me non cognoscent: *Generatio enim peruersa est, & infideles filij*, id est, infidelitas, & peruersitas eorum causa est meæ auersionis ab eis; credant ipsi, & intelligent; accedant fide, & illuminabuntur intelligentiâ.

135. Opponunt 2. cum Rabbi Abram: illa vox Iccaret, quam nostra Vulgata exponit, *occidetur*, significat *Deficere*, vel *abscindere*, & non, *occidetur*: ergo Propheta ibi non locutus fuit de occisione Christi, proindeque corruit nostra expositio. Resp. illam vocem, *occidetur*, passiuæ significationis

tionis esse: vnde si significaret idem, atque *deficere*; in textu poneretur aliqua particula, siue præpositio; per quam faceret sensum; v.gr. poneretur sic. *Deficiet à populo, vel in casu datiuo, deficiet populo*; sicut quando statim voluit significare populum non esse ampliùs futurum, vt aliquem sensum faceret, posuit particulam *eius*, vel iuxta aliam versionem, ei, siue, illi, sic: *Non erit eius populus, qui eum negaturus est*. Concluditur igitur vocem illam Hebraicam Iccaret non habere aliam significationem, quàm illam, quę est in nostra Vulgata, scil. *occidetur:* & sic legunt antiquiores, doctioresque Rabbini; & omnes Sacræ Scripturæ versiones; quibus plùs est fides adhibenda, quàm vni Rabbino obstinato in sua falsa imaginatione fugiendo à luce veritatis ad latebras, & ad obscuram suæ prauæ cogitationis vmbram: & est conformis hæc de Christi occisione prophetia illi alteri prophetiæ Isaiæ cap. 53. quæ prædicit Messiam interficiendum; vt ex illius morte nos omnes vitam haberemus; & hoc ipsum volens, nolens Pontifex Caiphas vt formaliter Pontifex, & tanquam ex Cathedra definiuit; dicens: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat*: Ioan. 11. n. 49. Et notauit ibi Euangelista, illum, cùm esset Pontifex, ex Numinis oraculo fuisse loquutum: *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd IESVS moriturus erat pro gente; & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Imò quamuis verbum Iccaret in prima sui institutione abscindere significet; frequentiùs tamen in scriptura pro occidere sumitur, vtpote ex Genes. 9. Ezechiel. 21. in quibus locis ponitur verbum Iccareth pro *occidere*, vt videre est apud Galati. lib. 4. pag. 133. lit. K.

136. Opponunt 3. Rabbini multi non intelligunt illam prophetiam de Christo: nam Rabbi Abram ben Esdra dicit Prophetam loqui de Neemia. Rabbi Leui ben Gherison ait loqui de Iosue summo Pontifice; alij asserunt loqui de Zorobabel. Rabbi Salomon ait loqui de Agrippa, qui, inquit, fuit occisus à Tito. Omnes istæ interpretatio-

nes sunt falsæ, & contra sensum Prophetæ: nam Propheta dicit hunc Messiam à Iudæis occidendum illum esse, qui peccata hominum remittet: solus autem Deus, qualis est Messias, potest peccata remittere; non autem homines illi, qui sunt puri homines, & indigebant, quòd Deus illis peccata remitteret.

137. Insulsiùs quidem alius Rabbinus apud Finum in hunc locum, loco verbi, *occidetur Christus*, legit; *abscindetur*; quia, inquit, Christus à Synagoga eijcietur, & excommunicabitur. Hic Rabbinus perperam legit sacrum textum; cùm tamen clarè loquatur de occisione; & ideo Rabbi Ozeas apud Galat. lib. 4. c. 18. flens dicebat: *Væ illis, væ illis, væ illis iniquis, & impijs homicidis Israel, ob quorum amorem, vt peccatum eis dimittat Deus, mittet Filium sanctum suum, & carnem humanam induet: væ illis, quia propter prauas suas actiones, rebelles erunt huic Messiæ, nec respicient dicta, quibus imperabit, vt mundentur aquâ mundationis ad expianda peccata sua: nec incedent in vijs Deo gratis: nec facient eius voluntatem: sed ingenti iracundia perciti illum occident*. Hactenus Rabbi Ozeas. Sic interpretabantur scripturas Rabbini ante aduentum Christi Saluatoris nostri, quia sincero animo legebant prophetias: at post Christi aduentum mendaces Rabbini, quia vident se conuictos prophetijs ad vnguem in Christo verificatis, illas nolunt legere studio assequendæ veritatis, sed adhibent solutiones stultas, vanas, & Prophetarum sensui omnino repugnantes, vt decipiant ignorantes, rudesque Hebræos, & cum illis ad infernum damnati, diabolo instigante, detrudantur: & ideo Rabbinus ille Ozeas, meritò ter illis dicit: *Væ illis, væ illis, væ illis, &c.*

138. Opponunt 4. Propheta hìc loquitur de Christo, id est, vncto: sed Christus IESVS vnctus non fuit: Siquidem non legitur illum fuisse vnctum; imò si venturus erat tempore secundi Templi; in quo iam vnctionis oleum non erat; vnctus esse non poterat: ergo Propheta non potest loqui de Christo IESV. Hoc argumentum ferit ipsos Hebræos,

bræos, qui dicebant ſuprà Ioſue Sacerdotem, vel Zorobabel, vel Agrippam eſſe illum Chriſtum, de quo Propheta loquitur; tamen omnes illi non poterant eſſe vncti, quia venerunt tempore ſecundi Templi, in quo iam oleum ad vngendum non ſeruabatur: cur ergo nunc vtuntur hoc argumento contra Chriſtianos? Reſpondeo igitur directè ad hoc vanum argumentũ; Chriſtum non dici Chriſtum, & vnctum, quia vnctus fuiſſet oleo illo materiali, quod quidem iam non erat in ſecundo Templo, in quod Chriſtus IESVS venit; prout ſupra probatum eſt: ſed quia fuit vnctus oleo lætitiæ gratiæ tam increatæ diuinitatis, quàm gratiæ habitualis creatæ; ſiquidem eſt ſimul Deus, & homo: & de hac vnctione loquuti ſunt Prophetæ; vt conſtat ex Pſal.44.n.8. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus*: & in hac vnctione cæteros omnes iuſtos antecelluit; quia nullus præter illum habuit vnionem hypoſtaticam ad Perſonalitatem diuinam, & nullus tantum cumulum gratiæ iuſtificantis; cùm omnes gratiam ſuam habuerint ex illius gratia; & ideo dicitur à Prophetis *Sanctus Sanctorum*. Et Meſſiam non ab hominibus vnctione materiali, ſed à Deo vnctione ſpirituali vngi debere Prophetæ dicunt, vt dicit citatus Dauid: *Vnxit te Deus oleo lætitiæ*. Et Iſ. cap.61.n.1. *Spiritus Domini ſuper me; eo quòd vnxerit Dominus me; ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde; & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, &c.* Quæ omnia verificata ſunt in Chriſto IESV: qui primò prædicauit Regnum Dei in Iudæa, ſicut mandatum habebat à Patre; & poſtea per ſuos Apoſtolos, ac diſcipulos prædicauit in vniuerſo mundo: liberando vinctos à captiuitate diaboli, carceris portas aperiendo, peccata remittendo: & ſatisfaciendo plenè Deo pro peccatis hominum, portas cœli aperiendo per peccatum clauſas; & claudendo portas Inferorum per peccatum apertas. De hac igitur vnctione Prophetæ loquebantur, &

non de materiali,quæ tantùm erat figura,& vmbra vnctionis, quam Christus habiturus erat.

139. Opponunt 5. Non potest intelligi,ex quibus constent illæ hebdomades: ergo non potest quidquam certò colligi de tempore aduentûs Messiæ, proindeque Iudæi adhuc possunt illum expectare futurum. Resp. Rabbinos istos directè opponi sacro textui: siquidem in textu dicitur Angelum egressum fuisse, vt Danielem doceret de tempore aduentûs Messiæ; & vt ipse Propheta id intelligeret; docere autem illum debuerat per signa intelligibilia; quomodo enim poterat Propheta intelligere, si Angelus ei loqueretur non intelligibilia? Ergo dum Rabbini dicunt verba Angeli non esse intelligibilia; sacro textui omnino opponuntur. Vt autem intelligas verum sensum prophetiæ, aduerte diligenter, hebdomadas illas 70. posse ita considerari; vt quælibet hebdomada contineat vel 7. dies, vel 7. menses, vel 7.annos, vel 7.Iubilæos, vel 7.sæcula, vel 7.mille annos. Et in primis, hebdomada non potest hîc sumi, vt significet 7.mille annos: quia, cùm ipsi Rabbini dicant, prout supra vidimus, mundum à sui prima creatione solùm esse duraturum 6000. annos: 2000. sub lege naturali, 2000. sub lege scripta, 2000. sub lege gratiæ in diebus Messiæ; quælibet hebdomada duraret plùs, quàm ipse mundus, mille annis; & multiplicatis 7000. per 70. fieret numerus 49000.annorum,& sic expectaretur Messias venturus in mundum 43000. annos post finitum mundum, quod est ridiculum,& per se implicatorium. Similiter non potest septimana sumi pro septem Iubilæis; cùm enim Iubilæus habeat 50. annos, quælibet septimana haberet 350.qui multiplicati per 70. faciunt numerum longè maiorem, quàm numerus annorum mundi; & à fortiori, si vna septimana contineat septem sæcula, id est, 700.annos; quare euidens est non posse sumi septimanā per 7000. annos, per 7.Iubilæos, per 7.sæcula. Et deinde probatur; quia in nullo textu Scripturæ Sacræ septimana sumitur per eos numeros, vt mox videbimus: Angelus verò volebat

expli-

explicare ſeptimanas ſecundùm vſitatum modum,& phraſim ſcripturæ, aliter,non diceret ſe velle illum Prophetam docere, vt ipſe intelligeret tempus aduentûs Meſſiæ. Similiter non poteſt ſumi ſeptimana per 7. menſes. 1. quia in Sacra Scriptura nunquam per ſeptem menſes ſumitur: 2. quia ſumpta vt ſic, prophetia Danielis ſecum in multis,vt mox patebit, pugnaret.

140. Reſtat ergo vt ſeptimana debeat ſumi, vel per ſeptem dies, vel per 7.annos. Ratio eſt,quia aliquando ſeptimana ſumitur per ſeptem dies, vt conſtat ex Geneſi: nec hoc vlla indiget probatione; cùm de hoc nullus dubitet. Hæc tamen prophetia, vt manifeſtum eſt, non poteſt intelligi de ſeptimanis 7. dierum; quia pugnaret cum alijs, quæ ibi Propheta dicit; vt mox videbimus. Aliquando autem ſumitur in ſcriptura ſeptimana per 7. annos: hoc manifeſtè conſtat ex multis locis Sacræ Scripturæ 1. ex cap.25.Leuitici nu. 8. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum*, id eſt, *ſepties ſeptem; quæ ſimul faciunt annos* 49. *Sanctificabiſque annum quinquageſimum: & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe eſt enim Iubilæus*. Vbi clarè vides in ſcriptura illa 7. annos vocari vnam hebdomadam annorum. 2.ex Geneſis 29.Vbi dicitur, quando Iacob ſeruiuit Laban 7. annis pro Rachel; & conquerens Iacob, quòd Laban illi dederit Liam lippis oculis deformem pro Rachel ſpecioſa nimis; & cùm ad hanc querelam reſpondiſſet Laban non eſſe, ſcilicet,moris illius regionis tradere nuptijs puellam ætate minorem priùs, quàm maiorem, qualis erat Lia: ſuaſit, vt hac vteretur vnâ hebdomadâ ſeruiendo iterum illi 7. illos annos, & poſt illam hebdomadam illi traderetur Rachel. Et ait textus n.28. *Acquieuit placidè* (Iacob) & tranſactâ hebdomadâ, Rachel duxit vxorem. Vbi vides 7. annos vocari vnam hebdomadam ab ſcriptura. Quòd verò 7. anni dicantur vna hebdomada, habetur expreſsè in Thalmud in tractatu Sanhedrin capite Chelec, vbi fit mentio ſeptimanæ, in qua veniet Meſſias; & poſtea diſtinguens dicit ſe lo-

qui

qui de septimana complectente 7.annos. Item Rabbi Sahadia exponendo hebdomadas Danielis, dicit intelligendum esse de septimana 7.annorum. Et sic ait: *Numeremus, & inueniemus decies 7. annos*, esse annos 70. & decies 7. hebdomadas, hebdomadas esse 70. & 70. hebdomadas annorum esse 49.annos. Igitur dubitari minimè debet, tum in Sacris Scripturis, tum etiam in Rabbinis septimanam intelligi per 7.annos: vnde procul omni dubio septimanæ, de quibus loquitur Daniel, sunt septimanę, quarum quęlibet septem annos complectitur. Et hæ 70. hebdomadæ prædictę faciunt numerum 490. annorum, intra quos venire debuerat Messias Sanctus Sanctorum, Iustitia sempiterna, vt esset crucifigendus, & morte sua mundum redempturus: atque ita debuit impleri prædicta prophetia; vt mox tibi clarissimum fiet.

141. Ad quod duo sunt hîc expendenda: 1. à quo anno debeant incipere hebdomadæ? 2. in quo anno Christus IESVS fuit crucifixus, & verificata prophetia? quibus declaratis, & concordatis, remanent omnino Iudæi conuicti, nullamque possunt de sua contumacia tergiuersationem habere. Quo ad primum certum omnino est, & extra vllam controuersiam hebdomadas illas incipere debere à die, in qua pronunciata est locutio, vt iterum ædificanda esset Ierusalem, templumque reædificandum. Ita enim expresse ait textus: *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum Ducem hebdomades 7. & hebdomades 62.erunt*. Tota difficultas est; in quo tempore egressus fuit ille sermo? 1. opinio ait fuisse, quando Deus locutus fuit Ieremiæ, dicens illi post 70. annos ad impleturum esse promissionem reducendi populum in Ierusalem, vt constat ex Ierem.cap.29. Et hæc prophetia facta fuit ipsi Ieremiæ anno quarto Regis Sedechiæ, vt dicit idem Ierem.cap.28.qui annus fuit 12. Regis Nabuchodonosor; siquidem in lib.4.Reg.cap.25. dicitur in decimonono anno Regis Nabuchodonosor Templum fuisse flammis dirutum, & in eodem loco dicit fuisse vndecimum annum

Regis

Regis Sedechiæ. Igitur, si quartus annus Regis Sedechiæ fuit decimustertius Regis Nabuchodonosor; quartus annus Regis Sedechiæ currit cum 12. anno Regis Nabuchodonosor; ex quo 4. anno volunt aliqui debere incipere numerum 70. hebdomadarum. 2. & melior sententia tenet hebdomadas numerari debere à primo anno Regis Cyri: quandoquidem tunc 1. egressus est sermo, vt reducerentur Hebræi ad reædificandum Ierusalem: vt legitur in cap. 1. Esdræ; vbi narratur Regem promulgasse publicum edictum; vt omnes Iudæi redirent ad reædificandum Deo Templum in Ierusalem. Vnde, cùm ex eo tempore egressus fuerit sermo, vt iterum ædificaretur Ierusalem, ab eo tempore numerandæ sunt hebdomades iuxta Prophetam.

142. Cæterùm antequam tempora dinumeremus, necesse est præmittere Hebræos diuerso modo tempora dinumerare, esseque à nobis diuersos in numero annorum: siquidem multi eorum errant in vita Regum, maximè Regis Assueri; quem ipsi putant 10. annos, alij verò 14. regnasse annos: cùm tamen constet ex vita Regum Persiæ 40. annos regnasse Asuerum: & similiter errant in vita Cyri, quem credunt regnasse solùm tres annos; cùm tamen, vt narrant veri Historiographi, 30. annos regnauerit Cyrus; quod etiam affirmat Iosiphon Gen Gorion lib. suæ historiæ cap. 3. Vbi dicit Cyrum, postquam in bello Regem Scythiæ, filiumque illius occidisset; fugissetque eius Regis occisi vxor Tamyrra; ab ea per insidias incautum, à suis casu longè absentem fuisse occisum, & Reginam proiecisse illius caput amputatum in puteum sanguinis, dicendo: *Satia te post mortem sanguine; quoniam per triginta annos, quibus regnasti in vita, nullo sanguine sitim tuam restinguere potuisti*. Ex quo patet Cyrum 30. annos regnasse; & non solùm tres annos; prout alij Hebræi existimarunt; & ideo necesse est inter ipsos, & nos annorum numerum variari. Quia verò Iudæi credunt tanquam rem indubitabilem secundum Templum non plùs durasse, quàm 420. annos; vt le-

legitur in Thalmud in tractatu Harachin. in cap. Ennehe-rachin; vbi ſic dicitur: *Secundum Templum quanto tempore ſtetit?* & reſpondet: *quatuorcentum, & viginti annos.* Et deinde, quia, prout narrat Ioſiphon illorum hiſtoriographus, Cyrus regnauit 30. annos. 1. numerabimus tempus ſecundùm illorum opinionem, vt magis ipſi conuincantur; 2. autem faciemus numerum ſecundùm alteram opinionem veriorem. Igitur ſecundùm primam opinionem incipient numerari 70. hebdomadæ Danielis ab anno 4. Regis Sedechiæ, qui fuit annus 12. Regis Nabuchodonoſor, qui regnauit 34.

Poſt hunc regnauit Euilmerodach 23.

Poſt hunc regnauit Baltaſsar. 3.

Poſt hunc regnauit Darius 2.

Poſt hunc regnauit Cyrus 30.

Poſt Cyrum regnauit Aſsuerus 14.

Poſt Aſsuerum regnauit Darius; & in anno 6. illius regni fuit Templum ſecundum finitum, & perfectum: idcirco ſumemus ex vita illius ſex annos, 6.
& ex hac ſumma fit numerus 112.

Adiungendo autem prædictæ ſummæ 420. annos, in quibus Hebræi dicunt Templum ſecundum ſtetiſse, fit integer numerus 532.

Ex quibus ſi demas 42. annos, qui fuerunt tranſacti à die, quo Chriſtus fuit crucifixus, vſq; ad Templi ſecundi deſtructionem, remanent 490.

143. Ex quo manifeſtum eſt, ſecundùm computationem Iudæorum, vbi finitæ fuerunt 70. hebdomadæ annorum; quæ faciunt numer. 490. annorũ; fuiſſe crucifixum Chriſtum Dominum noſtrũ, qui idcirco verus eſt Meſſias à ſanctis Prophetis prædictus. Quo ad ſecundum punctum certiſſimum omnino eſt, nec ipſi Hebræi negant, in hoc tempore Chriſtum fuiſse crucifixum: ſiquidem crucifixus fuit 42. annos, antequàm ſecundum Templum fuerit deſtructum, vt narrant omnes hiſtoriæ tam Romanæ, quàm Græcæ, quàm etiam Hebraicæ; ita vt negare hoc,

eſset negare diem eſse, cùm Sol lucet; neque ad hanc cæcitatem adhuc deuenerunt Hebræi, vt negent; & ſi fortè negarent, ab omnibus irriderentur, & exſibilarentur. Taceant ergo iam nunc Iudæi; & non reſiſtant apertæ veritati: ſiquidem etiam ſecundùm illorum computationem, manifeſtè apparet Chriſtum fuiſse mortuum, & crucifixum eo tempore, quod Deus prædixerat per Prophetam Danielem; & deinde patet Chriſtum Dominum eſse verum Meſſiam: ſiquidem ſolus ille,& non alius, venit eo præfixo, & ſtatuto tempore. Quia tamen Hebræi non ſe accommodant veritati hiſtoriæ de vita Regum illorum; volo facere computationem ſecundùm alteram opinionem veriorem; incipiendo à primo anno regni Regis Cyri propter rationem â nobis ſupra aſſignatam; & videbis, ſi attentè conſideres, eſſe multò veriorem hunc ſecundum modum numerandi.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Proponitur probabilior modus numerandi 70. hebdomadas Danielis Prophetæ.

144. LIcèt prior modus numerandi hebdomadas Danielis iuxta Hebræorum computationem ſufficientiſſimus ſit ad illos conuincendum, vt ex præcedenti capite conſtat; quia tamen non ſolùm volumus illos conuincere ſuâ propriâ doctrinâ, & argumento, vt dicunt, ad hominem, ſed apertam rei veritatem apponere, vt non ſolùm ipſi Hebræi conuicti, ſed omnes maneant abſque vlla dubitationis anxietate quieti, ac certi, & fideles Chriſtiani ſumma conſolatione affecti; hoc præſens caput dabit alium modum veriſimiliorem, qui ſequitur; incipiendo numerum à tempore Cyri, cui magis conſonat ſenſus prophetiæ Danielis prout ſupra notauimus. Igitur ſumemus totum tempus, quo regnauit Cyrus, quod fuit ſpatium 30. annorum, vt ſupra probauimus

tum ex hiſtorijs veris, quas veri hiſtoriographi illorum Regum ſummâ concordiâ adducunt; quibus potiùs eſt credendum, quàm Rabbinis exteris; tum etiam ex Ioſiphon Hebræo probatiſſimo Authore, qui cum illis hiſtoriographis concordat.

Cyrus regnauit annos 30.

Poſt hunc Artaxerxes Magnus, qui fuit Aſsuerus; prout conſtat, vt dictum eſt, ex Chronicis Perſarum, regnauit 40.

Poſt hunc regnauit Artaxerxes Occo eius filius ex Regina Eſther 26.

Poſt hunc regnauit Arſe communiter dictus Arſanus 4.

Poſt hunc regnauit vltimus Rex Perſarum 6.

In quo ſexto anno fuit finitum, & perfectum ſecundum Templum: & faciunt 106.

Quibus 106. ſi adiungas 420. annos, in quibus Templum ſecundum ſtetit, remanent 526.

Ex quibus 526. ſi demas 42. annos, qui tranſacti fuerunt, poſtquam Chriſtus verus Meſſias fuit crucifixus, vſque ad ſecundi Templi ruinam, remanent 484.

Quia tamen veriſimile eſt, imò ferè certum, quando vitæ Regum narrantur, non ſemper annus vltimus integer eſt; ſed aliquando deeſt aliquis menſis, aliquando aliqua ſeptimana, vel dies; valde rationabiliter poſſumus minuere ex illa ſumma 484. vnum annum, & ſic numerus erit 483.

Qui anni complent numerum illarum 69. hebdomadûm, quæ tranſire debuerant ex egreſſu ſermonis, vt ædificaretur iterum Ieruſalem; vt dicit Propheta ſupra allegatus in principio capitis præcedentis. Et iſtæ ſunt 7. hebdomadæ, & 62. quæ diuiſæ in duas partes faciunt numerum 69. hebdomadûm; cùm debeat reſtare vna hebdomada propter rationem infra ponendam. Igitur manifeſtum eſt prophetiam Danielis impletam fuiſſe in Chriſto IESV vero Meſſia: ſiquidem ille fuit crucifixus & mortuus

in

in tempore prædicto à Propheta, scil. post 69. hebdomadamadas, quæ faciunt numerum iustum, & determinatum 483. annorum.

145. Concludamus igitur nostram 16. ex Danielis prophetia probationem, seu euidentem demonstrationem. Hæc prophetia loquitur de Messia, vt iam conuicti non negant Hebræi: deinde illa certè debebat impleri; aliter non esset prophetia, sed vanitas; quod nec ipsi obstinatissimi Hebræi audent dicere. In eo puncto, quod Propheta dixit, sunt omnia verificata: nam Christus fuit mortuus, & crucifixus in assignato illo tempore; nimirum finitis 69. hebdomadis annorum: quæ faciunt numerum 483. & quia remanet vna septimana, dicit Propheta, quòd in dimidio vnius hebdomadæ, id est, in tribus annis, & medio, in quibus Christus prædicauit, & in reliquo prædicationis Apostolorum in Iudæa; confirmatum fuit pactum de remissione peccatorum per baptismum institutum à Christo, & de lege gratiæ initum cum Abraham faciendi illum Patrem multarum gentium per fidem in Christum semen ipsius; in quo omnes gentes essent benedicendæ; & finitæ sunt 70. hebdomadæ, quæ faciunt numerum 490. annorum.

Nec obstat huic nostræ computationi id, quod noster Cornelius à Lapide dicit; nimirum Christum fuisse occisum finitis 70. hebdomadis; & non finitis 69. vt nos hîc dicimus, & exprimit Propheta: quia hoc eius dictum non potest stare cum numero annorum iuxta computationem certam à nobis supra factam. Nec eius argumentum viget: quòd, scil. implicaretur Propheta, dicendo finiendas esse 70. hebdomadas vsque ad Christum Ducem; & postea dicendo illum occidendum post 69. non, inquam, viget hoc argumentum: nam Propheta primò posuit 70. hebdomadas vsque ad Christum, vt promulgantem legem gratiæ, & finientem sacrificium Mosaicum, quod totum post mortem Christi in vltimis annis complentibus 70. hebdomadas verificatum est; & ideo Propheta se explicauit, dicen-

do mortem Christi fuisse post finitas 69. hebdomadas; & sic manet numerus hebdomadùm, cum annis, qui concurrerunt, vsque ad Christi mortem, & reuocationem hostiæ, & sacrificij Mosaici optimè concordatus, quo tempore completæ sunt 70. hebdomades. Ab illo tempore defecit hostia, & sacrificium; fuit Templum, & Ierusalem destructa per populum Romanum, & Ducem, seu Imperatorem Titum; Populus Hebræus illum negauit, & populus eius non est; vt ipsi facto suo fatentur; desolatio, seu destructio Templi perseuerat ab illo tempore, iam plùs mille, & sexcentis annis transactis, & vsque ad finem, & consummationem sæculi perseuerabit; iniquitas, & peccacatum Christi morte sublatum; lex gratiæ in æternum duratura, seu iustitia sempiterna in Ecclesia Christiana datur; ex his ergo euidenter monstratur Christum iam venisse, & esse verum Messiam, & Hebræos in illum non credentes non credere sanctis Dei Prophetis, & consequenter in æternum esse damnandos.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Proponitur decimaseptima probatio contra Iudæos ex ratione temporis à Deo destinati pro aduentu Messiæ.

146. HÆC decimaseptima probatio est quædam confirmatio, & extensio præcedentis: assignat enim determinatum tempus aduentûs Messiæ ex Propheta mox citando, & mirabiliter concordant hi duo Prophetæ in tempore aduentûs Messiæ: nam postquam Isaias cap. 9. num. 6. prædixit Messiam nasciturum nobis infantem paruulum, & filium nobis dandum, & sceptrum regni sui futurum esse crucem super humerum eius; item vocandum esse Admirabilem, Consiliarium, Deum fortem, patrem futuri sæculi, id est, geniturum multos filios spirituales, & Principem pacis, id est, inter Deum, & homines

mines

mines per reconciliationem: *Paruulus enim natus est nobis; & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*; addidit hæc sequentia verba: *Multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis*. Notant hîc Rabbini in Thalmud tractatu Sabbati in cap. Habbone, id est, qui ædificat, literam, Mem, clausam, quæ semper ponitur in fine, vel in principio dictionis: quando ponitur in medio, vt hîc ponitur in medio verbi, lemarbe, id est, *multiplicabitur*, semper denotare aliquod mysterium, & arcanum. Idem dicitur in eodem Thalmud in tractatu Sanhedrin in cap. omnis Israel. Vbi Rabbi Salomon mysterium illud literæ Mem positæ in medio dictionis, Lemarbe, *multiplicare*, denotare docet tempus aduentûs Messiæ. Vnde litera illa Mem, vt asserunt omnes Grammatici Hebræi, præsertim Rabbi Elias in suo libro vocato, Iter viarum scientiæ, denotat numerum 600. volens nobis significare Messiam venire debere post annos 600. ad multiplicandum Imperium suum in toto orbe terrarum, prout illud nunc videmus multiplicatum, vt implerentur aliæ prophetiæ, vt illa: *Repleta est terra maiestate gloriæ eius*, & illa: *Factus est mons magnus, & repleuit terram*, & multæ aliæ, de quibus iam supra fecimus mentionem.

147. Supposito igitur, quòd in illa prophetia per illud signum arcanum, & mysticum prædicat Messiam venturum post 600.annos, vt nos accommodemus expositioni, prædictæque illorum Rabbinorum sententiæ, inuestigare oportet, à quo tempore debeant incipere numerari præfati illi 600.anni? Rabbini communiter dicunt incipere debere à die prolatæ illius prophetiæ, & meritò: quia non potest aliud tempus, à quo incipiant, assignari. Illa verò prophetia facta fuit anno 4.Regis Achaz, vt testatur Rabbi Salomon in lib.4. Reg. exponendo capitulum 15. eiusdem libri, qui Rex cùm regnasset 16.annos; vt constat ex lib.4. Regum cap. 16. ex quibus 16. annis, si demas 4. annos, in quibus facta fuit prophetia, remanent 12. anni. Debemus igi-

igitur incipere numerum 600. annorum ab illo duodecimo anno regni Regis Achaz 12.

Post Achaz regnauit Ezechias annos 29.

Post hunc regnauit Manasses 55.

Post hunc regnauit Amon 2.

Post hunc regnauit Iosias 31.

Post hunc regnauit Ioachaz solos tres menses 3.

Post hunc regnauit Ioakim vndecim annos 11.

Post hunc regnauit Ioachin solos tres menses 3.

Post hunc regnauit Sedechias vndecim annos 11.

Quia verò in anno 11. sui Regni Sedechias captus fuit ab exercitu Chaldæorum, ductusque cum Hebræis in Babylonem, & cùm iam non possit capi numerus à Iudæorum Regibus; necesse est continuare numerum annorum per vitam Regum Gentilium; sequendo igitur à vita Regis Nabuchodonosor, qui ad annum 11. Regis Sedechiæ habebat iam regni sui annos 19. vt constat ex 4. Regum cap. vlt. & cùm omnes anni Regni Regis Nabuchodonosor fuerint 45. anni, incipiendo à 19. anno illius regni, restant illius vitæ 26. anni post captiuitatem Sedechiæ 26.

Post hunc regnauit Euilmerodach annos 23.

Post hunc regnauit Baltassar 3.

Post hunc regnauit Darius 2.

Post hunc regnauit Cyrus 30.

Post hunc regnauit Assuerus 14.

Post hunc regnauit Darius 6. annos, & in anno 6. fuit finitum perfectumque secundum Templum 6.

Templum hoc secundum iuxta vniuersalem Hebræorum sententiam durauit 420. annos 420.

Qui omnes anni faciunt numerum 675.

Ex quibus 675. si demas 42. in quibus secundum Templum stetit, postquam Christus Dominus noster fuit crucifixus, & si etiam demas 33, annos, quibus Christus vixit in terra; inuenies certissimè 600. annos à dictæ prophetiæ die vsque ad Natiuitatem Domini nostri IESV Christi; qui portauit Principatum suum, id est, Crucem suam, prout

prout etiam prædixit Dauid : *Dominus regnauit à ligno*, Crucis, ſcil. & ideo, myſterium fuit cruci titulum Regis apponi: IESVS Nazarenus Rex Iudæorum, quem titulum ſi Iudæi ſacrilegi, & ingrati voluerunt refigere; Gentilis Præſes non refixit: & Reges terræ illum Regem ſuum adorant; vt impleatur prophetia: *Adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes gentes ſeruient ei*.

148. Argumentor nunc contra vos, ò inſenſati Iudæi; vos dicitis in illa prophetia, in qua Propheta explicat Chriſti Principatum per crucem ſuper humeros poſitam: *Et factus eſt Principatus ſuper humerum eius*, includi ſecretum, & arcanum, quòd Meſſias hic ſanctiſſimus venturus ſit poſt 600. annos à die huius factæ prophetiæ: vobis demonſtratum eſt euidenter, poſt 600. annos à die illo veniſſe Chriſtum; & portaſſe ſuper humeros ſuos ſuæ crucis principatum; vt ibidem dicit Propheta: ergo vel errat prophetia, vel vos erratis. Primum dici non poteſt, cùm nec Deus potuiſſet falli; nec nos decipere, & iam illam veſtris oculis videtis impletam; ergo ſecundum neceſſariò debetis fateri, nimirum errare vos, dum veſtrum non recipitis Saluatorem. Videte igitur, quomodo concordat tempus aduentûs Meſſiæ ex Propheta Daniele cum tempore ex Propheta Iſaia: Daniel dixit tranſactis 70. hebdomadis numerandis à die edicti de reædificanda Ieruſalem, venturum Meſſiam, & totidem fuerunt tranſactæ, quando Chriſtus IESVS venit; & in eadem prophetia deſcribit de Meſſia omnia, quæ in Chriſto IESV, nullo deficiente, verificata ſunt, vt eius mortem, ceſſationem ſacrificij, negationem Chriſti à populo factam, reprobationem eiuſdem populi factam à Chriſto, deſtructionem Templi, & Ieruſalem factam per populum Romanum, & eius Ductorem Titum. Iſaias dixit tranſactis 600. annis numerandis à die factæ prophetiæ Meſſiam eſſe venturum, & totidem ſunt tranſacti, quando Chriſtus venit; & in eadem prophetia deſcribit de Meſſia omnia, quæ, nullo deficiente, in Chriſto IESV verificata ſunt, vt eius principatum per mortem crucis, nominationem

Ad-

Admirabilis, propter mirabilia, quæ fecit: Consiliarij, propter Euangelica consilia, quæ suæ Ecclesiæ ob salutem animarum scripta, & prædicata reliquit: Dei fortis, propter fortitudinem, qua vicit diabolum, & mortem; Patris sæculi futuri, propter filios spitituales, quos per aquam baptismi spiritualiter Deo generauit, & quotquot crediderunt, dedit illis potestatem filios Dei fieri per adoptiuam filiationem; Principis pacis, quia reconciliauit Deum cum hominibus, pro eorum delictis Deo satisfaciendo superabundanter. Igitur Hebræi in Christum IESVM Saluatorem nostrum non credentes Prophetis non creditis, sacranque scripturam negatis; & sine dubio peribitis.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Probatio decimaoctaua ex extirpatione Idolorum per Messiam facienda.

149. VNVM ex signis, quæ assignant Prophetæ pro cognoscendo vero Messia, est, quòd per eius aduentũ idololatria tolleretur, & idola antea in terris adorata vt vera Numina, post Christi veri Messiæ aduentũ cognoscerentur vt falsa, & gentes agnoscerent errorem suum præteritum, & Deum viuum, & verum adorarent, non nominando, aut inuocando Deos illos falsos, sed eos abominando, & execrando. Ita prædixit Zacharias c. 13. nu.2. *Et erit in die illa dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra, & Pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra.* Et dicit ibi n.1. hoc faciendum esse per susceptionem baptismi, qui est fons patens in Ecclesia, ad peccatorum remissionem; per quem baptismum baptizatus execratur idola, & spiritum immundum, & Sathanam, dicens: *Abrenuntio. In die illa erit fons patens domui Dauid*, id est, Ecclesiæ Christi, qui est filius Dauid, & Dauid etiam in scripturis appellatur; *& habitantibus Hierusalem nouam*, sci-

ſcilicet, Chriſti Eccleſiam, *in abſolutionem peccatoris*, & *menſtruatæ*, id eſt, in remiſſionem peccati originalis, quod reddit animam contaminatam, & quaſi menſtruatam. Fons etiam intelligitur Sacramentum pœnitentiæ, in abſolutionem peccatorum; quod Sacramentum in ſola Chriſti Eccleſia, velut fons quidam patet omnibus fidelibus habitantibus in hac Eccleſia Ieruſalem noua: ſed hæc omnia videmus impleta poſt aduentum Domini noſtri IESV Chriſti: nam per nouam fidei profeſſionem omnia idola ſublata ſunt in vniuerſo mundo, vbi eſt Eccleſia; nec iam Dij falſi, Iupiter, Mercurius, Saturnus, Mars, Venus, & cætera omnia idola, adorantur, aut inuocantur; ſed tanquam numina falſa reiecta ſunt de terra; & adoratur verus Deus, quem Abraham, Iſaac, & Iacob, cæterique Patres adorarunt: ergo Hebræi Chriſtum Meſſiam verum veniſſe negantes apertè non credunt Prophetis, & ſunt in ſtatu damnationis æternæ, niſi baptizentur credendo in Chriſtum.

150. Et notandus hîc eſt modus loquendi ſacri textûs: *Diſperdam de terra nomina idolorum. Spiritum immundum auferam de terra:* quia ſola omnipotentia Dei Meſſiæ poterat idolorum templa adeò culta à Regibus, & populis in toto orbe de medio tollere; & dæmonum oracula ſilere facere; & ideo dicit; ego Deus omnipotens, & non humana potentia, *diſperdam;* ego *auferam de terra.* Quomodo enim pauperes Apoſtoli extranei, nullâ humanâ ſapientiâ prædıti id poſſent facere; niſi illis diuina Chriſti potentia aſſiſteret; qui ideo illis dixit: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam; cui non poterunt reſiſtere?* Tot antiqui Philoſophi, & Sapientes, ex quibus multi lumine naturali cognouere falſos eſſe, & inanes Gentium Deos; attamen ſuâ ſapientiâ idola tollere non potuerunt; imò illa ſtultè colebant: diſcipuli verò Chriſti ita omnes illos ſapientes conuicerunt; vt antiquum errorem deponerent, veritatem Chriſtianæ doctrinæ aſſequerentur, vt Dionyſius in Græcia, Cyprianus in Africa, & cæteri alij. Fateantur ergo Iudæi cum

Regio Propheta à Domino factum esse istud, & esse mirabile in oculis nostris. Et ideo meritò dicit. Ego *disperdam*: ego *auferam*. Et si solus Deus disperdet, & auferet, cur Christum, qui ea disperdidit, & spiritum immundum, seu oracula dæmonij de terra abstulit, Deum esse, & Messiam Iudæi negant?

151. Opponunt Hebræi 1. adhuc prophetiam illam non esse impletam: implendam verò esse, quādo omnia de terris idola extirpabuntur; & hodie adhuc apud Indos coluntur idola, & adorātur dæmonia; ergo adhuc non venit Messias, sed veniet, quando hæc omnia fuerint impleta; proindeq; adhuc Hebræi possunt prudenter sperare illum venturū, & Christiani venisse iam illum imprudenter credunt. Friuola, & ridicula oppositio Iudæorū: & bene ostendunt se Prophetam non legere, nec intelligere. An Propheta dixit Messiam non esse venturum, nisi priùs omnia idola de terris sublata fuerint? Imò si Messias est, qui illa disperdet, & auferet, vt dicit prophetia; *Disperdam*, *auferam*; priùs debuit Messias venire, vt illa disperderet, & auferret. Deinde dicitne Propheta Messiam in vno instanti, in vno die, in vno anno, aut in vno sæculo omnia idola sublaturum? Minimè id dixit; sed eo modo illa successiuè sublaturum, quo esset multiplicaturus suum Imperium Ecclesiasticum æternum duraturum, scil. successiuè; vnde sicut quando Propheta dixit Messiam multiplicaturum esse Imperium, & esse illum mysticum lapidem, repleturum vniuersam terram, Iudæi non dicunt illum subitò esse repleturum vniuersam terram, sed successiuè; ita non debent dicere Messiam subitò esse sublaturum omnia idola de terris; sed vt verè impleatur prophetia, satis est, quòd successiuè illa auferat, vt fecit Christus per suum Euangelium à suis discipulis prædicatum; & idcirco populi Indiarum iam ex magna parte baptizati idola proijciunt, & execrantur. Imò, si bene attenderent Iudæi ad verba Prophetæ, hanc stultam obiectionem non opponerent: nam Propheta in primo loco posuit baptismum, dicens: *In illa die erit*

fons

fons patens domui Dauid: & postea ponit destructionem idolorum, dicens: *Disperdam nomina idolorum, &c.* Et quis est Christianus, qui in baptismo faciens professionem fidei Dei veri Christi, totiusque indiuiduæ Trinitatis, non abijciat, & abrenuntiet Dijs falsis. Vnde verus, germanusque Prophetiæ sensus est; quòd vbi primum aliqua Prouincia idololatra Christi veri Messiæ fidei se subijcit, illico idola deserantur: atque ita euenit; nam vbi primùm Græcia, Italia, Germania, Hispania, Asia, Africa, America, & aliæ Prouinciæ conuertebantur ad Christum verum Deum, & verum Messiam, illico falsa proijciebantur idola, & falsa dæmonis oracula reijciebantur. Itaque eodem modo, quo in primitiua Ecclesia, quando Gentiles conuertebantur, destruebantur idola; ita modò in remotissimis partibus Indiæ, quando Gentiles ad fidem Christi conuertuntur, comburuntur idola: id, quod non fiebat in Ecclesia veteri; siquidem non legimus Ecclesiam veterem, id est, Synagogam misisse passim prædicatores ad euertenda, penitusque ableganda dæmonis simulacra: hoc enim reseruauit Deus nouæ Ecclesiæ fundatæ à Filio suo IESV Christo Saluatore nostro; cuius gratiâ, & sanctissima fide omnia dæmonum simulacra corruunt, & adoratur Messias Christus vnus Deus cum Patre, & Spiritu Sancto, & in æternum adorabitur; & obstinati Iudæi in peccato suo morientur.

152. Opponunt 2. Prophetam non loqui de populo Gentili, sed de Hebræo; & dicere voluisse, antequam Messias venerit, nullum in vniuersa terra idolum adorandum esse ab Hebræis; & modò in vniuersa terra nullus est Hebræus, qui idololatriam committat; vt faciebant olim multi Hebræi; & ideo, quia Deus videt in Hebræis iam à multis sæculis hãc puritatem fidei erga verum Deum Abraham, Isaac, & Iacob, & prophetia Zachariæ in Hebræis adimpleta est; iam prope est tempus, vt Deus mittat Regem Messiam, qui Gentiles destruat potenti suo exercitu, & dispersos vbique terrarum Hebræos ad Iudæam iterum reducat,

& ibi in æternum regnabit in ſumma pace, & tranquillitate, faciens iudicium rectum, & in ſuis filijs Hebræis ſummam iuſtitiam, & æquitatem faciet obſeruari. Reſp. In primis falsò dicere hos Hebræos Prophetam hîc loqui de populo Hebræo, cùm certiſsimum ſit loqui de populo Gentili conuerſo ad fidem Chriſti. 1. quia dicit ſe ſublaturum idola de terra, id eſt, de gentibus, quæ illa antea ſuperſtitiosè adorabant. 2. deſtructurum falſos Sacerdotes idolorum, & haruſpices, qui loquebantur falſas prophetias, & vaticinia ex ſpiritu immundo, id eſt, dæmone: *Et pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra.* 3. dicit, ſi aliquis ex illo ſpiritu dæmoniaco prædiuinare audeat, pater, id eſt, Epiſcopus, & Mater eius, id eſt, Eccleſia, illum puniet, & tradet brachio ſæculari, vt comburatur, aut occidatur, ibi: *Non viues.* Et ipſe à ſpiritu malo deceptus conuictus erit per teſtes, & confundetur, & erubeſcet, & confitebitur ſuos errores: *Confundentur Prophetæ*, id eſt, hypocritæ, & falſi; & compellentur dicere: *Propheta non ſum.* 4. quia ibidem dicit Propheta, quòd gentes per quandam admirationem obſtupeſcent videndo Meſsiam plagatum; & dicent: *Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Et illis reſpondebit Chriſtus: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me*; & modò me iam non diligunt; quia me confixerunt, & me ſuum Meſsiam, & Saluatorem non recognoſcunt; & ipſe populus Gentilis iam conuerſus me crucifixum, & plagatum adorabit, & Deum ſuum recognoſcet: *Ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum*: & ego, inquit Chriſtus, dicam: *Populus meus es*: *& ipſe dicet: Dominus Deus meus.* Ecce hæc omnia aptantur optimè populo Chriſtiano ex gentibus formato per baptiſmum; & nullo modo populo Hebræo, de quo Prophetæ dicunt, non futurum populum Dei, prout ſupra ex varijs Prophetis manet oſtenſum: quomodo ergo cum veritate poſſunt dicere Hebræi Prophetam in hac prophetia loqui de dopulo Hebræo?

153. Imò, quòd hodie Iudæi non committant vllam

ido-

idololatriam ſicut olim ante aduentum Chriſti committebant, eſt manifeſtum ſignum illos aliud habere peccatum, propter quod ſic ſunt à Deo reprobati, diſperſi, derelicti, ſine Rege, ſine Principatu, ſine Sacrificio, & Sacerdotio; quod certè peccatum nullum aliud eſt, niſi horribile ſacrilegium interficiendi Filium Dei verum Meſſiam, & adhuc illos non pœnitet huius enormiſſimi peccati, manuſque habent pollutas ſanguine Iuſti à ſe, ſuiſque patribus occiſi, & niſi lauent illas aquâ baptiſmi, ſemper erunt in ſtatu damnationis, prout ſupra ex alijs Prophetis manet demonſtratum. Concludimus igitur contra iſtos obcæcatos Iudæos. Iuxta Prophetam Meſſias extirpaturus erat de terra idololatriam: Chriſtus IESVS per Euangelium ſuum, fidemque Chriſtianam illam de terra abſtulit, vt eſt manifeſtum: ergo ille eſt verus Meſſias. Si negant hanc conſequentiam: negant apertam rationem; ſi negant prophetiam, diſcedunt à lege, & Prophetis.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Proponitur decimanona probatio, qua probatur contra obſtinatos Hebræos Chriſtum verum Meſſiam iam veniſſe.

154. HANC decimamnonam probationem iudico adeò efficacem, vt ſufficiens ſola foret ad conuincendos Hebræos, ſi rationi aſſentiri vellent. Ipſi dicunt Chriſtum à ſe fuiſſe occiſum, quia eò dementiæ deuenerat, vt ſe filium Dei faceret; proindeque, vt Dei honorem defenderent feciſſe ſe, vt à Pilato crucifigeretur. Igitur ego Hebræos interrogo, an Deus ſit iuſtus, an non? Certò ſcio ipſos reſponſuros Deum eſſe iuſtiſſimum, vt verè eſt. Ego deinde replico: ſi Chriſtus non eſſet verus Meſſias, Filius Dei, Hebræi illum occidendo certè facerent Deo actionem omnium, quas poſſent facere, gratiſſimam: ſiquidem facerent occidi eum, qui non erat Deus,

& ta-

& tamen se Deum superbissimè faciebat; opus sanè maius illo, quod fecit Phinees filius Eleazari, propter quod Dei Sacerdos in æternum fieri meruit, vt constat ex Numeri cap.25. Vnde, cùm Deus sit iustissimus, ob id eis præmium maximum retribuisset; & multò celeriùs illis misisset Messiam, quem ipsi expectauerant, si adhuc non venisset: siquidem Deus populo, qui non solùm illi seruiret, verùm etiam procuraret, vt eius honor ablatus non esset, maxima donaret præmia: & absque dubio Deus hoc fecisset, vt ostenderet rem illam à Iudæis factam sibi fuisse gratissimam, & tolleret errorem ab ijs, qui crederent opus illud bonum fuisse malum. Verùm totum euenit in contrarium: nam simul ac Hebræi Christum crucifixerunt, & vt Messiam non acceptarunt; statim omnes viderunt, Deum loco pręmij, eos priuasse Ciuitate, Republica, Patria, Sacrificio, Sacerdotio, Templo; & ab illo tempore transactis iam plùs 1600. annis in perpetuo sunt exilio dispersi, contempti; & obcæcati mente expectant vanè, vt Deus illis mittat Messiam, quem iam Deus misit elapsis iam 1693. annis, & ipsi non agnoscunt; & non solùm non manifestauit populis actionem illam ab Hebræis factam bonam, gratamque Deo ipsi fuisse; sed potiùs oppositum ostendit, dum facit, vt ille idem Christus, quem ipsi crucifixerunt, sit in toto orbe adoratus, summaq; in veneratione habitus à Magnis Regibus, & Principibus, ab hominibus sapientissimis, & sanctissimis, & vt illi toto orbe templa magnifica, sanctuaria, oratoria consecrentur; & hanc fidem quotidie Deus ipse confirmat innumeris miraculis, quæ ab vlla humana potentia fieri non possunt; deinde manifestat mundo sanctitatem eorum, qui hunc Christum sequuntur. Ex quo euidenter sequitur vnum ex duobus: vel Deum non esse iustum, dum præmiat sacrilegium, quale dicunt fecisse Christum faciendo se Filium Dei; & honorem soli Deo debitum iniquè vsurpando, vt ipsi perperam dicunt, & dum hîc punit bonam actionem, qualem ipsi dicunt fuisse occidere Christum in obsequium, & zelum honoris

Dei;

Dei; vel occidiſſe Chriſtum, illumque vt Meſſiam Filium Dei non acceptare eſſe quoddam horribile peccatum, & ſacrilegium enormiſſimum omnium, quæ populus Hebræus vnquam commiſit: ſiquidem propter illud peccatum ſunt puniti grauiſſimâ omnium pœnâ, & ſupplicio, quod vnquam paſſi fuerunt; dum ab illo tempore ad noſtros vſque dies, & vſque ad finem mundi, vt dicunt Prophetæ ſupra relati, in hac diſperſione, & exilio permanebunt. Quòd Deus non ſit iuſtus, nec dici, nec etiam mente poteſt cogitari. Igitur ex vi rationis euidens eſt, Chriſtum illum ab Hebræis crucifixum verum eſſe Meſſiam, verum filium Dei; & vera eſſe omnia, quæ ipſe dixit, conſequenterque dum ipſe dixit ſe eſſe Meſſiam, & filium Dei; verus Meſſias, & verus Filius Dei eſt; & hanc eſſe vitam æternam, vt cognoſcant illum, & eum, qui miſit illum, Æternum Patrem, ac Spiritum Sanctum, qui ſuper eum requieſcit.

155. Confirmatur hæc probatio noſtra hoc exemplo. Si Rex vnus potentiſſimus miſiſſet literas, & legatum in totum ſuum ſtatum, faciendo eos ciues certiores, quòd certo, ac deſtinato tempore miſſurus ſit filium ſuum in vnam de ciuitatibus ſuis ad negotium ſummæ conuenientiæ propter ſalutem totius ſtatus; illos admonendo, quòd venturus ſit, ſicut homo priuatus abſque pompa, & vt pauper, vt non ſit omnibus notus ob certas, ac iuſtas cauſas, & ideo, non erit veſtitus veſte regia; verùm, vt aduerterent, quòd ſi ille oſtendat certa ſigna, quòd filius Regis ſit, ipſum acceptarent, & vt talem crederent, illique perinde ac ipſi Regi obedirent: & poſtea accedente tempore præfixo, veniſſet vnus, qui illis diceret, ſe eſſe filium Regis ab illo miſſum; & omnia ſigna, quæ Rex illis indicauerat pro illo cognoſcendo, homo ille dediſſet; illaque ciuitas, ad quam primò miſſus fuiſſet, illum interficeret, contemneret, iniurijs afficeret, minimèque acceptaret, vt Regis filium; quo pacto poſſemus cognoſcere illum fuiſſe filium Regis, an non? Certiſſimum eſt, ſi poſt illud factum Rex ille puniſſet atrociſſi-

cilſimâ pœnâ ciuitatem illam, deſtruendo illam, flammiſque deuaſtando, ciueſque illos, qui hominem illum occidiſſent, bannitos redderet, perpetuoque exilio amandaret, domoſque euerteret, atque vrbem, in quo factum illud perpetratum fuit; certiſſimum, inquam, & euidentiſſimum eſt ſignum, illum filium fuiſſe Regis ab illo miſſum: quia ſi ille non fuiſſet filius Regis, non ſolùm non puniret Ciuitatem illam, & ciues ob factum illud, ſed illis conferret maxima præmia, & tantò celeriùs mitteret promiſſum Filium, quem ipſi expectauerant, ſi adhuc non veniſſet: ſiquidem Rex populum, qui ei ſeruit, & etiam omnibus modis procurat, vt eius nomen, & honor vſurpatus non ſit, & ne alius fingatur filius eſſe primogenitus Regis, exaltabit quidem, multiſque muneribus cumulabit: quod quidem Rex effeciſſet, vt ciuitatis illius factum approbaret, & mundo manifeſtaret rem illam bene eſſe factam, ſibique maximè placere; & ne turpis error obreperet credendo bonum factum, tanquam malum, & impium. Ecce caſus noſter. Æternus Pater ſacras literas dedit Hebræis, legatoſque ſuos miſit Prophetas ſanctos, per quos promiſit certo, ac determinato tempore mittendũ ſuum Filium in habitu pauperis, & in ſtatu incogniti ob iuſtiſſimas cauſas, quas ipſe noſcit; homo iſte illo determinato tempore venit, dixit ſeipſum eſſe Filium Regis Dei ab illo miſſum, dicens ſæpe: *Ego ſum*; aliaque omnia ſigna dedit de ſe; iuxta ea, quæ Pater per Prophetas, & ſacras literas fuerat locutus: Hebræi hæc ſigna contempſere; filium illum non ſolùm non acceptarunt, ſed iniurijs, contumelijs, & multis opprobrijs affecerunt; & tandem hominem innocentiſſimum, ſanctiſſimum iniquiſsimè crucifixerunt, & tanquam latronem inter duos latrones proſcripſerunt. En Deus poſt hoc factum Ieruſalem, vbi hoc fuit factum, deſtruxit, ſolo æquauit, Hebræos ipſos huius facti authores in exilium amandauit, diſperſit, nec eos exaudit, licèt preces multiplicent; & in hoc ſupplicio ſunt à plùs mille, & ſexcentis annis, & erunt vſque ad finem mundi, euidentiſ-

tiſ-

tißimum ergo eſt illum fuiſſe filium ſummi Regis, & eos feciſse horribile ſacrilegium, occidendo filium Dei; & commiſiſſe illos ſummum peccatum, Deicidium, quod per antonomaſiam dicitur peccatum, vt exclamauit Propheta: *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*. Vnde meritò Centurio, & alij videndo poſt mortem Chriſti fieri à Deo illam commotionem terræmotûs, & petras ſcindi, Solem obſcurari, velum Templi rumpi, monumenta aperiri, per bonam conſequentiam intulerunt Chriſtum crucifixum eſse filium Dei. Matth.27.n.54. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes IESVM, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: verè Filius Dei erat iſte*. Similiter ergo, viſis eis ſupplicijs Iudæorum, poſtquam occiderunt Chriſtum à Patre miſſum, ſtultus erit, & excors, qui illum Dei ſupremi Regis filium fuiſse non iudicet.

156. Faxit Deus ob ſuam infinitam pietatem, & miſericordiam, vt gens illa adeò indurata, cæca, obſtinataque deponat duritiem, exuat cæcitatem, ad Dominumq; ſuum conuertatur, & non pereant illi, ad quos præcipuè fuit miſsus, humanam carnem aſsumpturus; illiſque miſericorditer tollat cor lapideum; & conferat tandem cor carneum, vt per Ezechielem promiſit cap. 11. n. 19. *Et dabo eis cor nouum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum; & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent. & iudicia mea cuſtodiant, faciantque ea: & ſint mihi in populum; & ego ſim eis in Deum*. Quæ quidem prophetia verificatur in eis Hebræis, qui depoſito corde lapideo, in ſpiritu renouantur per ſanctum baptiſmum, & iam fiunt populus Chriſti, & Chriſtus Deus illorum; ideoque antequam ſuſcipiant baptiſmum nec ipſi iam ſunt populus Dei, nec Chriſtus verus Deus eſt ipſis in Deum: perfectè tamen implebitur prophetia, quando in fine mundi Hebræorum reliquiæ ad Chriſtum conuertentur. Et cap. 36. n. 25. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus in-*

quinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. 1. ponit baptismum. 2. spiritum nouum per gratiam Spiritus Sancti. 3. docilitatem ablata cordis duritie. 4. obedientiam in præceptis 5. bonorum operum exercitium; omnia verò hæc initium habent a sancto Christi baptismo; & quando hæc non susceperint, ait Propheta; erunt Hebræi in sua infelicitate. Idem dicit cap. 39. n. 29. *Et non abscondam vltra faciem meam ab eis: eò quòd effuderim spiritum meum super domum Israel, ait Dominus Deus*. Quasi diceret: Non abscondam vltra faciem meam ab eis, si suscipiant baptismum, & Spiritum Sanctum; abscondam tamen, dum non susceperint. Item Ierem. cap. 31. n. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iudæ fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, &c. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*. Si accipiant nouum IESV Christi testamentum, nouum fœdus, & pactum, nouam legem in cordibus, & non in lapidibus scriptam, ero illis in Deum; & ipsi mihi in populum: ergo quandiu non baptizentur, nouumque testamentum non suscipiant; nec ipsi erunt populus meus; nec ego ero ipsis in Deum.

157. Igitur Hebræi mentis oculos aperiant, videantq; signa, quæ filius Magni Regis Dei illis, quando à Patre fuit missus, ostendit; quæ quidem signa omnia à Deo per suos Prophetas data cum illis, quæ filius ostendit Hebræis, omnino concordant: cur ergo non acceptant hunc Dei Filium? Cur nouum testamentum à Prophetis prædictum non amplectuntur? Cur baptismum ab eisdem Prophetis supra citatis prædictum non suscipiunt? Cur non aduertunt, ex ijsdem prophetijs, sine prædicto baptismo, se po-

pu-

pulum Dei non esse; nec Dominum illis esse in Deum? Cur non considerant ex grauitate supplicij peccati sui grauitatem; quòd peccatum ex circumstantijs talis supplicij, illico post factum illud inflicti, non possit esse aliud, nisi filium Dei occidisse?

158. Respondent obstinati Iudæi illud supplicium se meritò pati, quia præcepta Decalogi non obseruant, non verò, quòd IESVM Nazarenum occiderint. Sed contra 1. quia, vt iam supra ostensum est; iuxta Prophetas hoc illis supplicium atrocissimum Deus imposuit ob peccatum, cuius ipsos non pœnitet, & de quo nullam agunt pœnitentiam; & quod est peccatum, de quo ipsi non dolent, neque agunt pœnitentiam, nisi illud occidendi Christum, & non acceptandi illum; cum adhuc pertinaciter perseuerant in non acceptando illum, & ratam adhuc habent occisionem Christi à suis Patribus factam? 2. quot, & quàm grauia peccata contra præcepta Decalogi, imò & idololatrias ante Christi Aduentum commiserunt; & tamen, peractâ pœnitentiâ, auferebatur supplicium; nunc verò iam non committunt idololatriam vllam; nec desinũt dolere de peccatis contra 10. præcepta Decalogi, & iudicialia; & tamen nulla Natio in terris est adeò exhonorata, dispersa, & contempta, vt Hebræa; nulla, quæ Principem aliquem non habeat, & formam Reipublicæ, vt hæc miserabilis Natio: ergo non solùm habent hæc peccata, quæ alijs sunt communia, & fortasse in alijs grauiora; sed aliquod aliud peccatum, in illa specialissimum, & cæterorum omnium grauissimum, cuius ipsos nunquam pœnitet, & de quo nolunt agere pœnitentiam, quod in nulla alia Natione reperitur; quod quidem nullum aliud est, quàm peccatum non acceptandi hunc supremi Regis Dei Filium ad eos missum cum omnibus signis à Patre datis, vt eum agnoscant, & horribile sacrilegium, quo illum sine vlla causa, cùm esset innocentissimus, sanctissimus, mansuetissimus, beneficentissimus, crudelissimè occiderunt morte ignominiosissima, & immanissima propter odium, & inui-

uidiam contra authorem ſuum, qui ad eos ſaluandos veniebat; & adhuc perfidi iſti ſuorum Patrum factum horribile, & ſacrilegium inauditum ratum habent, & in illo complacent: nec ab illo eos retrahunt clamores Prophetarum, miracula Sanctorum in Eccleſia Chriſtiana, Chriſti doctrina adeò mirabilis; & cætera omnia argumenta, quibus omnes Nationes, Principes, Reges, Imperatores, ſapientiſsimi Philoſophi conuicti manus dedêre, & Chriſti Crucis imperio ſuccubuere: vnde ſicut, ſi ipſi peccatum non committerent in occidendo Chriſtum, imò eſſet obſequium, & meritum laudabile, Deus eſſet iniuſtus eos ſic puniendo, vti dicebamus; ita iniuſtus foret iudex, ſi in hoc horribili ſacrilegio obſtinatè perſeuerantes eos ſic atrociter non puniret: certiſsimum autem eſt Deum eſſe iuſtiſſimum: ergo certiſsimum eſt, illos in occidendo Chriſtum Meſsiam Deum, & hominem grauiſsimum peccatum commiſiſſe: & conſequenter ex eo, quòd Rex ille Magnus, ſcil. Deus ſic acerbè puniat Iudæos, ob factum occidendi, & non acceptandi Chriſtum dicentem ſe fuiſſe miſſum à Deo Patre ſupremo Rege; euidentiſsimum eſt illum eſſe filium Dei, verum Meſsiam, & Saluatorem mundi.

159. Tertiò, quia ſi Deus illos ſic acerbè punit non propter factum occidendi Chriſtum; quia hoc factum illorum eſſet maximus honor Dei, & laudabilis zelus gloriæ illius: in hoc oſtendunt Chriſtum grauiſsimam iniuriam intuliſſe Deo, & filio Dei, vſurpando diuinitatem Dei, & primogenituram filij eius: & conſequenter deberet Deus memoriam illius damnare, & non facere, vt Chriſtus ille in toto mundo honoretur, & à Regibus terræ adoretur, & vt omnes gentes ſeruiant ei: abſque vlla vi armorum, ſed ſolùm id ſuadentibus paucis hominibus exarmatis, egenis, & nullâ humanâ ſapientiâ obarmatis, quæ erant ſigna data à Deo per Prophetas ad cognoſcendum verum Meſsiam, vt ſupra vidimus; imò videns Deus in illo homine impleri omnia, quæ de filio Dei prædicta erant, ſi Chriſtus non foret ille filius Dei promiſſus, deberet oſten-

ostendere per efficacissima miracula Christum non esse illum Messiam promissum; quod tamen Deus non fecit, imò contrarium, faciendo innumera miracula, quibus gentes vniuersæ, & multa pars Hebræorum, commotæ sunt, vt Christum verum Messiam agnoscerent, & glorificarent, vt omnes nunc agnoscunt, & glorificant. Vnde ex hoc duo sequuntur manifestè: vel Deum non habere potentiam, & iustitiam, quia non potest impedire hanc Christi gloriam; nec punire illam iniuriam grauissimam sibi factam, si iniuria foret: vel hunc Christum verum dixisse nominando, & publicando se esse filium Dei à Prophetis prædictum: illud primum nec potest venire in mentem hominis, qui pollet vsurationis; cùm naturæ lumine sit notum Deum esse omnipotentem, & summè iustum: ergo sequitur secundum, nimirum Christum IESVM filium Beatissimæ Virginis MARIÆ esse verè filium Dei, verumque Messiam, & consequenter Messiam iam venisse, Hebræosque vanissimè, & stultissimè alium expectare. Huic demonstrationi, sicut nec alijs præcedentibus, non possunt Hebræi quidquam respondere.

CAPVT VIGESIMVM.

Proponitur vigesima probatio contra Hebræos.

160. VTor hac etiam demonstratione contra Hebræos consulendo ipsorum conscientiam, licèt obstinatione deprauatam; vnde quæro ab ipsis, an velint obtinere æternam salutem, an non? Certò scio respondere se velle æternam salutem consequi; licèt enim sperent à Rege Messia bona temporalia, etiam ab eodem sperant assequi æterna. Quibus ego replico, supposito hoc suo desiderio, debent quærere media plùs certa; qui enim studet certò finem attingere, non debet adhibere media dubia. Totum concedunt: hinc ego desumo argumentum contra ipsos: quærendo rursum ab illis, quale erit medium

cer-

certius ad infallibiliter ſalutem conſequendam? Certiſſimè reſpondebunt illud medium fore certius, & infallibilius, quo adhibito, Deus, qui dat, vel negat ſalutem ſecundùm merita vel demerita, illam iam negare non poſſit; quia ſi illam negaret merentibus, & concederet iniquis, eo ipſo foret iniuſtus, vel ſaltem infidelis; quod vtrumq; repugnat cum ſumma iuſtitia, fidelitate, rectitudineque Dei; proindeque eſt tam impoſſibile deficere rectitudinem, iuſtitiam, fidelitatemque Dei, quàm Deum ipſum deficere. His ergo ſuppoſitis tamquam certis, & non negatis à Iudæis, ponamus vnum Hebræum, & vnum Chriſtianum in fine vitæ ante Tribunal Dei, vtrumque petendo à Deo gloriam æternam; & quemlibet allegando ſuam fidei profeſſionem; (quia, vt hîc ſupponimus, ſolùm de hoc puncto ſit controuerſia) ſi Deus negando æternam ſalutem Iudæo alleganti ſuum Iudaiſmum fieret iniuſtus, & infidelis, Iudaiſmus eſſet medium infallibile, quia certiſſimum, & maximè infallibile eſt Deum non poſſe eſſe iniuſtum: & è contrario, ſi Deus negando æternam ſalutem Chriſtiano alleganti ſuum Chriſtianiſmum euaderet iniuſtus, & infidelis, Chriſtianiſmus eſſet medium infallibile, ob eandem tactam rationem; quia Deus nequit eſſe iniuſtus, aut infidelis. Ego hîc probo manifeſtè Deum fore iniuſtum, ſi propter Chriſtianiſmum damnet Chriſtianum, & propter Iudaiſmum ſaluet Iudæum. Ratio eſt; quia tunc ſententia Iudicis eſt iuſta, quando nihil poteſt opponi iudicanti, iuxta illud Pſal. 50. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris.* Sed ſi Deus vellet condemnare Chriſtianum, eo quòd Chriſtum acceptauerit, & in eum crediderit, Deus non poſſet ſatisfacere rationi Chriſtiani: nam diceret: *Deus bone, & Iudex recte: ego credidi in illum, qui habuit omnia ſigna, nullo deficiente, quæ à te per tuos Prophetas data ſunt ad cognoſcendum verum Filium tuum, & verum Saluatorem noſtrum: cur me condemnas facientem id, quod me facere præcepiſti?* Deus certè non poſſet diſſoluere hanc Chriſtiani obiectionem,

& ſic

& sic non iustificabitur in sermonibus suis, nec vincet in iudicio illo; eritque iniustus, si Christianum condemnet: sed est omnino impossibile, quòd Deus sit iniustus, aut infidelis: ergo est impossibile, quòd Christianus sequendo fidem, & doctrinam Christi damnetur. Ex alia parte Iudæus, si Deus iustissimus Iudex illum damnare velit, non potest quidquam Deo illum damnanti opponere: nam si dicat Iudæus: *Ego credidi in Deum Abraham, Isaac, & Iacob*: cur me condemnas? Deus respondebit. *Mentiris: nam Abraham, Isaac, & Iacob, Dauid, & cæteri Prophetæ credebant, & expectabant futurum filium meum, illum, qui habiturus esset omnia ea signa, quæ ego per eos prædixi, & dedi, nequis deciperetur credendo falsum pro vero; filius iste meus hæc signa ostendit, quo ad tempus nascendi, quo ad locum, quoad Matrem Virginem, quo ad Tribum, quo ad paupertatem, & humiliationem, quo ad innocentiam, quo ad miracula, & prodigia nunquam aliàs audita, quo ad doctrinam, quo ad discipulos, & Apostolos; quo ad genus mortis, quo ad fel, & acetum, quo ad resurrectionem à tot, & tantis testibus oculatis cognitam, & prædicatam, quo ad mirabilem Ascensionem ab iisdem testibus à me præordinatis visam; quo ad conuersionem gentium; extirpationem idololatriæ; & quo ad omnia, quæ in sacris literis sunt expressa, clara, & indubitabilia; cur ergo illum tu, & alij socij tui Hebræi non accepistis; imò exhonorastis, iniustè accusastis, & tanquam malefactorem, cùm esset innocentissimus, & sanctissimus; inter impios reputastis, & tandem ignominiosè, & crudeliter occidistis; & homicidam dari vobis postulastis, authoremque vitæ procurastis à peccatore, & iniquo Præside crucifigi.* Quam igitur excusationem dabunt Hebræi? certè nullam: iustificabitur ergo Deus in sermonibus suis, & vincet illos perfidos in condemnando. Si Christus non venisset, & omnia à Prophetis non implesset, excusationem haberent, dicendo se credidisse Deo Patri, Deo Abraham, & Isaac, & Iacob; nunc autem, dum non credunt Euangelio, nec credunt testamento veteri, in quo promittitur Euangelium; dum non credunt in filium, nec in

Pa-

Patrem credunt ; ſicque nullam habent excuſationem, quod optimè explicauit Saluator noſter. Ioan.15. n.22. *Si non veniſſem , & locutus fuiſſem eis , peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit: ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit , peccatum non haberent : nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum.*

161. Concludo igitur noſtram probationem contra Hebræos: ſi illi, vt dicunt, volunt feriò ſaluari; cur non aſſumunt illud medium, ſcil. Chriſtianiſmum ; cui eſt infallibiliter annexa ſalus , nec Deus poteſt quidquam in contrarium opponere , ne Chriſtianos ſaluet ? Cur perſiſtunt in Iudaiſmo ; cui poſt aduentum Chriſti , & poſt promulgatum Euangelium annexa eſt æterna damnatio; nec Hebræi poſſunt quidquam Deo opponere, ne eos condemnet ? eligere medium conducens ad æternam damnationem, & contemnere medium infallibile ad æternam ſalutem eſt velle ſeriò ſaluari ? Videant ergo Hebræi in quo ſtatu damnationis iam poſiti ſint: & per baptiſmum adhæreant Saluatori, ſi velint ſeriò ſalutem .

162. Ex hac ſupra poſita demonſtratione ſequitur alia , quæ ſit quædam præcedentis confirmatio, ſeu veluti explicatio. Qui prudenter, & rationabiliter operatur, non poteſt ab vllo Iudice rectè iudicante condemnari : ſed Hebræus ſequendo legem, & fidem Chriſti prudenter , & rationabiliter operabitur ; ergo ſequendo legem , & fidem Chriſti non poteſt à Deo condemnari : cur ergo timet ad Chriſtum conuerti ; ſi Chriſtum ſequendo non poteſt à Deo condemnari ? Maior propoſitio à nullo negatur : eſt enim per ſe clara, & lumine naturæ nota: conſequentia eſt clariſſima ; & à nullo rationis compote negari poteſt . Probatur ergo minor euidenter : quia ſuppoſito , quòd Hebræi credunt teſtamento veteri , & Prophetis , in quibus ſunt omnia ſigna veri Meſſiæ; ſi hæc omnia videantur impleta in Chriſto , vt conſtat ex dictis impleta eſſe , quis illis vertet imprudentiæ, ſi in Chriſtum credent? imò maximæ

pru-

prudentiæ illis tribuetur credere in Christum: & summæ imprudentiæ non credere. Igitur euidens est illos prudenter agere credendo in Christum; cùm autem euidens sit Deum rectissimum Iudicem non posse eos damnare, qui prudenter, & rationabiliter operantur; euidens est Hebræos sequendo Euangelium securissimè in negotio salutis æternæ procedere; & non sequendo Euangelium, infallibiliter esse damnandos: nam post Christi aduentum legem cæremonialem antiquam non solùm esse iam mortuam, sed mortiferam, Euangelium docet; vnde in sola lege Euangelica salus æterna est; Christus vnica est porta salutis; siquis per hanc portam, mediante baptismo, siue flaminis, siue sanguinis, siue fluminis, non intrauerit, non saluabitur; vt optimè Saluator noster ostendit. Ioan. 10. n. 9. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur; & pascua inueniet*, id est, salutem æternam.

163. Dicent fortasse Hebræi argumenta nostra nimium probare, & consequenter nihil probare: nam, vt vulgò dicitur, qui multum probat, nihil probat: probarent enim fidem Christianam, nostræque fidei veritatem esse euidentem; consequenterque non esse meritoriam; quia non esset libera: nam intellectus necessariò rapitur ad assentiendum vero euidenter proposito: sicut oculus apertus, & expeditus necessariò videt obiectum lucidum, & coloratum: fides autem, quæ libera, meritoriaque non est, nequit esse fides salutis æternæ: quam à nobis requirit Saluator Messias: ergo eo ipso Christiani non credunt Messiæ, non credendo ea fide, quam requirit Messias, nimirum liberâ, & meritoriâ, quæ talis esse non potest, si est de veritate euidenti; igitur eo ipso, quòd argumenta nostra probant euidenter veritatem Christianæ fidei, Christi Messiæ fidem non probant. Resp. Si Hebræi faciunt contra nos hoc argumentum, certè seipsos iugulant: nam cùm nostra fides neget ipsorum Religionem (quæ quidem religio non est, sed superstitio) si confitentur arguendo, nostram

eſse moraliter euidenter veram, oportet confiteantur ſuam eſse euidenter falſam; quod ergo eſt meliùs, & vtiliùs, ampleƈti vnam religionem euidenter veram, quam ipſi noſtram eſse ex noſtris probationibus inferunt; an euidenter falſam, qualis eſt ſua? Certè ſi ſunt rationis capaces, credo ampleƈti debere illos primam, & reſpuere ſecundam.

164. Direƈtè tamen reſpondendo argumento, dico 1. bene poſse veritatem noſtræ Religionis eſse moraliter euidentem veluti in generali; & tamen in particulari ad particularia obieƈta, & myſteria eſse obſcuram, & difficilem, quam difficultatem facit vincere pius affeƈtus credendi liber, proindeque meritorius: nam non obſtante morali euidentia veritatis noſtræ Religionis, adhuc intelleƈtus noſter inuenit difficultatem in credendo myſterium altiſſimum ſummæ Trinitatis, in quo credimus tres Perſonas inter ſe realiter diſtinƈtas, & omnes tres eſse vnum Deum realiter identificatum cum qualibet ex illis tribus Perſonis, quod quidem videtur opponi principio illi philoſophico: *Quæ ſunt idem in vno tertio, ſunt idem inter ſe*; & tamen pius affeƈtus credendi facit, vt intelleƈtus reijciat, vel explicet illud philoſophicum principium, & aſsentiatur firmiſſimè veritati illius ineffabilis myſterij. Deinde difficile videtur, quòd Deus immortalis, impaſſibilis, infinitus, æternus, immenſus, faƈtus ſit homo mortalis, paſſibilis, finitus, temporalis, loco terminatus, quin Deus amittat illa diuina attributa; & tamen pia affeƈtio ſupernaturalis facit, quòd intelleƈtus ſupernaturaliter illuſtratus credat Myſterium Incarnationis; idem de partu Virginis MARIÆ, ante, & in partu, & poſt partum Virginis; idem de Myſterio Sanƈtiſsimæ Euchariſtiæ, in qua virtute conſecrationis panis in Corpus Chriſti, & vinum in Sanguinem conuertuntur.

165. Igitur non obſtante hac euidentiâ morali in generali circa veritatem noſtræ Religionis Chriſtianæ, poteſt in illa dari fides meritoria ex pia affeƈtione ſupernaturali

rali imperante intellectui supernaturaliter illustrato, vt assentitur mysterijs à Deo reuelatis; semper enim in illis inuenitur obscuritas, & difficultas vincenda. 2. dico aliud esse euidentiam credibilitatis, aliud verò euidentiam veritatis obiectorum, quæ proponuntur ad credendum. 1. euidentia versatur circa motiua credibilitatis, quæ stare potest cum obscuritate obiectorum, quæ proponuntur ad credendum: euidentia enim obiectorum, quæ hîc in via creduntur, solùm in patria, vbi non est fides, reperitur: quare euidentia credibilitatis requiritur, vt nostra fides non sit temeraria, sed prudens: & ideo priùs, quàm credamus in Christum, instruimur in mysterijs credendis, & inuenimus rationes euidentes credibilitatis, ne cæco modo, & temerè procedamus; & sic dicimus: euidens est illum prudenter agere, qui amplectitur Christianam Religionem: non tamen dicimus: Mysteria, quæ credimus, sunt nobis euidentia: imò licèt aliqua mysteria sint nobis euidentia, vt existentia, & vnitas Dei, eiusque sanctitas, fidelitas, iustitia, immensitas, & cæteræ aliæ diuinæ perfectiones; semper tamen reuelatio, seu locutio diuina, sine qua fides diuina non datur; (solùm enim credimus loquenti per se, vel per alium) semper, inquam, nobis obscura est: ergo semper intellectus, non inuenta claritate in obiecto, erit indeterminatus ad assentiendum; proindeq; indiget, vt à pia affectione libera determinetur ad assentiendum: & consequenter malè inferunt Hebræi in nostra Religione ex euidentia credibilitatis destrui meritum credendi.

166. Ex quo patet peccare mortaliter Hebræos non amplectendo nostram fidem Christianam; quia motiua credibilitatis sunt euidentia, euidensque est penetratis his motiuis, prudentiam esse credere, & fatuitatem, temeritatemque non credere. Quòd si illi hæc motiua non penetrent; id culpæ, culpabilique ignorantiæ illorum tribuendum est: cur enim motiua illa non considerant? cur Scripturas Sacras veteris testamenti non legunt, & cur il-

las cum nouo teſtamento non conferunt? cur non attendunt ad miracula adeò extraordinaria in Eccleſia Chriſtiana, ad ſanctitatem in illa obſeruatam, ad perfectionem Chriſtianiſmi; ad teſtimonia tot martyrum, tam ex gentibus à Gentiliſmo, quàm ex Hebræis à Iudaiſmo ad fidem Chriſti Saluatoris noſtri conuerſis? ad mirabilia virtutum exempla prodigijs toties manifeſtata, & confirmata, & facta in nomine Chriſti, ad dæmonia, quæ audito Sacroſancto, & venerabili nomine IESV expaueſcunt, & fugiunt? Cur non attendunt ad alia infinita motiua, & indicia, quæ ſtare non poſſunt ſine veritate noſtræ Religionis, & ſine clara manifeſtatione, quòd ex Deo ſint; quod etiam cæci vident, & dicunt: ſi non eſſet hîc à Deo, non poſset facere quidquam.

167. Dicent hanc ignorantiam culpabilem ad ſummum poſſe reperiri in Hebræis doctis; in rudibus autem poſſe dari ignorantiam inuincibilem; atque adeò non peccare, fidem Chriſti non amplectendo. Reſp. Iam ſaltem doctos à peccato non excuſari fateri Hebræos; cur ergo ſaltem docti omnes non amplectuntur noſtram fidem Chriſtianam, cùm hi non poſſint allegare ignorantiam inuincibilem? Deinde dico, quo ad rudes Hebræos generaliter hodie non poſse allegare inuincibilem ignorantiam. 1. quia fides Chriſtiana in toto orbe, vbi ipſi ſunt diſperſi, eſt promulgata, & ſufficientiſſimè propoſita. 2. quia vident, & optimè ſciunt plurimos ex Hebræis ipſis conuictos veritate noſtram fidem fuiſse amplexos, & pro illa tuenda multos paſsos ſtrenuè martyrium, alios verò inſignia virtutis monumenta poſteris reliquiſse; cur non adhærent his, & cur ſequuntur illos ad perditionem? cur obſtinatè procedunt? cur non inquirunt veritatem? Nec poſsunt dicere, ſe ex ſua Religione conſtringi, ad reſiſtendum cuicunque dubio occurrenti in oppoſitum tanquam ſuggeſtioni, tentationique contra fidem ſuorum Patrum; ſicut nos Chriſtiani reſiſtimus ſimilibus contra noſtram fidem ſuggeſtionibus: nam cùm ipſi credant

Meſ-

Messiam venturum, & illis dicatur iam venisse, cur non inquirunt, an iam venerit? an signa à Deo data iam sint impleta? & an ipsi sint decepti non credendo venisse? Nonne Deus illis præcipit in scripturis, vt Messiam acceptent venientem? Cur ergo non examinant, vtrum sit iste, an non? Excusationem certè non habent de peccato suo: procurent instrui, & postquam fuerint instructi, & bene informati, tunc cuilibet suggestioni contra fidem Christianam semel susceptam resistant, sicut faciunt Christiani.

168. In particulari autem, si aliquis haberet ignorantiam inuincibilem; quod credo pro hoc statu rerum raró posse contingere; si tamen illam habeat; tunc peccatum non habere ex conscientia erronea inculpabili; attamen cùm difficile sit saluari sine Sacramẽtis à Christo institutis, defectu horum mediorum peribit; & sic omnes Hebræi damnantur; Infantes, qui moriuntur sine batpismo, & circumcisio non illis iam prodest; & sic damnantur pœnâ æternâ damni; adulti, quia nec habent ignorantiam inuincibilem, nec vllo modo veram fidem, sine qua impossibile est placere Deo: & omnibus dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Ioann. 3. numer. 5. *Et qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*. Igitur, ò Hebræi, si magna est imprudentia, ac temeritas opportuna remedia negligere; & euidens est in Christiana Religione secura media reperiri: cur, dum dicitis seriò vos desiderare salutem, non accipitis Saluatorem?

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Proponitur Corollarium totius doctrinæ, & concluditur demonstratio in principio huius operis proposita.

169. IN principio primi libri proposuimus Hebręis Messiam absolutè non negantibus, illum tamen

men adhuc venturum expectantibus demonstrationem irrefragabilem; qua demonstratur iam Messiam venisse, & esse Christum IESVM Filium Dei eiusdem numero Essentiæ cum Æterno Patre, & filium Beatissimæ Virginis MARIÆ eiusdem specie naturæ humanæ cum Matre. Demonstratio est hæc: Supposito, quòd in sacris literis promittitur Messias, vt etiam Hebræi confitentur; ille est verus Messias, cui competunt omnia, quæ de vero Messia literæ sacræ, Prophetæque diuino afflati numine prædixere: sed hæc omnia plenissimè, nulloque deficiente, competunt Christo IESV Filio Sanctissimæ, & semper Virginis MARIÆ Dominæ nostræ, ex qua natus est in Bethlehem à 1693. annis: ergo hic est verus Messias, & ex illo tempore iam venit, mundumque suo pretiosissimo Sanguine redemit. Maiorem propositionem, & consequentiam non negant Hebræi: sed dubium solùm ponunt in minori: hæc tamen minor propositio in toto hoc opere manet euidenter demonstrata, & omnis pertinacia Iudæorum clarissimè conuicta: siquidem in toto hoc opere allegata sunt omnia illa Sacræ Scripturæ loca, quæ de Messia Sanctissimo clarissimè loquuntur; & exposita non ex nostro cerebro, sed ex ipsismet Rabbinis; & ideo ex consulto non adduximus expositiones Doctorum Christianorum, vt Hebræi nullum habeant subterfugium; & illorum aliquas falsas explicationes, vel quia illas vt falsas, & implicatorias ipsi etiam cordatiores, sapientioresque Rabbini reijciunt, vel quia ipsi sacro textui apertè repugnant, nos reiecimus; quæ omnia loca sacra in sensu vero, germanoq; exposita non alteri, quam Christo Domino aptari posse euidenter ostendimus. Igitur Hebræi victi, & conuicti dent manus; desinant iam expectare illum vt venturum, qui iam venit, & ipsos ille expectat, vt conuertantur; & aduertant ad illud, quod ipse dixit per suum Prophetam: Vos expectabitis me, & ego expectabo vos. Quid amplius expectant Hebræi? Nam ille, quem ipsi expectant, vel habebit omnia, quæ iste habet, & prædicta

sunt

ſunt à Prophetis, vel non habebit: ſi non habeat omnia à Prophetis prædicta, eo ipſo Meſſias non erit; ſi habeat omnia, (quamuis habere omnia, quæ Prophetæ dicunt, iam eſt impoſsibile) ſaltem iam venire alter non poteſt tempore deſtinato, quod iam tranſijt, vt demonſtratum eſt ſupra; & tempus, quod tranſijt, redire non poteſt: ſed ſi per impoſsibile ille, quem ſpectatis, ò Hebræi, veniat; quare illum recipietis, & hunc non recipitis? Hic certè habet omnia, quæ Prophetæ dicunt habere debere verum Meſſiam: ſiquidem Prophetæ dicunt 1. Meſsiam debere eſſe Deum, & hominem, vt probatum manet in libro 1. cap.1. 2.3.4.5.& 6.7.8.9.10. Chriſtus autem verus eſt homo, vt vos Hebræi non negatis; & verum eſſe Deum oſtendunt opera, quæ ipſe fecit, quæ purus, ſimplexque homo facere non poſſet; & quia peccata remittebat, quæ ſolus Deus poteſt remittere; & vt ſciretis, quòd verum erat peccata remitti, quando ipſe peccata remittebat, hoc confirmabat ſtupendis miraculis, quæ naturæ viribus fieri nullo modo poterant. Vt conſtat ex Matth. 9. nu.6. *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: & ſurrexit, & abijt in domum ſuam.* Ex ſanato miraculosè corpore probatur ſanitas animæ à morbo peccati; ex ſanata anima à peccato Chriſti Diuinitas comprobatur, vt ipſimet Hebræi confitebantur dicentes: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

170. Dicunt 2. Prophetæ: Meſsiam Virginis filium eſſe debere, & id impletum eſſe in Chriſto conſtat ex lib. 2. c.1. & 2. Dicunt 3. naſci debere Meſsiam in Bethlehem, & pauperem, & id fuit impletum in Chriſto, vt conſtat ex eodem 2. lib. cap.3. & 4. Dicunt Prophetæ 4. Meſsiam facturum miracula; item vendendum eſſe, ſeu emendum per Iudæos, & propter hoc peccatum à Deo eſſe deſerendos. Totum conſtat ex eod. lib.2. cap.5. & 6. Dicunt 5. Chriſtum paſſurum eſſe mortem ignominioſam, opprobrijs plenam, & mortem crucis, item fel, & acetum illi dandum; & in

mor-

morte eius Solem eſse obſcurandum; & id impletum eſſe in Chriſto Domino. Totum conſtat ex eod.lib.cap.7. 8. 9. 10. Dicunt 6.Meſsiam reſurrecturum ex mortuis, aſcenſurum in cœlum, vt ſederet ad dexteram Patris; & poſtea gentes ad Chriſtum conuertendas. Conſtat ex eod. lib. 2. cap.11.12.13. & dubia, quæ opponunt Hebræi, vana eſse, & futilia manifeſtè oſtenditur in libro 3.per totum.

171. Denique ex multis alijs probationibus clariſsimis ex Prophetis, Pſalmis, alijſque Sacræ paginæ locis in toto quarto libro manet demonſtratum non poſse alium eſse Meſsiam, niſi Chriſtum IESVM Saluatorem noſtrum: & in illo impletas omnes prophetias, ita vt ſi Deus alium mitteret; in quo reperirentur omnia, quæ in Chriſto Domino viſa ſunt; eſsent homines confuſi, indeterminati, & ſuſpenſi, nec poſsent ſcire, quis eſset verus, vel falſus, proindeque tota fides, & religio de medio tolleretur; ſcripturæ ipſæ ad nihil inſeruirent, & Deus mendax redderetur: multiſque eſset erroris occaſio; nulla eſset certa regula fidei; multaque alia forent abſurda, quæ ab hominibus vitari nullo modo poſsent. Velit Deus propter ſuam infinitam miſericordiam, & pietatem illuminare hos miſeros, & obcæcatos Hebræos, ne in hac ſua cæcitate, & obſtinatione pereant, & poſsint iam audire vocem illam, clamoremque Prophetæ dicentis: *Surge, & illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.*



APPEN-

APPENDIX.

Pro ineffabili Sanctissimæ Trinitatis Mysterio.

1. ONSVLTO doctrinam hanc de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis ad finem huius operis reseruaui: cùm enim hoc Mysterium altissimum Filius Dei nobis clariùs in sacro suo expresserit Euangelio, oportuit priùs Hebræis monstrare hunc Filium Dei, vt ex hoc tanto Magisterio firmiùs huic ineffabili mysterio assentirentur. Igitur ad illud mysterium, quod quidem superat omnem creatæ mentis intelligentiam triplici genere probationis vtemur. 1. ex authoritate Sacræ Scripturæ veteris testamenti. 2. ex authoritate Sacri Euangelij, ac ex testimonio expresso Filij Dei. 3. confirmabitur etiam ex ipsismet Rabbinis, ex multis figuris, & exemplis, & ex aliquot rationibus Theologicis, quibus potiùs declarare, quàm probare tanti Mysterij maiestatem contendemus.

2. Supponendum priùs est: neminem posse saluari, nisi firmiter, & indubitabiliter credat hoc ineffabile Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, siue hoc sit de necessitate præcepti, siue de necessitate medij; de quo hìc non est disputandum, sed id relinquimus Theologorum iudicio; de quo nos latè disseruimus in nostro tractatu de fide manu scripto; quem typis tradere Deo fauente, procurabimus. Supponendum 2. fideles non teneri inquirere, nec fatigari, lassariue, quo pacto hoc mysterium à sacris Theologis explicetur; hoc enim spectat ad scholas, non ad exercitium fidei, præsertim apud simplices, idiotasque fideles; sed satis

est credere tres Personas diuinas distinctas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & vnum Deum: à singulis illis personis realiter indistinctum. Vnde numerus solùm versatur circa diuinas relationes, Patris, Filij, & Spiritus Sancti; vltra has relationes numerus realis dari nequit: quare in tribus Personis diuinis vna est natura, vna diuinitas, vna essentia, vna scientia, vna omnipotentia, vna æternitas, vna immensitas, & sic solùm potest proferri: Tres sunt Personæ diuinæ, sed omnes tres sunt vnus Deus, vnus sciens, vnus Omnipotens, vnus Æternus, vnus Immensus; & sic de cæteris Attributis Diuinis. Pater generans, & non genitus; Filius genitus, & non generans; Spiritus Sanctus à Patre, & à Filio vt ab vnico principio, & virtute spiratiua procedens, non genitus, nec generans. His ergo suppositis sit

§. I.

Probatur hoc Trinitatis Mysterium ex authoritate Sacræ Scripturæ veteris testamenti.

3. EX authoritate veteris testamenti probatur in Diuinis dari Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; Filium generari à Patre; & consequenter esse à Patre distinctum: qui enim realiter generat, necessariò debet distingui ab eo, quem generat; siquidem nemo seipsum generat, sed ab alio oportet generari; probatur item in sacris veteris testamenti literis Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio, & consequenter ab illis distingui; qui enim realiter procedit ab alio, necessariò debet realiter ab illo distingui: siquidem nemo à seipso realiter procedit; sed ab alio oportet procedere, seu produci. Deinde ab eadem scriptura veteris testamenti probatur quamlibet ex istis Diuinis Personis realiter, & essentialiter esse Deum: tandem ab eadem scriptura veteris testamenti, imò & ab ipso lumine naturæ demonstratur non posse dari plures

Deos;

Deos; sed oportere vnicum esse Deum: ergo ex ipso etiam veteri testamento probatur Sacrosanctum Mysterium Trinitatis, scil. tres Personæ, & vnus Deus: vnde si Hebræi attentè legerent scripturam veterem, Mysterium Trinitatis impiè non negarent.

4. Et in primis, quòd Pater sit Deus, non opus est id Hebræis multa contentione probare, & illos ad hanc veritatem persuadere: nam id ipsi Hebræi confitentur. Quòd Filius sit Deus, ex testamento etiam veteri manifestè manet probatum in 3. libro, ideo superfluum est textus sacros hîc repetere. Quòd Spiritus Sanctus sit Deus, probatur 1. ex Isaia cap. 48. n. 16. *Accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abscondito locutus sum. Ex tempore, antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.* Vbi Isaias in persona Messiæ loquitur, dicens: *Accedite ad me*, quod impletum est, quando dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: Non à principio in abscondito locutus sum*, quod impletum est in Christo, quando dixit. Ioan. 18. n. 20. *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil: Ex tempore, antequam fieret, ibi iam eram.* Id est, multo antequam res fieret, ibi non iam; quia Christus, vt Deus æternus, est coexistens omnibus temporum differentijs duratione æterna realiter indiuisibili: Deus enim semper fuit, est, & erit, omnia videns. *Et nunc Dominus Deus misit me*; id est, Pater misit me filium, *& Spiritus eius*; id est, tertia Persona diuina, quæ licèt non potuerit mittere Filium interna missione, & processione ad intra: quia Filius à sola prima Persona, & non à tertia procedit; at potuit Christum mittere, vt hominem externa missione, & processione ad extra: quia actiones ad extra sunt toti Trinitati communes; & ideo Christus ab Spiritu Sancto fuit ductus, missusque in desertum, iuxta illud: *Ductus est IESVS à Spiritu in desertum, &c.* Deus est, qui misit Christum, & non creatura aliqua; sed Spiritus Sanctus misit Christum,

vt hîc dicit Propheta in persona Christi; ergo Spiritus Sanctus est Deus: vnde meritò ex hoc textu colligunt nostri Doctores tam Græci, quàm Latini apud nostrum Cornelium in hunc locum, Mysterium Trinitatis: nam qui misit, est Pater, qui missus fuit, est Filius, & qui illum vt hominem misit, est Spiritus Sanctus; & ideo licèt tres personæ ibi dicantur; non dicitur tamen: *Miserunt*, sed, *Misit*: propter vnitatem Naturæ Diuinæ: non potest igitur negari ab Hebræis diuinitas, & personalitas Spiritus Sancti; nec etiam ineffabile Trinitatis Mysterium negare debent in sacris veteris testamenti literis contineri.

5. Dicunt Hebræi nos gratis dicere in hoc textu loqui Messiam, cùm tamen apertè videatur Isaias loqui de seipso. Resp. 1. dato, quòd Propheta ibi de seipso loquatur; quòd etiam literaliter sumi de illo textum affirment aliqui Doctores Christiani apud Cornelium à Lapide in hunc locum; non potest tamen negari saltem figuratiuè sub persona Isaiæ intelligi Christum Messiam: qui quidem in sacris literis aliquando in sensu literali, aliquando figuratiuo prædicitur, vt ipsimet Rabbini passim fatentur, & ex toto hoc nostro tractatu clarissimè constat. Deinde licèt in hoc textu Filius literaliter non exprimatur; attamen prima Persona, scil. Pater; & tertia, scil. Spiritus Sanctus ibi exprimuntur; vnde recurrit nostrum argumentum; quod, scil. Spiritus Sanctus sit Deus; cùm ibi etiam iuxta ipsos dicatur mittere Isaiam; non posset autem illum mittere, nisi esset persona per se subsistens; sed non est persona creata: ergo increata, & diuina, & consequenter Deus.

6. Resp. 2. etiam in sensu literali intelligi textum de Messia. 1. quia verba illa textûs nu. 12. *Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco: ego ipse, ego primus, & ego nouissimus: manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos*; non possunt intelligi de Isaia, qui non est primus, & nouissimus, nec ipse fundauit terram, aut cœlos creauit; bene tamen de Filio Dei Christo vero Messia; quia in Scripturis Sacris dicitur Alpha, & Omega, Principium,

& fi-

& finis; primus, & nouiſſimus; & qui cum Patre ſimul, & Spiritu Sancto omnia creauit, & de quo dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil.*

7. Secundo, quia verba illa, *Ex tempore, antequam fieret, ibi eram*, non poſſunt vllo modo intelligi de Propheta: quia tempore illo, quo lex in monte Synai data fuit; prout intelligit verba illa Rabbi Salomon, non poterat ibi eſſe Iſaias, qui nondum erat, bene tamen Filius Dei, qui æternus eſt Deus, & erat ibi, & ab æterno fuerat: & conſequenter Spiritus ibi, vt falsò dicebat Rabbinus ille, non poteſt intelligi aliquis Angelus mittens Iſaiam: quo pacto enim tunc ab aliquo Angelo mitteretur Iſaias, ſi Iſaias nondum natus erat tempore legis primò datę in monte Synai? Vidit hanc difficultatem Rabbi Salomon, & reſpondit in tempore illo in dicto monte Synai fuiſſe animas omnium Prophetarum; ſupponens omnes animas hominum à principio fuiſse creatas, qui eſt error Pythagoricus, quem ſecutus eſt Origenes. Hic tamen error damnatus eſt ab Eccleſia: & eſt manifeſtè contra Sacram Scripturam Zachariæ cap. 12. n. 1. *Onus verbi Domini ſuper Iſrael, dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens*, id eſt, creans *Spiritum hominis in eo*. Nota, *in eo*, quando eſt, & non extra eum quando nondum eſt: Si ergo anima Iſaiæ, aliorumque hominum non creantur à Deo, niſi quando fingitur, id eſt, formatur corpus organicum hominis, quo pacto iam erat anima Iſaiæ, tanto tempore, antequam crearetur, & exiſteret Iſaias? Manifeſtum igitur eſt verba illa de ſolo Filio Dei intelligi, vtpote ſemper exiſtenti ab æterno, & non de Propheta; qui longo poſtea tempore genitus fuit.

8. Vt autem bene intelligas, quando Prophetæ loquuntur de eo, qui à Deo mittitur, ſemper cenſeri loqui de Meſſia ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis: vide id clariùs in Propheta Zacharia cap. 2. n. 10. *Lauda, & lætare, filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus: & applicabuntur gentes multæ ad Dominum*

in die illa; & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui; & scies, quia Dominus exercituum misit me ad te. Hic textus absque vllo dubio loquitur de Christo à Patre mittendo in terras ad conuertendas etiam gentes,& ex illis faciendum populum suum Christianum: sed eodem modo loquitur Propheta de Patre mittente, in Isaiæ cap. 48. Ergo in vtroque textu loquitur de mittendo Christo Domino, & non de mittendo Propheta: proindeque falsa est expositio illius Rabbini dicentis intelligi ibi mitti Isaiam ab Spiritu Angelico; bene tamen intelligi de Christo secunda persona Sanctissimæ Trinitatis mittendo à Patre,& ab Spiritu Sancto: mittendo, inquam, per Spiritum Sanctum, vt homine: ergo non debent Rabbini negare Spiritum Sanctum tertiam Personam Sanctissimæ Trinitatis in testamento veteri contineri.

9. Probatur 2. ex eodem Propheta Isaia cap. 44. nu.3. Vbi Pater promittit se effusurum Spiritum Sanctum suum super terram sitientem, id est, super gentes, quæ ante baptismum erant terra sitiens, & arida; item super ipsos Hebræos, qui semen Abrahæ sunt, daturum benedictionem suam, id est, Messiam, per quem gentes omnes benedicentur, & sanctificabuntur: *Effundam aquas super sitientem; & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Vbi Pater effundit, Filius benedicit, Spiritus Sanctus irrigat, & consequenter non solùm Pater est Deus, sed Filius, & Spiritus Sanctus; si enim Filius à Patre generatus, Deus est; Spiritus Sanctus à Patre, & Filio productus, Deus erit: siquidem si Filio communicat intellectum, qui idem est cum natura Diuina Patris; etiam Spiritui Sancto communicat voluntatem, quæ idem realiter est cum eadem natura Patris, & Filij: igitur ex mente Prophetæ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eandem habent naturam Diuinam: ergo omnes tres Personæ idem sunt Deus: quia eandem habent diuinam naturam.

10. Probatur 3. Ex eodem Isaia cap. 61. n. 1. *Spiritus*

Domi-

Domini super me; ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Vbi exprimitur Pater, cuius est Spiritus, & Filius, super quem descendit Sanctus ille Spiritus; & ipse Filius dicitur mittendus ad Euangelizandum, ad remittendum, ad soluendumque vincula eorum, qui in carcere diaboli vincti erant. Sed Pater est vna persona distincta, & Deus, vt etiam Hebræi fatentur: Filius est persona distincta, & Deus, vt in 1. libro manet ostensum: ergo Spiritus Sanctus est tertia persona distincta, & idem Deus.

11. Probatur 4. ex Ioël.cap.2.num.27. *Et scietis, quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non confundetur populus meus in æternum: & erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem; & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, &c.* Id est: Ego ipse Deus, & Dominus vester factus homo in medio vestri ero, vos docebo, & Regnum Dei prædicabo, & effundam post hæc, & mittam Spiritum Sanctum: & populus meus Christianus non erubescet meum Euangelium sequi, & in æternum me sequetur, quin vnquam pœniteat ipsum, quòd legem gratiæ, præcepta, & consilia mea susceperit. Vnde in prædicta prophetia exprimitur secunda persona missa à prima; & tertia persona missa à prima, & à secunda. Sed secunda persona à Patre missa est Deus, vt ait Propheta: *Ego sum in medio Israel: & ego Dominus Deus vester*: ergo & tertia Persona missa à prima, & à secunda, etiam est Deus; & consequenter diuinitas Spiritus Sancti in hac prophetia significatur: non enim vult dicere Propheta Deum effusurum, seu missurum in homines Spiritum Angelicum, qui non est tam propriè Spiritus Dei, sed Spiritum increatum, & verè Deum.

12. Probatur 5. ex Aggæo Propheta c. 2. num. 6. *Et Spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.* Vbi Persona Patris loquitur ad Ecclesiam, & præcipuè ad Apostolos; quando propter furorem, rabiemque Iudæorum,

rebel-

rebellium, & Messiam negantium, Christianosque persequentium erant timore perculsi, quibus Pater Æternus ait: *Nolite timere*, quia vobis mittam Spiritum Sanctum, qui erit in medio vestri, & expellet à vobis omnem timorem: quod impletum est in die Pentecostes, 10. dies post admirabilem Ascensionem Christi in cœlum, vt narrat historia Euangelica. Actor. c. 2. ex illaque hora sublatus est omnis timor ex Apostolis, & publicè in Ierusalem prædicarunt Euangelium; & D. Petrus in vna prædicatione tria millia Iudæorum ad fidem Christi conuertit. Actorum 2. num. 41. Et in eadem prophetia num. 8. loquitur de Messia venturo. *Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum*. Vbi vides tres Personas diuinas, scil. Patrem, qui loquitur: Filium, qui est desideratus cunctis gentibus: Spiritum Sanctum, Spiritum Amoris, qui expellit timorem, iuxta illud: charitas expellit omnem timorem: & ideo ait: *Spiritus meus erit in medio vestrûm, nolite timere*. Nec dicas eas missiones fuisse per gratiam, & sic non probare mysterium Trinitatis. Nam eo loco Spiritus Sanctus in medio eorum ostenditur effector gratiæ expellentis timorem: ergo Deus bene declaratur: solus enim Deus est principalis author gratiæ.

13. Probatur 6. ex Psal. 50. num. 14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Vbi Dauid à Patre æterno primâ Personâ Sanctissimæ Trinitatis postulat, vt sibi concedat Saluatorem, qui est secunda Persona, & ipsum confirmet Spiritu Sancto, Spiritu principali, qui est tertia diuinæ Trinitatis Persona. Vnde in hoc Psalmo, & in multis alijs veteris testamenti locis, quæ ego breuitatis causâ omitto, Spiritus Sancti diuinitas, tertiaque personalitas, siue hypostasis comprobatur.

14. Concludamus igitur primam Mysterij Trinitatis probationem ex veteri testamento. Ex illo constat Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum Sanctum esse Deum; vt hucusque probauimus manifestè ex ipsa scri-

ſcriptura veteri: deinde conſtat ex eadem veteri ſcriptura illas perſonas eſſe inter ſe diſtinctas realiter: quod etiam patet ex illo Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*; in quo Pater dicitur loqui Filio; nemo autem loquitur ſibi, ſed alteri diſtincto: deinde Pater dicitur effundere, ſeu mittere Spiritum Sanctum, vt patet ex illo, *effundam ſpiritum meum, &c.* Nemo autem mittit ſeipſum, ſed alium à ſe diſtinctum: vnde ſi Spiritus Sanctus diſtinguitur à Patre diſtincto à Filio, etiam diſtinguitur à Filio; & ſic ex ſcriptura veteri omnes tres Perſonæ noſcuntur diſtinctæ realiter inter ſe. Deinde, quòd non poſſint eſſe tres Dij, conſtat non ſolùm ex lumine naturali, ſed ex ipſa veteri ſcriptura Deuteronomij cap. 6. nu. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* Et nota mirabilem modum loquendi Sacræ Scripturæ, dum ter dicit: Dominus, Deus noſter, Deus vnus. 1. Pater, qui eſt prior origine, licèt æternitate coæuus. 2. Filius, qui ſpecialiter dicitur noſter, quia aſſumpta ex nobis humanitate factus eſt Saluator, & Redemptor noſter. 3. Spiritus Sanctus, & omnes tres perſonæ dicuntur vnus Deus: ſed myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis nihil aliud eſt, quàm tres Perſonæ diſtinctæ realiter, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus Deus: ergo in veteri ſcriptura Myſterium Trinitatis clariſſimè probatur. Legant ergo Iudæi Sacram Scripturam attentè, & feriò inquirentes veritatem; & Myſterium ineffabile Sanctiſſimæ Trinitatis non negabunt.

§. II.

Proponitur ſecunda probatio ex veteri teſtamento, qua probatur Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

15. HÆC ſecunda probatio ſumi poteſt ex capite 1. Geneſis: *In principio creauit Deus Cælum,*

lum ,*& Terram*. In quibus verbis meritò Doctores tam Hebræi, quàm Christiani multa reperiunt mysteria. Et in primis in illis verbis, nomen Elohim, id est Dij, est numeri pluralis, & verbum barà, id est, creauit, est numeri singularis. Vnde cum maximo mysterio positum est nomen plurale, vt significaret pluralitatem Personarum; & verbum *Creauit* in singulari, vt significaret vnitatem vnius naturæ diuinæ singularissimæ, & vnius omnipotentiæ creantis in tribus Personis.

16. Eodem modo mysteriosa fuit illa positio nominis Elohim in numero plurali, ad significandam pluralitatem Personarum: ad quod intelligendum supponendum est duobus modis in Sacra Scriptura veteris testamenti poni vocabula numeri pluralis iuncta cum verbo, vel adiectiuo. 1. modo, quando illud vocabulum numeri pluralis non habet singulare; & tunc sine vllo mysterio ponitur plurale nomen iunctum verbo, vel adiectiuo singulari. Ratio est: quia cũ illud vocabulum, seu nomen non habeat singulare, accommodatur verbo, vel adiectiuo, ita vt si verbum, vel adiectiuum sit numeri singularis, nomen illud supponat pro singulari, licèt alioquin significet pluralitatem: si verò iungatur cum verbo, vel adiectiuo numeri pluralis; nomen illud supponat pro plurali. 2. modo, quando nomen illud numeri pluralis habet, vel supponit dari aliud nomen eiusdem significationis, sed significans singulare: v. gr. nomen plurale, homines, supponit nomen singularis numeri, homo. Et in casu, quando nomen numeri pluralis adiungitur verbo, vel adiectiuo singulari in Sacra Scriptura, semper habet aliquod mysterium. Quo supposito, dico: nomen Elohim est nomen pluralis numeri, supponit tamen dari nomen Eloha, quod est nomen numeri singularis: vnde quando sine vllo mysterio ponitur, Elohim plurale semper coniungitur verbo, vel adiectiuo numeri singularis: vnde cùm Elohim, quod pluralitatem significat, adiungitur verbo singulari, nunquam sic coniungitur

tur sine aliquo mysterio. Igitur mysterium est in illa locutione, Elohim barà, *Dij creauit*, vt fiat hic sensus: *Tres personæ, seu plures personæ vnus Deus omnipotens creauit:* ergo in illo modo loquendi, illud, Elohim, siue *Dij creauit*, necessariò significati: *plures personæ vnus Deus creauit*; quod idem est, atque Trinitas vnus Deus omnipotens creauit; aliter sensus redderetur ineptus: ergo ex illo textu sufficienter significatur mysterium Trinitatis, id est, vna Deitas cum pluralitate Personarum. Probatur hæc doctrina 1. ex Deuteronomij cap. 32. num. 18. *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Vbi cùm significare vellet Deum in singulari, posuit Eloha significans Deum in singulari, & non Elohim, quod significat pluralitatem. 2. ex Psal. 49. num. 22. *Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum:* Vbi similiter posuit Eloha numero singulari. 3. ex Psal. 113. num. 7. *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob*. Et in multis alijs versiculis huius Psalmi, semper ponitur Eloha ad significandum Deum in singulari. At verò quando voluit significare Deum Trinum, non posuit Eloha, sed Elohim, vt patet ex Psal. 17. num. 32. *Quis Deus* (ponitur ibi nomen Elohim) *præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?* id est, quis est Deus, nisi ille, qui est trinus, & vnus? Ergo similiter, ponens *Elohim creauit*, voluit significare pluralitatem personarum; si enim voluisset significare vnam tantùm Personam in singulari, non poneret Elohim numeri pluralis, sed Eloha numeri singularis. Igitur, dicens Elohim barà, id est, Dij creauit, mysterium Trinitatis ostendit.

17. Dices. Si hoc ita esset, inueniretur hoc nomen Elohim in Sacra Scriptura aliquoties coniunctum cum verbo, vel adiectiuo numeri pluralis: Resp. Ita esse, vt patet 1. ex Psal. 57. num. 12. Vbi textus Hebraicus habet sic. *Vtique sunt Dij iudicantes eos in terra*. 2. ex Ierem. 23. n. 36. *Præuertistis verba Dei viuentis, Domini exercituum Dei nostri*. Vbi Hebraicus textus habet Elohim numeri

pluralis coniunctum cum adiectiuo plurali, viuentes, & pronomine, nostri. 3. ex Iosue cap. 24. num. 19. 4. ex Deuteronom. 4. num. 7. 5. ex Samuel. 4. num. 8. in quibus locis nomen Elohim numeri pluralis coniungitur cum adiectiuo pluralis; quòd verò coniungatur etiam cum verbo numeri pluralis, constat 1. ex Genes. cap. 20. num. 11. & cap. 35. num. 7. 2. ex Samuel. cap. 4. num. 7. 3. ex 2. lib. Regum cap. 7. num. 23. Ex quibus constat semper nomen Elohim significare pluralitatem: vnde quoties Elohim iungitur alicui verbo numeri singularis, vt quando in Scriptura Sacra legitur: Elohim dixit: semper ibi intelligitur mysterium Trinitatis, tres, scil. Personæ, & vnus dicens, vel creans: ac proinde cùm in cit. cap. 1. Genes. dicitur. *In principio creauit Elohim*, intelligitur, *Tres Personæ vnus Deus omnipotens creauit cælum, & terram.* Idem legitur Malachiæ cap. 1. num. 6. *Si ego Dominus sum, vbi est timor meus?* Vbi textus Hebraicus, habet; *Elohim ego sum, &c.* id est, si ego Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnus sum Deus; & idem in alijs locis Sacræ Scripturæ passim reperitur. Ergo mysterium Sanctissimæ Trinitatis in testamento veteri contineri negare non possunt Hebræi, si legant, & intelligant scripturas.

§. III.

Proponitur tertia probatio, qua probatur Mysterium Sanctissimæ Trinitatis ex veteri testamento.

18. TErtia probatio huius ineffabilis Mysterij desumitur. 1. ex illis verbis Genesis cap. 1. n. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Et subiungit num. 27. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam.* Dum dicit, *faciamus*, denotat pluralitatem Personarum; dum dicit, *Creauit*, significat vnitatem essentiæ, natu-

naturæque diuinæ. Vnde 1. colligitur ex eo facro diuini textûs oraculo venerabile Sacrofanctæ, & indiuiduæ Trinitatis myfterium.

19. Opponunt Hebræi 1. dici, *Faciamus*: quia licèt Deus fit vna tantùm Perfona, loquebatur tamen cum Angelis; quemadmodum Rex cum fuis Confiliarijs loquitur, quando aliquid vult difponere; & licèt Deus non ita loqueretur, fumendi causâ confilij à vaffallis; ita tamen fuit locutus, præbendi causâ exemplum, vt non ante aliquid negotij grauis Reges, ac Principes difponant, quàm à fuis fubditis confilium poftulent; remque priùs maturè, feduloque meditentur, quàm peragant. Vnde, ficut, quando Rex dicit: *Nos Rex ordinamus, decernimus, conftituimus, iubemus*, non denotantur plures perfonæ Regis, fed ad fummum plures perfonæ Confiliariorum, quas ipfe ad rem illam faciendam confuluit; ita quando Deus dixit: *Faciamus hominem*; non denotantur plures perfonæ eiufdem Dei, fed ad fummum plures perfonæ Angelorum, quas ad noftrum exemplum confulebat. Refp. Hanc expofitionem effe omnino friuolam, & prorfus vanam. 1. quia non debemus facere Deum tam folicitũ dandi nobis exemplum, vt exponat fe periculo, quòd credi poffit indigere aliena ope, & confilio: aliter eo ipfo fe Deum non monftraret: Deus enim eft, qui dat confilium, & non accipit propter fuam infinitam fapientiam, & prouidentiam. 2. quia vaniffimum eft, quòd artifex peritiffimus ad faciendum aliquod artefactum loquatur cum aliquo puello rudi, & prorfus operis ignaro, illi dicens: *Faciamus hanc imaginem perfectiffimam*; quam ipfe rudis puer facere nullo modo poteft. Et certè Angelus etiam fupremus non minùs eft ineptus ad creandam animam hominis Dei imaginem, quàm puer ille ad formandam illam imaginem, & fculpturam elegantem materialem: & poffet vterque refpondere, fcil. Angelus Deo, puer paruulus nobili, ac peritiffimo artifici: cur me confulis ad dandum confilium, & ad

& ad faciendum id, quod prorsus ignoro, & efficere nequeo? vnde non exigua in sic consulentem vanitatis nota redundabit: quod enim dedecet hominem prudentem, multò magis Deum, qui est prudentia summa, & sapientia infinita: quare stulta omnino est expositio illa Iudæorum.

20. Stultiùs quidem alij Rabbini exponunt illud, *Faciamus*, nimirum vt loquatur Deus cum elementis, ex quibus homo, sicut cætera alia mista, constat; quasi Deus dicat: *Ego vos elementa, Terra, Aqua, Ignis, Aer, feci ex nihilo; sed ex vobis ipsis volo formare hominem; concurrite igitur ad huius formaturam mecum; & sic ego, & vos faciamus hominem, ad imaginem, & similitudinem nostram; ad imaginem meam, prout constat anima: ad imaginem vestram, prout constat corpore, atque adeò nos illum faciamus ad similitudinem nostram.* Resp. Tam ridiculam esse hanc expositionem, quàm ridiculi sunt illi expositores. Nunquid elementa insensibilia habent sensus, vt vocem Dei sentiant? Nunquid intellectum, vt quid Deus dicat, intelligant? Non esset habendus, vt stolidus, qui diceret igni, *comburamus*, aquæ, *lauemus*, aeri, *perflemus*, terræ, *fructificemus?* Si ergo hoc qui diceret, stultus, fatuus, & amens esset; cur Hebræi sacrilegè audetis Deum stultum, dementemque facere; qui est summa sapientia, intelligentia infinita? Non est maior honos in Deum, maior decentia, reuerentiaque maior, si dum dicit: *Faciamus*, explicetur, vt prima Persona loquatur cum duabus personis, quæ habent eundem intellectum, eandem sapientiam, eandem operandi virtutẽ? Igitur non possunt verba illa: *Faciamus hominem*, alium habere sensum, nisi, quod tres diuinæ Personæ loquantur inter se, dicendo: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: quia omnes tres Personæ concurrunt, tanquam vnum principium productiuum ad extra; & omnes tres sunt vnus Deus intellectiuus, cui homo intellectiuus assimilatur in parte illa præcipua

pua ipsius, qualis est, eius anima rationalis, & intellectiua: & consequenter ex textu illo mysterium Trinitatis Sanctissimæ non obscurè colligitur.

21. Secundò colligitur idem Trinitatis ineffabile mysterium ex cap.18.Genes.num.2. *Cumque eleuasset oculos, apparuerunt tres viri: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram: & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*. Omnes istæ tres personæ repræsentabant vnum Deum: & sic dicit textus num. 1. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui*. Et Abraham omnes tres, tanquam vnum Deum, & Dominum adorauit, dicens, *Domine*, & non Domini, *Si inueni gratiam in oculis tuis*. Cur igitur Abraham videns tres, omnes adorat tanquam vnum; & ad omnes loquitur tanquam vnum, dicens: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis?* Cur de apparentibus tribus personis, dicitur: *Apparuit autem ei Dominus*; nisi quia omnes tres vnum repræsentabant Dominum, vnum Deum? An Abraham vidit in illis aliquam maiorem excellentiam, & dignitatem, vt vnus esset maior, cæteri minores, ac inferiores; ideoque hunc adorauerit, & cum hoc tantùm fuerit collocutus, duobus contemptis, & quasi non essent, derelictis? Certè in textu non indicatur aliqua inter eos inæqualitas, aliquis inter eos superior, ac excellentior; imò dum dicit omnes tres stare, *stantes prope eum*, clarè insinuatur omnes tres esse æquales, æquali obsequio, & adoratione dignos: cur ergo vnum tantùm adorat? cum vno tantùm in singulari loquitur? Certè nulla alia ratione, nisi quia Deus, qui apparebat in triplici persona, vnus tantùm in ea figura significabatur Deus: Pater, Filius, Spiritus Sanctus inter se personaliter distincti, sed in natura diuina idem, vnusque tantùm Deus. Voluitque Deus Omnipotens Abrahamo, quem eligebat primum Patrem credentium, reuelare primum Mysterium fidei, quale est mysterium Sanctissimæ Trinitatis: quemadmodum etiam Chri-

stus,

ſtus, qui dicitur Pater futuri ſæculi, id eſt, omnium fidelium per baptiſmum in ſæculo futuro, quale in Sacra Scriptura appellabatur tempus Meſſiæ, dedit principium ad legem Gratiæ per baptiſmum in confeſſione Sanctiſſimæ Trinitatis, ordinando, vt baptizentur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, de quo infra: & ideo poſtquam Deus hîc primo reuelauit myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, poſtea ſubiungit numerum 17. ſecundum præcipuum noſtræ fidei myſterium, nimirum Incarnationis Diuini Verbi, in quo facto homine benedicendæ, id eſt, ſanctificandæ erant omnes gentes: *Dixitq; Dominus: num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum: cùm futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ?* Vnde vides manifeſtè Deum in hac prophetia ſeruo ſuo Abraham duo præcipua noſtræ fidei myſteria, Trinitatis, ſcil. & Incarnationis declarare voluiſſe.

22. Contra hanc veram huius textûs ſacri intelligentiam opponunt perfidi Iudæi illos tres, quos vidit Abrahã, eſſe tres Angelos, & ideo non eſſe tres diuinas Perſonas, & vnum Deum. Reſp. Iſtos Rabbinos ex induſtria nolle intelligere veritatem. Dicant hi Rabbini, quando Angeli apparent in forma hominis, ſunt ne homines, & deſinunt eſſe Angeli? Scio reſpondere ipſos, non eſſe quidem homines, ſed Angelos, puroſque ſpiritus, qui vt tales videri non poſſunt ab oculo corporeo; & ideo aſſumunt illam externam hominis figuram: & licèt externè videantur homines, ſemper dicuntur Angeli: cur ergo illæ tres Diuinæ Perſonæ, quæ immediatè in hac vita non poſſunt videri intuitiuè, non ſignificentur per illos tres Angelos? Sicut ergo illi homines, ſub quorum forma apparent Angeli, non ſunt homines, ſed Angeli; ita illi tres Angeli, ſub quorum forma apparuit Deus trinus in Perſonis, & vnus in eſſentia, & natura, non ſunt Angeli, ſed Deus in tribus perſonalitatibus. Et ſi ita non ſumatur, textus redditur falſus, & prorſus implicatorius: quod manifeſtè oſtendo

do

do ex ipſo textu. 1. quia non obſtante, quòd Abraham tres viderit, & tres illi apparuerint; in textu legitur, quòd vnus Deus illi apparuerit. *Apparuit autem illi Dominus*, id eſt, Deus; tres apparuerunt, & vnus tantùm Deus apparuit; vel ergo implicatur textus in eiſdem verbis, dum dicit, vnum ſolùm apparuiſſe Angelum,& non vnum ſolùm apparuiſse, ſed tres: vel verè voluit Abraham ſignificare, quòd non obſtante, quòd tres repræſentabantur perſonæ, omnes tres ſignificarentur vnus tantùm Deus. 2. quia illud ineffabile nomen, quod fuit ibi nominatum, nempe Iehoua, ſolùm poteſt attribui Deo, & non creaturæ, quales ſunt Angeli: quòd autem ſoli Deo poſſit applicari nomen ineffabile Iehoua, conſtat iam ex dictis in 1. libro, & docent Rabbini ibi allegati: ſiquidem Iehoua ſignificat ens à ſe, quod ſolùm poteſt tribui Deo, qui ſolus eſt ens à ſe; & non Angelis, qui creati ſunt, & vt limitatæ creaturæ ſunt ens ab alio. 3. quia illud ineffabile nomen Iehoua, quod illi Domino apparenti ſub tribus perſonis tribuebatur: *Apparuit autem illi Dominus*; ſignificat æternitatem per eſſentiam, tam à parte poſt, quàm à parte ante; quod ſolùm poteſt dici de Deo, & non de Angelis, qui creati ſunt in tempore, & ideo non ſunt ab æterno, & ſolùm erunt accidentaliter in æternum, & non per eſſentiam; cùm poſſint à Deo annihilari, & reduci in nihilum, ſicut ab eodem fuerunt ex nihilo creati. 4. quia ille ipſe, qui apparuit Abrahamo, dicit ſe velle illi reuelare illud ſecretum,& myſterium, nimirum Incarnationis,quam ipſe erat facturus: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, &c. Et benedicendæ ſunt in illo omnes nationes terræ.* Id eſt, non poſſum non reuelare ſeruo meo Abraham Meſſiam Deum, & hominem, eius filium, ſecundùm carnem; vt in illo ſanctificentur, iuſtificentur, ſaluenturque omnes nationes terræ; quod mirabile myſterium ego geſturus ſum: opus enim eſt, quod à me ſolo, & non ab vlla potentia creata fieri poteſt: igitur Deus eſt, qui hîc loquitur, & non Angeli, qui myſterium Incarnationis, vtpote

ſupra ſphæram, virtutemque Angelicam, ſolus facere poteſt.

23. Concluditur ergo: vel hîc ſacer textus loquitur manifeſtè falſa; vel loquitur de Sacroſancto Myſterio Trinitatis, id eſt, de Deo vno, ſub tribus Perſonis repræſentatis in illis tribus Angelis, ita tribus, vt adorentur, & operentur, vt vnus Deus, vnus Omnipotens: manifeſtum eſt textum non poſſe dicere falſum: aliter Deus non eſset verax, & conſequenter non eſſet Deus, qui eſſentialiter verax eſt: ergo verum omnino eſt, in hoc textu manifeſtari, reuelarique myſterium Trinitatis; ac proinde negari non poteſt Sacroſanctum Trinitatis myſterium in veteri teſtamento certiſſimè contineri.

24. Colligitur 3. hoc ineffabile myſterium ex iam ſupra adducto cap. 6. Deuteronomij num. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* Vbi, iuxta ea, quæ ſupra diximus §. 1. per *Dominum* intelligitur prima Perſona, id eſt, Pater; per *Deum noſtrum* intelligitur ſecunda Perſona, id eſt, Filius, qui factus eſt ſpecialiter noſter per carnem humanam ex nobis aſſumptam; per *Dominum* tertio loco poſitum, intelligitur tertia Perſona, id eſt, Spiritus Sanctus; & hi tres ſunt vnus Deus. Et hæc intelligentia notatur in vno libro Hebræorum appellato *Zohar*, qui liber apud ipſos Hebræos, tantam obtinet authoritatem, quantam ipſa lex Moyſis. Vbi in expoſitione cap. 13. Exodi verſ. 16. *Erit igitur quaſi ſignum in manu tua.* Ad fol. 43. ſic habet: *Deus Sanctus, & benedictus creauit mundum, quando ſplendoris pallio ſe obuoluit; quod eſt ſplendida Diuinitatis ſuæ veſtis, quæ facit vnitatem; & ideo verſiculus ille* Deuteron. 6. num. 4. *Audi, Iſrael, &c. Dominus vnus eſt: Hæc eſt illa vnitas, quam dicit Scriptura. 1. Dominus. 2. Deus noſter. 3. Deus: Ecce omnes iſti ſunt vnum; eo quòd ſic legatur: Vnus eſt.* Et continuat: *ſi igitur ſunt tres, quomodo tres vnum ſunt? Tres quidem ſunt; ſed ſolo lumine ſupernaturali fidei, vel prophetiæ poſſumus cognoſcere ita eſſe tres, vt verè omnes tres ſint vnum: adhuc tamen aliqua ſimilitu-*

dine

dine potest mysterium, ac secretum explicari, v.gr. per tonitru; quod licèt vnum sit, sunt tamen tres. Ignis, aqua, ventus: Deus ignis, Deus noster spiritualis pluuia, quæ de cœlo in nos dimissa est; spiritualis ventus: & omnes tres vnus est Deus; sicut suo modo omnes illæ tres res vnum est tonitru. Hæc est illa vnitas secreti, seu mysterij; quodq; quotidie manifestatur ex Spiritus Sancti arcano. Hactenus hæc Rabbinus in citato libro. Ex quo vides Rabbinos, quando seriò, & sine passione suæ præsentis obstinationis sacram legebant scripturam, ex illa Trinitatis mysterium agnoscebant, credebantque solo lumine supernaturali cognosci posse, quamuis similitudine aliqua naturali possit aliqualiter declarari; & ignis potest significare Patrem, qui ita incensus amoris igne dilexit mundum, vt Vnigenitum suum daret. Aqua, seu cælestis pluuia, vt Filius; & ita illum Prophetæ desiderabant tanquam pluuiam, cælestemque rorem, iuxta illud: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum, &c.* Ventus, Spiritus Sanctus, iuxta illud: *Factus est repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis.*

25. Ex eodem libro Zohar, cui Hebræi adhibent tantam fidem, atque ipsi legi Moysis, in num. Bemidbar c.22. distinct. Balac fol.203. exponendo prædictum textum Deuteronom. cap.6. num. 4. *Audi Israel, &c.* ait, nomen Dei ter ibi nominatum, scil. *Dominus, Deus noster, Deus vnus est*, denotare tres diuinas Personas vnitas in vna natura diuina; & addit hoc esse mysterium vnitatis trium personarum ex sola prophetia Spiritus Sancti, hoc est ex sola reuelatione diuina cognitum, & id ibi explicat exemplo vnius arboris, in qua sunt tria, scil. radix, truncus, & summitas arboris; & omnia tria sunt vna arbor. Dicitque truncum arboris esse Messiam secundam personam, & ideo dicit Deum nostrum, quia secundum carnem, descendit à radice Iesse; citatque cap.11. Isaiæ: *Et egredietur virga de radice Iesse.* Itaque à radice, quæ est Pater procedit truncus, qui est Filius: à radice, & trunco procedit summitas,

mitas, quæ est Spiritus Sanctus. Tres, Radix, truncus, summitas, vna arbor. Tres, Pater, Filius, Spiritus Sanctus vnus Deus: non poterat Rabbinus meliori similitudine explicare mysterium Trinitatis.

§. IV.

Probatur adhuc ineffabile hoc Trinitatis Mysterium ex authoritate veteris testamenti, & Rabbinorum.

26. PRobari potest adhuc hoc Sacrosanctum Trinitatis mysterium 1. ex Iosue cap. 22. nu. 22. Vbi Filij Ruben, & Gad reprehensi à Phinee summo Sacerdote, quòd extra Ierusalem extruerent altare Domino ad holocausta; quod quidē extra Ierusalem fieri, sacrilegium erat contra legem Dei; ipsi tamen se excusarunt, quòd altare illi non eo fine extruxerint, vt Deo sacrificarent extra Ierusalem; sed in solam memoriam altaris, quod erat in Ierusalem: & inuocando Deum in testem huius veritatis dixerunt sic: *Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus Dominus, ipse nouit, & Israel simul intelliget, si præuaricationis animo hoc altare construximus, &c.* In textu Hebraico leguntur tria nomina, El, Elohim, Iehoua cum triplici signo illa distinguente, & ponitur vnicum verbum in singulari, *Nouit*; similiter in Psalmo 49. vbi enim nostra Vulgata habet: *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram*; Textus Hebraicus habet: *Deus, Deus, Dominus locutus est*: dùm ter nominatur Deus, signo illa tria nomina distinguente, tres indicantur Personæ; dum verò dicitur in singulari, *locutus est*; vnus esse tantùm Deus significatur: & in prædicto Psalmo tria esse distincta Dei nomina docetur in libro Midras Tillim glossa maiori in Psalmos. Idem testatur Rabbi Moyses bar Nachman in expositione eiusdem Psalmi. Idem significauit Dauid in Psalmo 66. num. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus*. Per quod absque dubio voluit significare benedictio-

dictionem, seu sanctificationem nobis esse impertiendam à Patre, & à Filio, & à Spiritu Sancto; & vt denotaret esse omnes tres personas vnum Deum, subiungit: *Et metuant eum omnes fines terræ*; eum dixit, & non eos. Et in Psal. 95. ter nominauit Dominum. *Cantate Domino canticum nouum; cantate Domino omnis terra, cantate Domino*; id est, cantum celebrate in Ecclesia Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; qui cantus in Sancta Ecclesia celebratus ad finem cuiusque Psalmi iungendo gloriam Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, fuit à Sancto Propheta in spiritu præuisus; & vt denotaret omnes Personas diuinas vnum tantùm esse Deum, subiungit: *& benedicite nomini eius*, & non nominibus eorum. Idem significat Dauid in multis alijs locis, quos omitto breuitatis gratiâ; & quia id eos Psalmos legenti facilè patebit. Igitur, dum omnes prædicti textus exprimunt tres Diuinas Personas esse vnum Deum, clarè indicant Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

27. Potest hoc Sacrosanctum Trinitatis Mysterium probari 2. ex Isaia c. 6. n. 2. *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant: & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloriâ eius.* Vbi aduerte, ter nominando: *Sanctus, &c.* scribi ibi cum signo distinguente personas; & subiungitur mox: *Plena est omnis terra gloriâ eius*, non gloriâ eorum, ad denotandum, licèt personæ sint tres; omnes tres esse vnum tantũ Deum, vt nos Christiani credimus, & non tres Deos, vt nobis per summam calumniam imputant peruersi Iudæi.

28. Aliqui Rabbini fatuè quidem, & stultè exponunt ita hunc textum Isaiæ, vt non ter hîc Dominus vocetur Sanctus; sed vt vnus Angelus dicat alteri: ò Sanctus; & alius respondeat, ò Sanctus: & tunc vterque dicat: Deus Sanctus vnus: & sic non probantur tres personæ vnius Dei: sed vna tantùm Persona Dei, & aliæ duæ illorum Angelorum. Resp. falsam omnino esse hanc istorum Rabbinorum

norum expositionem. 1. quia est violenta textui: in quo solum agitur de glorificanda summa Dei altissimi sanctitate, & de eiusdem adoranda maiestate, prout est; cùm autem clarè videant illum esse vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; id est, vnum Deum, & tres Personas inter se distinctas, & quamlibet indistinctam ab ipsa indiuisa, & vna Deitate; exclamant, tanta maiestate Diuinitatis suspensi, *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* id est, Sanctus est Pater, Sanctus est Filius, Sanctus est ille ab vtroq; spiratus, & mutuus amoris nexus Spiritus Sanctus: & hi omnes, vnus est Deus. 2. quia magna esset in illis Angelis irreuerentia, eodem gradu sanctitatis, & eodem titulo honoris tractare, nominareque in præsentia ipsius supremi Regis Regem ipsum, & ipsos limitatos seruos; sicut irreuerenter se haberet ille, qui coram Rege terreno, seruos illic adstantes vocaret æquali titulo maiestatis, atque ipsum Regem. 3. quia expositio tanquam falsa, & ineptissima habetur ab ipsis etiam doctioribus Rabbinis: qui omnes dicunt in illo textu Isaiæ, illa nomina *Sancti, Sancti, &c.* de Deo, & non de aliqua persona creata intelligi. Ita exponitur ille textus in lib. Ialcut in glos. magna super Deuteron. cap. 32. vbi citatur cap. 6. Isaiæ, idem habetur in eodem Ialcut in expositione prædicti cap. 6. Isaiæ, & in libro vocato Capitula Rabbi Eliezer, & in libro Rabboth fol. 134. Qui omnes Rabbini intelligunt hunc textum iuxta expositionem nostram: quorum verba expressa videri possunt in locis citatis; & illa ego breuitatis causâ prætermitto.

29. Alij Rabbini conuicti his argumentis fatentur illa nomina ter posita in sacro textu dici quidem de Deo, & non de Angelis; attamen non significare tres personas, sed esse repetitionem eiusdem nominis, & æquiualere superlatiuo, *Sanctissimus*; quia cùm nomen superlatiuum non sit in vsu apud Hebræos, quando volunt explicare Deum Sanctissimum, ponunt ter, aut quater nomen positiuum *Sanctus*. Hæc Hebræorum responsio potiùs indicat suam

obsti-

obſtinationem, quàm ſtudium aſſequendæ veritatis. Cur non aduertunt iſti Hebræi illa nomina poni in ſacro textu cum ſigno diſtinctionis, ita vt intelligantur inter ſe diſtincta, prout allegati ſupra Rabbini in prædicto Ialcut, & Rabboth rectè conſiderarunt? ſi ergo ſunt diſtincta nomina, habere debent diſtincta ſignificata: ſed non ſunt diſtincti, aut diuerſi Dij; quia repugnat lumini naturali, & ipſimet ſacro textui clamanti vnum tantùm eſſe Deum, & non plures: ergo ſolùm poſſunt ſignificare pluralitatem Perſonarum, quæ ſtare poteſt cum illo ſecreto, & myſterio vnitatis naturæ diuinæ, & cum multiplicitate, ſeu Trinitate Hypoſtaſum, ſeu perſonalitatum; & hoc eſt ſecretum vnitatis in illo textu ſupra allegato Deuteronomij cap.6. *Dominus, Deus noſter, Dominus vnus eſt*, ab ipſis etiam Hebræis, vt ſupra vidimus, in ipſa etiam Synagoga ſua ſæpiùs decantato.

30. Et notandum eſt: quòd, poſtquam Deus Iſaiæ in d.cap.6. reuelauit myſterium Trinitatis per illa verba, *Sanctus, Sanctus, &c.* videns duritiem Hebræorum in adhibenda fide huic Sacroſancto Myſterio; vt adhuc videmus illos in non credendo hoc myſterium obſtinatos; præcipit ſtatim eidem Prophetæ, vt dicat illi populo Iudaico hæc verba certè terribilia: *Vade, & dices populo huic: Audite audientes; & nolite intelligere; & videre viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius; & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Propheta verò maximè territus hoc horribili ſupplicio, quod contra populum incredulum Deus minitatus erat; dixit ad Deum: *Vſquequo Domine?* Et Deus tunc illi reſpondit. Vſque ad finem mundi. *Et dixit: donec deſolentur Ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta.* Quare ergo Deus has minas fulminauit; poſtquam præcepit Prophetæ prædicare populo illi incredulo viſionem illam, quam Deus ipſi monſtrauerat? Certè, quia in illa viſione monſtrauerat

Deus

Deus ineffabile mysterium Trinitatis; & optimè sciebat Hebræos in non credendo illud futuros esse obstinatissimos vsque ad finem mundi generaliter loquendo; quia licèt multi baptizentur, credantque mysterium Trinitatis; omnes tamen vniuersaliter, vsque ad finem mundi non credent: suâ tamen culpâ: Deus enim propter infinitam suam misericordiam non desinit illos semper monere per Prædicatores, & Sacerdotes Christianos, & monuerat per Sanctos Apostolos, ac Euangelistas. Vnde iam diabolus illos non tentat per idololatriam: quia vt in æternum pœnâ inferni damnentur, satis illi est eos arcere à baptismo, sine quo vel in re, vel in voto, nullus neque Gentilis, neq; Hebræus saluari potest; cùm verò nemo possit baptizari sine professione mysterij Trinitatis vel immediatè per se, si est adultus; vel mediatè per Ecclesiam, si est infans: ideo diabolus Hebræos tanta vi procurat arcere à mysterio Trinitatis, vt eosdem amoueat à remedio salutis.

§. V.

Probatur hoc ineffabile Trinitatis mysterium ex ipsis etiam Rabbinis antiquioribus.

31. NE illam excusationem opponant moderni Hebræi ad non credendum Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, dicendo Doctores suos nunquam hoc mysterium agnouisse, nec illud ex Sacra Scriptura collegisse: in hoc 5. §. præter alios Rabbinos iam supra allegatos, adducentur plures alij ex Antiquioribus, qui hoc Sacrosanctum Mysterium clarissimis verbis explicarunt; vt erubescant, & confundantur Hebræi recentes, minusque docti, dum antiquioribus, doctioribusque Rabbinis suis se non conformant; in suaque stulta, & cæca obstinatione contumaciter persistunt.

32. Probatur igitur 1. ex libro Midras Tillim, exponendo Psalmum 49. Vbi sunt in textu Hebraico hæc verba:

El,

El, Elohim, Iehoua, sic habetur: *Quare dixit ter, Deus, Deus, Deus?* Et respondit: *Vt te doceat, se his tribus nominibus Deus Sanctus, & benedictus mundum condidisse, per respectum ad illa tria Attributa, quibus factus est Mundus, scil. sapientia, scientia, & intelligentia: Sapientia vnde probatur?* Ex Prouerbior. c. 3. n. 19. *Dominus sapientiâ fundauit terram. Scientia vnde probatur?* Ex eodem cap. *Sapientiâ eruperunt abyssi. Intelligentia vnde probatur?* Ex eod. cap. *Stabiliuit cœlos prudentiâ.* Et similiter ex c. 20. n. 5. Exodi. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes. En tria attributa similia illis tribus, quibus mundus creatus est: atq; ita filij Gad, & Ruben dicebant. Deus, Deus, Deus ipse nouit.* Vbi vides hunc Rabbinum explicare tria prædicata in vno Deo Creatore mundi. Et in libro Sciagara fol. 30. sunt hæc sequentia verba: *Iuxta mysterium duorum nominum, El, & Elohim, in quibus continetur Iehoua; sic appellatur nomen illius, qui habitat in cœlis.* Itaque hi Rabbini in Deo vno distinguunt tria prædicata, seu significata; quod colligunt ex sacris textibus prænarratis; & sic in reipsa conueniunt nobiscum; quamuis ea prædicata non explicent per nomina personarum: quia fortasse nomen persona, seu hypostasis, apud illos erat ignotum: negari tamen non potest illos admittere in diuersitate illorum significatorum, quæ à nobis vocantur cum maiori claritate Personæ Diuinæ, naturam diuinam vnam, & indiuisam; & hoc appellant secretum vnitatis in triplici prædicato, seu significato; nos verò clariùs loquimur, dum agnoscimus Mysterium Trinitatis in vna indiuisa Natura diuina tria prædicata Notionalia, seu tres Personas discretas.

33. Probatur 2. ex quibusdam Rabbinis, qui appellantur Cabalistæ, & dicuntur à Iudæis Doctores veritatis; quamuis alioquin multos sequantur errores, multasque edoceant falsitates, adhuc tamen potuerunt hanc veritatem Trinitatis cõfiteri: sic enim ipsa etiam dæmonia Christum verum Filium Dei confitebantur; vt patet ex historia Euangelica. Itaque isti prædicti Rabbini in libro Zohar

vocant Personas Sanctissimæ Trinitatis quibusdam nominibus, aliquibus similibus eis, quibus nos appellamus tres diuinas Personas. Nam, vbi nos appellamus Trinitatem, illi appellant enumerationem, enumerando per ordinem personas; & iuxta illos 1. dicitur Au Patre; & hanc etiam appellant Cheter, id est, coronam; vt significent illam primam personam esse sine principio, & sine fine. Si igitur iuxta illos prima Persona est Pater, oportet, admittant etiam Filium; quia dicunt Patrem esse correlatiuum Filij, qui quidem est secunda Persona; & hanc appellant Rabbini illi sapientiam: sic enim dicunt. 2. *Sefira*, id est, persona, *sapientia est*; & dicunt etiam per hanc fuisse creatum mundum; citantque cap. 2. Prouerbiorum supra allegatum, & hanc etiam appellant Principium; & hoc probant cap. 1. Genes. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*: quod vertit paraphrasis Chaldaica: *In Sapientia*, siue *in Verbo creauit Deus Cœlum, &c.* Et id probant similiter ex Psal. 32. num. 6. *Verbo Domini Cæli firmati sunt*. Et constat Sapientiam esse idem, atque Verbum Diuinum; quod est secunda persona, & caro factum est, vt profundissimè intonuit Euangelistarum Aquila Ioannes filius Tonitrui cap. 1. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum; & Verbum caro factum est*. Et ijdem Rabbini exponunt illud Isaiæ 45. num. 17. quod totum est de Christo. *Israel saluatus est in Domino salute æterna*, id est lege gratiæ, in Ecclesia, quæ durabit vsque ad finem mundi militans, & in æternum iam triumphans; *non confundemini, nec erubescetis in sæculum sæculi*. Exponunt, inquam, sic: *Israel saluatus est in verbo Dei*: & ita etiam exponunt cap. 1. Oseæ num. 7. *Et saluabo eos in Domino Deo suo*; dum sic vertunt. *Saluabo eos in Verbo Dei*, id est, Æterni Patris, *Deo suo*. Atq; ita exponunt plures alios sacros textus, qui de Christo Domino loquuntur. Ex quibus manifestum est eos Rabbinos vocare secundam personam, *Verbum, Sapientiam, & Principium*. Tertia persona, quam nos Spiritum Sanctum appellamus, ab ipsis vocatur Bina, & intelligen-

tia,

tia,& eſt idem, quod eſt ſcriptum in Daniel.cap.2.num.21. *Dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam*. Quæ ſcientia aliud non eſt, quàm Spiritus Sanctus, vt ſcriptum eſt in Iob cap.20. num.3. *Spiritus intelligentiæ meæ reſpondebit mihi*. Et in Iſai. cap.11. num. 2. loquendo de Meſſia. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectûs*. Ex quibus verbis patet Rabbinos bene cognouiſſe illum ſpiritum intelligentiæ, qui eſt Spiritus Sanctus; & dicunt hunc eſſe tertiam ſefiram, id eſt, tertiam perſonam. Igitur cùm prædicti Rabbini enumerent tres illas perſonas, ſcil. Patrem, Sapientiam, ſiue Verbum, aut Principium, & Spiritum intelligentiæ, qui eſt Spiritus Sanctus, & non poſſit in Deo aliquid eſſe,quod non ſit Deus; conſtringentur neceſſariò fateri Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Nec obſtat, quòd Hebræi faciant 10. enumerationes; vt inferri poſſit dari 10. perſonas: nam hæ tres numerationes ſecundùm ſpecialia ſignificata diuinis tribus perſonis appropriata innuunt tres diuinas Trinitatis perſonas; cæteræ verò enumerationes, quas ipſi faciunt, fortaſse plura Dei attributa ſignificabunt.

34. Probatur 3. ex alijs Rabbinis in libro appellato Sefer Iezira; in quo Doctores illi Hebræi clariſſimis verbis admittunt in Deo myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Sic enim in prædicto libro dicunt: *Tres ſunt luces; Lux antiqua, Lux pura, Lux purificata; attamen hæ tres luces ſunt vnus Deus*. Lux antiqua eſt Pater, qui in Scriptura Sacra appellatur Antiquus dierum. Daniel.7.num.9. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt: & Antiquus dierum ſedit*. Non quia Pater ſit antiquior tempore reſpectu aliarum Perſonarum, cùm omnes ſint coæternæ: ſed quia eſt prior origine; quod ſtare poteſt cum eo, quòd omnes ſint æqualiter æternæ: ab eadem enim æternitate, Filius eſt à Patre, & non à Filio Pater; Spiritus Sanctus eſt à Patre, & à Filio tanquam ab vno principio ſpiratiuo;& non à Spiritu Sancto Pater, & Filius. Lux pura dicitur Filius, qui factus

est homo, vt purificaret homines, & mundaret per sanctum baptismum: & ideo hæc lux, & splendor Patris, & figura substantiæ eius, consideratur à Daniele, vt splendida vestis Æterni Patris, candida, & munda sicut nix, & sicut lana mundissima: per niuem Diuinitas, per lanam humanitas intelligitur: quæ duo in Christo secunda Persona reperiuntur. Et ideo ait Daniel. *Vestimentum eius* (i, Patris Æterni, seu Antiqui dierum) *candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda*; id est, huius vestimenti Christi, qui caput est primarium Ecclesiæ, capilli, i, fideles, sicut lana munda; quia mundi erunt per lotionem baptismi, iuxta illud: *Lauamini, & mundi estote*. Vnde meritò secunda Persona dicitur lux pura; propter purificationem, qua purificabit, lauabitque credentes in eum. Lux purificata, est Spiritus Sanctus; quia supponit iam fideles per baptismum purificatos: siquidem Spiritus Sanctus non habitat in anima habente peccatum; maximè verò in eo, qui est purificatus à culpa per aquas baptismi, & per aquas pœnitentiæ; quod figuratur in eo, quod dicitur Genes. cap. 1. num. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, id est, super aquas baptismi, & pœnitentiæ. Atq; ita idem Daniel in eodem versiculo explicauit tertiam hanc Personam per ignem, quo metalla, id est, homines, purificantur. Et ideo dicit: *Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus*, iuxta illud Act. 1. *Apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis*: quod dicitur de Spiritu Sancto, quando in die Pentecostes descendit super Apostolos. Vnde nota Danielem in eodem versiculo 9. dicti cap. 7. has tres diuinas personas mirabiliter expressisse, quas nos Personas appellamus, illi vero Rabbini luces dicunt. 1. dicitur Antiqua, & est Antiquus dierum Pater. 2. Lux pura, & est vestis, seu splendor Patris filius mundans peccatores. 3. Lux purificata, & est ignis accensus purificans, & in anima purificata habitans, Spiritus Sanctus. Quare Rabbini illi conueniunt nobiscum in hoc mysterio, licèt differant in nomine: quia nos dicimus tres esse personas, & vnum

Deum;

Deum; illi tres esse luces, & vnum Deum dicunt: illi dicunt Lucem Antiquam, Lucem puram, Lucem purificatam: nos esse Patrem, qui est Antiquus dierum, id est prior origine; esse Filium, qui est lux, & splendor, & veluti lucida vestis Patris, & purificans homines; esse Spiritum Sanctum, qui est ignis accensus, & velut ignis fidelium aurum probans, & purificatos inflammans. Itaque negare non possunt Hebræi hoc altissimum Trinitatis mysterium à suis etiam Rabbinis edoceri.

35. Probatur 4. hoc Trinitatis ineffabile Mysterium ex alijs Rabbinis præsertim ex Ghechitilia in tractatu hasereth Sefiroth. Vbi proponens acturum se de 10. enumerationibus; septem prioribus explicatis, dicit hæc verba: *Tres vltimas enumerationes nullus humanus vnquam oculus vidit; inter quas nulla est separatio: absit autem, dicamus ab inuicem separari.* Per quæ verba non aliud voluit significare Rabbinus ille, quàm tres diuinas Personas ita esse identificatas vni Deo, vt ab inuicem separari nullo modo possint: & sic Deum esse Trinum, & vnum. Dum autem dicit: *Nullus vnquam oculus vidit*; ostendit illam supremam Trinitatem vnum esse Deum; de quo dicitur Exodi 31. num. 20. *Non videbit me homo, & viuet.* Hoc idem confirmatur ex libro Sefer Iezira supra iam allegato, in quo sic dicitur: *Scito tres illas enumerationes diuinas ita esse diuinitati vnitas, ac identificatas, vt separari nullo modo possint.* Quid autem est tres illas enumerationes ita identificari vni Deo, nisi tres diuinas personas vnum esse Deum; quod est Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quod nos Christiani credimus?

36. Antiqui Rabbini adeò clarè loquebantur de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, quod de Sacris Scripturis deprompserant; vt Nouiores Hebræi videndo se reddi conuictos etiam suismet armis; vt in sua obstinatione persisterent; quidquid in suis AA. reperiebatur Trinitati fauens, de illorum libris delere conati sint. Vnde in paraphrasi Ionathan ben Huziel exponendo textum illum

Isaiæ cap.6.num.3.iam supracit.vbi dicit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Verba erant scripta, quæ non obscurè adumbrabant Mysterium Trinitatis; & ideo Recentes Hebræi illa sustulerunt; nihilominùs fuerunt fideliter transcripta ex quodam antiquissimo Codice, qui è manibus Hebræorum Recentium euasit; sicut narrat Galatinus, & sunt sequentia verba fideliter translata: *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus*: & ita ait, significare textum illum Sacrum Isaiæ. Hoc ipsum indicant alij Rabbini multis in locis in libro Midras Tillim exponendo Psal. 90. num.12. *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum, &c.* Vbi loquendo de lapidibus, quos Iacob supposuit capiti suo, cùm in somnis videret scalam, ita ait: *Dicit Rabbi Nehemias: Tres fuerunt lapides, quos, scil. sumpsit Iacob; dixitque: si Deus vniat nomen suum supra me, sicut illud vniuit supra Patres meos; sint isti tres lapides facti in vnum. Stetit Iacob; & subitò tres illi lapides facti sunt vnus; sicut dictum est: Accepit lapidem, & nos docuit in vnum lapides tres esse vnitos*. Idem dicitur in libro Rabboth glossa maiori in cap.28. Genes.vers.11. *Tulit de lapidibus, &c.* Vbi quasi per eadem verba ait Iacob voluisse, vt Deus dignaretur ex tribus lapidibus vnum facere; in confirmationem, quòd assumpturus esset carnem humanam ex semine suo. Non dixit ex duobus lapidibus, vel quatuor, sed ex tribus; vt veritas Mysterij Trinitatis probaret mysterium Incarnationis: sicut enim Personæ Diuinæ vni indiuiduæ naturæ sunt idem similitudine illorum trium lapidum in vnum; ita suo modo humanitas, & Diuinitas in vnum Christum Messiam mirabiliter vnirentur. Ex quo vides, quàm clarè significabant illi Rabbini hoc Sacrosanctum Trinitatis Mysterium; & certè diabolus, qui valde sollicitus est, ad detrudendos Hebræos in Infernum, procurat, vt Trinitatis mysterium non credant: quia bene videt in fide huius diuini Mysterij solùm posse homines saluari.

37. Probatur 5. ex libro Zohar in Leuiticum cap.3.vbi expo-

exponendo illum verſiculum: *Si hoſtia Pacificorum fuerit*; & ibi loquendo de literis Nominis Dei dicuntur ſequentia verba, quæ etiam reperiuntur ſcripta in libro appellato, Via Fidei Rabbi Meir bene Gheuai, & ita habent: *Iuxta interpretationem* Rabbi Abæ, & maximè Rabbi Mier, *prima litera nominis Dei, dicta Iod, formatur ex tribus punctis in vnum vnitis: vnum ſupra, alterum in medio, tertium infra. Primum à nullo procedit; & dicitur Excelſum. Secundum procedit à primo; tertium autem procedit à primo, & à ſecundo, & omnia tria ſunt vnum.* Non poterat clariùs Myſterium Trinitatis exprimere: nam primum punctum eſt Pater, qui eſt primum Principium ad intra, & à nulla alia Perſona procedit; & dicitur excelſus non quòd excellat alias Perſonas in perfectione, cùm omnes ſint in perfectione æquales; ſed quia eſt cæteris prior origine: & dicitur Pater, quia ab æterno ſemper generat Filium, iuxta illud: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Et iuxta illud: *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te*. Pſal. 109. Secundum punctum eſt Filius, qui ex intellectu Patris tanquam ex vtero ex primaria intentione communicandi ipſi ſuam naturam actualiter intellectualem, ipſumque ſibi aſſimilandi in ea natura diuina æternaliter procedit; quæ proceſſio eſt diuina generatio: quæ definitur *proceſſio viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ ex primaria, formalique intentione*; & idcirco eſt propriiſſima generatio; modo mirabili, & inenarrabili iuxta illud Prophetæ Iſaiæ c. 53. generationem eius quis enarrabit? Tertium punctum eſt Spiritus Sanctus; qui, cùm procedat ex æternali amore mutuo Patris, & Filij, neceſſariò eſt proceſſio à duobus, vt ab vno principio amante, & ſpirante, ex primaria intentione communicandi ipſi amorem illum æternalem. Ex quo eruitur primò: Filium, dum accipit primò eandem ſingulariſſimam Patris naturam, ſcil. actualem Patris intellectionem ſubſtantialem, in qua conſiſtit Natura diuina, manere cum Patre eundem Deum; & eſſe propriiſſimè

Filium:

Filium: cùm ſit eiuſdem numerò naturæ cum illo, & ideo perfectiſſima filiatione; filiatio autem humana non ſibi vendicat tantam perfectionem, non ſolùm, quia limitata eſt creatura: ſed etiam quia filius humanus ſolùm eandem in ſpecie, non verò eandem numero naturam cum Patre habet.

38. Eruitur 2. Spiritum Sanctum non eſſe Filium: quia licèt eandem numero naturam cum Filio, Patreque habeat; ex vi tamen ſuæ diuinæ Proceſſionis formaliter accipit amorem, qui formaliter non eſt natura, ſed ſolùm identicè; quatenus amor diuinus, & diuina intellectio realiter idem ſunt; & ſolùm virtuali quadam diſtinctione diſcernuntur; neque de Spiritu Sancto dicitur: *Filius meus es tu; ego hodie genui te*; ſicuti de Verbo Diuino propriſſimè affirmatur. Eruitur 3. neque Patrem eſſe Filium, quia non generatur, ſed generat; neque Filium eſſe Patrem, quia non generat, ſed generatur; neque Spiritum Sanctum eſſe Patrem, aut Filium, quia nec generat, neque generatur, ſed procedit, & ſpiratur ab vtroque; neque Patrem, & Filium eſſe Spiritum Sanctum; quia vterq; non ſpiratur, ſed ſpirat; Spiritus Sanctus non ſpirat, ſed ſpiratur: omnes tamen tres Perſonæ ſunt vnus Deus: quia omnes eandem numero naturam diuinam ſibi adpropriant. Licèt autem hoc Sacroſanctum Trinitatis Myſterium ſit inenarrabile, & ineffabile, adhuc tamen, quantùm poteſt capere limitata intellectus noſtri ſphæra, aliquali ſimilitudine declaratur: nam præter alias ſimilitudines à Rabbinis etiam ſupra effigiatas, ſcil. tonitrui, & arboris; non incongruè apponitur hæc ſimilitudo, ſcil. fons, riuus, ſtagnum. Riuus enim procedit à fonte, ſtagnum à fonte, & à riuo, & omnes tres ſunt aqua. Fons non eſt riuus, nec riuus fons: nec vterque eſt ſtagnum: nec ſtagnum fons eſt, nec riuus, & tamen omnes tres ſunt aqua. Pater eſt fons, Filius eſt veluti riuus, à fonte illo Paterno fluens. Spiritus Sanctus eſt quoddam veluti ſtagnum à diuino illo Fonte, & Riuo mirabiliter profluens; & omnes participant ſplendi-

didiſſimam eiuſdem Diuinitatis veluti aquam. Nihilominus Myſterium hoc in hac vita fide tantùm credi, non aliqua ſimilitudine perfectè declarari poteſt; in illa verò cæleſti patria videbimus illud, ſicuti eſt.

§. VI.

Declaratur, & probatur Myſterium Trinitatis ex Sacro Fonte Euangelij.

39. HActenus Sacroſanctum ineffabilis Trinitatis Arcanum ex locuplete veteris teſtamenti theſauro, & ex ipſorum etiam Rabbinorum, qui Sacras Scripturas medullitus ſcrutati ſunt, authoritate comprobauimus, pro noſtraque tenuitate adumbrauimus; nunc verò tertio probationis genere neruoſiùs vtemur, ex ſacri Euangelij infallibili, lucidiorique oraculo; vbi Chriſtus Dominus Diuina Æterni Patris Sapientia incarnata clariſſimis verbis expreſſit, & fidelibus ſuis firma fide credendum propoſuit. Vnde fit prima probatio: Chriſtus Saluator noſter verus eſt Deus; qui nec poteſt decipi, nec nos decipere: ſed ipſe dixit, reuelauitque Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, tres ſcilicet Perſonas diſtinctas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & vnum Deum: ergo hoc Myſterium veriſſimum eſt, & ſine fide illius vel explicitâ, vel implicitâ, de quo nunc non diſceptamus, nullus poteſt ſaluari. Tota argumentatio eſt euidens, ſi probetur maior propoſitio, ſcil. quòd Chriſtus ſit verus Deus, quod Hebræi minùs docti negant: Rabbini verò doctiores ex ſacris veteris ſcripturæ monumentis conuicti conſtanter affirmant: & nos in primo libro probatum, imò demonſtratum reliquimus. Reſtat igitur oſtendere Chriſtum in Sacro Euangelio hoc myſterium edocuiſſe, præcepiſſeque ſuis Apoſtolis, vt illud in toto orbe prædicarent.

40. Probatur igitur 1. ex Matth. 28. n. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij,*

 & Spi-

& Spiritus Sancti; docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. *In nomine* denotatur vnitas naturæ diuinæ, & ideo non dicit, *In nominibus*: quia non sunt tres Dij, sed vnus Deus; *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, tres personæ distinctæ insinuantur. Ita intelligit hunc, & alia similia loca sancta, & vniuersalis Ecclesia ab Spiritu Sancto illuminata in Concilio Generali sub Innocentio III. in capite Firmiter, de summa Trinitate. Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, Æternus, Immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres quidem Personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater à nullo, Filius à Patre solo; ac Spiritus Sanctus pariter ab vtroque absque initio, semper, ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens; consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: vnum vniuersorum principium, Creator omnium visibilium, & inuisibilium spiritualium, & corporalium. Et paulò post: hæc Sancta Trinitas secundùm communem essentiam indiuidua, & secundùm personales proprietates discreta. 1. per Moysen & Sanctos Prophetas, aliosque famulos suos iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem: & tandem Vnigenitus Dei Filius incarnatus ex MARIA semper Virgine, Spiritûs Sancti cooperatione conceptus verus homo factus; ex anima rationali, & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona viam vitæ manifestiùs demonstrauit.

41. Probatur 2. ex Ioan. 10. num. 30. Vbi Christus sic ait: *Ego, & Pater vnum sumus.* *Vnum* denotat vnitatem essentiæ, & naturæ diuinæ: *Sumus*, pluralitatem Personarum. 3. ex eodem Ioan. 1. epist. cap. 5. num. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* Et subiungit Euangelista ibid. num. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Quasi diceret; multa, quæ non vi-

demus,

demus, ex testimonio hominum credimus: cur ergo non credemus hoc mysterium Sanctissimæ Trinitatis, nobis à Deo Saluatore nostro reuelatum, cuius testimonium maius est; imò certissimum, & infallibile: cœlum enim, & terra transire possunt, verba autem eius minimè possunt transire, vt ipse Dominus ait. Probatur 4. generaliter ostendendo ex Euangelio cuiusque diuinæ personæ diuinitatem. Nam prima persona, quæ est Pater, passim in sacro Euangelio Deus esse declaratur; nec in hoc ostendendo tempus contero; Hebræi quippe, quibus cum hîc agimus, hoc non inficiantur. De secunda Persona, quæ est Filius, verum esse Deum, constat 1. ex omnibus locis Sacræ Scripturæ Euangelicæ, in quibus Christus appellatur Filius Dei. Ex Matth. 14. num. 33. *Adorauerunt eum dicentes: verè Filius Dei es.* Et cap. 16. num. 16. *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui.* Et cap. 27. num. 54. *Viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Item ex Marci 1. num. 11. *Et vox facta est de cœlis: Tu es Filius meus dilectus: in te complacui.* Et cap. 3. num. 12. *Clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.* Et cap. 5. num. 7. *Quid mihi, & tibi IESV Fili Dei altissimi.* Et cap. 9. num. 6. *Et venit vox de nube dicens: Hic est Filius meus charissimus.* Et cap. 14. num. 61. *Dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? IESVS autem dixit illi: Ego sum.* Et cap. 15. num. 39. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.* Item ex Luca cap. 1. num. 32. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Et num. 35. *Et respondens Angelus dixit ei, &c. quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et cap. 3. num. 22. *Et vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus: in te complacui mihi.* Et cap. 8. num. 28. *Is, vt vidit IESVM, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est IESV Fili Dei Altissimi.* Et cap. 22. num. 70. *Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? qui ait: vos dicitis, quia ego*

ſum. Item ex Ioan. 1. n. 18. *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe narrauit*. Et n. 34. *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui: quia hic eſt Filius Dei*. Et num. 49. *Et ait: Rabbi, Tu es Filius Dei: Tu es Rex Iſrael*. Et cap. 3. num. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. Et num. 17. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*. Et num. 18. *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine Vnigeniti Filij Dei*. Et in cap. 9. num. 35. *Audiuit IESVS, &c. & cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? reſpondit ille, & dixit. Quis eſt, Domine, vt credam in eum? & dixit ei IESVS: & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt*. Et in cap. 10. num. 36. *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt; & ego in Patre*. Et in cap. 11. num. 4. *Audiens autem IESVS dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem; ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam*. Et num. 27. *Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti*. Et in cap. 20. num. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia IESVS eſt Chriſtus Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*.

42. Ex actibus Apoſt. cap. 3. num. 13. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus Patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum IESVM, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, &c.* Et num. 26. *Vobis primùm Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua*. Item ex Petri 2. cap. 1. num. 17. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*. Item ex Paul. ad Rom. cap. 1.

num. 1.

num.1. *Paulus, &c. Segregatus in Euangelium Dei (quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis) de Filio suo, (qui factus est ei) ex semine Dauid secundum carnem; qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, &c.* Et cap. 5. num. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Et cap. 8. num. 29. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Et ad Cor. 1. cap. 1. num. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius IESV Christi Domini nostri.* Et ex 2. ad Cor. cap. 1. n. 19. *Dei enim filius IESVS Christus, qui in vobis per nos prædicatus est.* Et ad Galat. 1. num. 15. *Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero Matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum per me.* Et in cap. 2. num. 20. *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et in cap. 4. num. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege &c.* Item ex cap. 4. ad Ephes. num. 13. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei.* Item ex 1. ad Thessal. 1. nu. 10. *Expectate Filium eius de cœlis, (quem suscitauit ex mortuis) IESVM, qui eripuit nos ab ira ventura.* Item ad Hebræos cap. 1. num. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.* Et num. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu; ego hodie genui te? & rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium, &c.* Et in cap. 4. num. 14. *Habentes ergo Pontificem Magnum, qui penetrauit cœlos, IESVM Filium Dei; teneamus confessionem.* Et cap. 10. num. 28. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? in quo sanctificatus est, &c.?*

43. Item ex 1. Ioannis cap. 3. num. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* Et num. 23. *Hoc est man-*

mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius IESV Christi. Et c.4. n.9. *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis; quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum*. Et num.10. *Ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Et num.14. *Et nos videmus, & testificamur, quoniam Pater misit filium suum Saluatorem mundi*. Item ex Apoc.2.num.18. *Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, &c.* Itaque ex his omnibus sacris textibus patet Christum secundam personam Sanctissimæ Trinitatis esse naturalem filium Dei; & consequenter verum Deum: nam sicut naturalis filius hominis est homo; ita naturalis filius Dei, est Deus.

44. Constat 2. ex alijs locis Sacri Euangelij; in quibus Christus Dominus appellatur expressè Deus. 1. ex Ioan. 20.nu.28. vbi Apost. S. Thom. appellauit Christum Deum suum. *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus*. 2. ex Paulo ad Rom. 9. num. 5. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. 3. ex epist. ad Tit. cap. 2. num. 11. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, &c.* Et num. 13. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ Magni Dei, & Saluatoris nostri IESV Christi, qui dedit semetipsum pro nobis*. Nec obstat impia Erasmi fatuitas; dum vult nomen Dei intelligi de Patre; & non videt Hæreticus loqui Apostolum de Christo Deo vẽturo ad iudicandum. 4. ex Act.20.n.28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*: non potest autem illic, Deus intelligi de Patre; qui non fudit sanguinem; sed de Filio, qui nos suo redemit sanguine. 5. ex Io.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum*. Igitur Diuinitas Christi, qui est secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis, clarissimè in sacro Euangelio exprimitur.


45. Restat modò declarare in eodem Euangelio diuinita-

nitatem Spiritus Sancti, qui est tertia persona Sanctissimæ Trinitatis, clarissimè contineri. 1. ex Paul. ad Rom. 5. vbi sic dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et ad Cor. epist. 1. c. 12. *Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus*; est autem proprium Dei hominibus per gratiam diuino quodam illapsu communicari. 2. quia proprium insigne est Dei omnia scrutari: sed spiritus Sanctus omnia scrutatur, vt constat ex Paul. ad Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*: ergo Spiritus Sanctus est Deus: sicut enim, qui habet proprietatem solius hominis, est homo; ita qui habet proprietatem Dei, est Deus. 3. quia etiam proprium est Dei, vt ab illius nutu omnia dependeant: sed omnia à nutu Diuini Spiritus dependent: vt liquet ex Paulo ad Cor. 12. *Diuidens singulis, prout vult*; Et ex Io. 3. *Spiritus vbi vult spirat*: ergo &c. 4. quia qui loquitur per Prophetas, est Deus: sed Spiritus Sanctus locutus est per Prophetas, vt constat ex Petri 1. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti omnes*. Et ex Actor. vltimo. Vbi dicitur Spiritum Sanctum locutum fuisse ad Isaiam. Et ex cap. 4. vbi dicitur Spiritum Sanctum per organum Regij Prophetæ fuisse locutum, &c. *Oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid*. 5. quia solus Deus est obiectum beatitudinis: Spiritus autem Sanctus obiectum est beatitudinis Angelorum, iuxta 1. Petri 1. *Spiritu Sancto misso de cœlo; in quem desiderant Angeli prospicere*: ergo, &c. 6. Ex Act. 5. Vbi cùm Petrus dixisset ad Ananiam: *Cur mentitus es Spiritui Sancto?* subdit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*: ergo Spiritus Sanctus Deus est. Tandem, quia passim in testamento etiam nouo scribuntur actiones ad extra per Spiritum Sanctum factæ; vt etiam ex dictis constat: actiones autem innuunt personam operantem: sed Spiritus Sanctus non est persona humana, vel Angelica: ergo diuina; & consequenter Deus.

46. Ex quibus omnibus manifestè patet in Sacro Euangelio expressum esse, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spi-

Spiritum Sanctum esse Deum: sed ex eodem Sacro Euangelio, & ex lumine naturali constat non posse esse plures Deos: ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnus est Deus; quod est mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quod nos Christiani firma fide amplectimur. Patet igitur Mysterium Trinitatis ex vtroque testamento veteri, & nouo, manifestissimè comprobari: proindeque Hebræos suæ perfidiæ nullam excusationem habere: imò, vt argumentatur D. Paulus ad Hebræ.10. num.29. supracitatus; si duo testes erant sufficientes ad infligendam pęnam mortis contra violantes legem; quantò acerbiùs merentur supplicium Iudæi negantes Mysterium Trinitatis; quando duo testes adeò validi, scil. vetus, & nouum testamentum tam efficacibus testimonijs illud mysterium comprobant, & corroborant? Faxit hæc Sancta Trinitas, vt Hebræi tanta cæcitate deposita, scissoque suo mentis velamine, hæc Sancta Sanctorum agnoscant; populusque Hebræus, qui olim Israel, id est, videns, appellabatur; credendo dicatur videns, & non cæcus; ideoque ad illum tota Trinitas descendat; impleaturque Christi seruatoris nostri lætissima promissio: ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; cui Sanctissimæ Trinitati sit sempiterna laus, honor, & gloria.

FINIS.



INDEX RERVM.

A

B

C

Dia-

E

F

G

H

I

Lapis

L

M

Messias

N

O

P

Pec-

Q

R

Rabbi-

S

Si-

T

Templi

Teſta-

Tri-

V

Vnio-

ERRA-

ERRATA. CORRIGE.

Pag. 11. lin. 2.	Cogentur.	Cogantur.
Pag. 20. prope fin. Text. D. Lucæ legatur sic.		*Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*
Pag. 28. lin. 18.	summe.	summæ.
Ibid. lin. 34.	Turgum.	Targum.
Pag. 29. lin. 19.	Hierem. 3. n. 91.	Hier. 30. n. 21.
Pag. 30. lin. 29.	scilo.	Silo.
Pag. 32. lin. 3.	habent.	habens.
Pag. 52. lin. 5.	Peophetæ.	Prophetæ.
Pag. 56. lin. 24.	sit.	sic.
Ibid. lin. 33.	adorabun.	adorabunt.
Pag. 66. lin. 31.	sallet.	saliet.
Pag. 88. lin. 51.	Tucun Soferim.	Tucum Sophorim.
Ibid.	corruptionem.	correctionem.
Pag. 89. lin. 1.	corruptio.	correctio.
Pag. 91. lin. 31.	dicent.	dicet.
Pag. 100. lin. 21.	absondita.	abscondita.
Pag. 103. lin. 4.	plebæis.	plebeis.
Pag. 135. lin. 3.	52.	12.
Pag. 163.	tertium.	septimum.
Pag. 185. lin. 1.	Antytipo.	typo.
Pag. 205. lin. 13.	adoptione.	adeptione.
pag. 212.	313.	213.
Pag. 215.	tuti.	omnes.
Pag. 220. lin. 34.	qnàm.	quàm.
Pag. 229.	n. 12.	21.
Pag. 230. lin. 25.	de Tri dæ.	de Tribu Iudæ.
Pag. 240. lin. 33.	secunda.	Tertia.
Pag. 249. lin. 9.	priuati.	priuati.
Pag. 253. lin. 27.	veritate.	vanitate.
Pag. 254. lin. 28.	scripruris.	scripturis.
Pag. 273. n. 71.	septima.	octaua.
Pag. 278. lin. 19.	eit.	fert.
Pag. 282. lin. antep.	dicendo.	docendo.
Pag. 288. lin. 35.	terrea.	ærea.
Pag. 310. lin. 17.	1447.	7447.
Pag. 315. lin. 2.	600.	1600.
Pag. 333. in princ. capitis.	detrimento.	determinato.
Pag. 334. lin. 15.	Toghi.	Foghi.
Pag. 337. lin. 28.	vtpote.	vt patet.
Pag. 342. lin. 6.	49.	490.
Pag. 386. lin. 16.	Misteriosa fuit.	Misterium fuit.
Ibid. lin. pen.	singularis.	pluralis.



